BIBLIOTECA NAZ.E
152
B
72
NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
152
B
72
NAPOLI

152
B.
72.

83
0
52

VIII. N. 27

Am· v·3

M. ACTII PLAVTI SARSINATIS

COMICI FESTIVISSIMI

Comœdiæ XX. poſt omnes omnium æditiones accuratißime recognitæ.

Præter reliquas commoditates, habes hic lector optime annotationes in omnes Comœdias per G. LONGOLIVM iam denuo ab ipſo caſtigatas & locupletatas, quibus acceſſere ſcholia noua in quatuor poſteriores Comœdias, in quas hactenus nihil ſuerat annotatũ.

Ad usum Bibliothecæ Divi Isidori

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

COLONIAE,
Excudebat IOANNES Gymnicus.
Anno M. D. XXXVIII.

Nomina Comœdiarum quæ in hoc uolumine continentur.

Amphitruo
Aſinaria
Aulularia
Capteiuei duo
Curculio
Caſina
Ciſtellaria
Epidicus
Bacchides dimidiata
Moſtellaria
Menæhmi
Miles
Mercator
Pſeudolus
Pœnulus
Perſa
Rudens
Stichus
Trinummus
Truculentus

PLAVTI VITA EX PETRO CRINITO DE POETIS LATINIS.

MArcus Plautus patria Sarſinas fuit ex Vmbria, quod ipſe de ſe inſinuat in fabula Moſtellaria, et alij ueteres tradũt. Conſtat eũ his tẽporibus Romæ uixiſſe, atq; in ſcena præſtitiſſe, quibus in ciuitate Pub. Scipio, Fuluius nobilior, et M. Cato excellẽtes habiti ſunt. Ingenio purbano fuit, & maximè feſtiuo: quod cũ alia multa indicant, tum Comœdiæ ipſius plenæ iocunditatis ac lepôrũ. Relata ſunt ab A. Gellio complura in Atticis noctibus de eruditione, et fabulis Plautinis ex autoritate M. Varronis, qui Plautum ait, cum erogaſſet omnem pecuniã in ſcœnicis ornamentis, ad ſummam paupertatem fuiſſe redactũ: eáq; ratione in Vrbem rediſſe, et operam piſtori locaſſe ad uictũ comparandum his molis circũagendis, quas truſatiles uocant, Hieronymus manuales appellauit. Et cum aliquandiu in piſtrino uerſaretur: ibidẽ fabulas aliquot dicitur compoſuiſſe, ut Saturionem et Addictũ. M. Varro in lib. de Plautinis Comœdijs uerba hæc poſuit, quæ aſcribenda exiſtimaui, ut à Gellio eſt obſeruatũ. Feruntur ſub Plauti nomine Comædiæ circiter C. & xxx. Sed homo eruditiſſimus Lælius XXV. duntaxat illius eſſe cenſuit. Neq; dubiũ eſt quin iſta etiã, quæ à Plauto ſcripta non ſunt, ueterũ poëtarum fuerint, ut M. Accij, C. Plautij à quo dictæ ſunt Plautianæ fabulæ,

non Plautinæ. Cæterũ cum XXV. à ueteribus connumerentur M. Plauti Comœdiæ: ſciendũ eſt præter illas xx. (quæ à noſtris Grãmaticis conſenſu omniũ pro Plautinis habẽtur) treis à Gellio nominari, hoc eſt, Boẽthiã, Neruularíã, Fretũ. Varro et Sex. Pompeius alias plures nuncupant, ut Artemonẽ, Friuolariam, Phagonẽ, Ceſtrionẽ atq; Aſtrabam, easq́; inter Plautinas referunt. De Aſtraba tamẽ Gellius et Nonius dubitarũt. In fabulis ſuis ſecutus eſt Græcos autores, maximè Demophilũ, Philemonẽ, et Epicharmũ Siculum, ut Horat. Flaccus teſtatur, tantũq́; ſcribendi elegãtia et ſalibus uiſus eſt præſtitiſſe, ut Epius Stolo affirmare nõ dubitauerit, Muſas ipſas Plautino ſermone fuiſſe locuturas, ſi Latinè loqui uoluiſſent, quod à Fabio Quintiliano refertur. Quocirca Gellius cenſor optimus omniũ ſcriptorum, appellat eundem Plautum parentem, ac principẽ in omni latina elegãtia. Volcatius Sedigitus, cũ de ordine Comicorũ ſcribit, poſt Cæcilium collocauit Plautũ, cæterisq́; omnibus prætulit. Nomen Plauti deductũ eſt à planicie pedum, ut eſt autor Sex. Põpeius: prius enim M. Plotus dicebatur: hinc Semiplotia calceamenta dicta ſunt, quibus in uenationibus uterentur: ſed hac de re ſuo loco diximus. Obijſſe traditur paucis annis poſt Q. Ennium Olympiade centeſima XLV. quantũ iacturæ factum ſit in eius obitu, teſtatus eſt idem Poëta his uerſibus de ſe compoſitis:

Poſtquàm eſt morte captus Plautus,
Comœdia luget, ſcena eſt deſerta:
Deinde riſus, ludus, iocusq́; & numeri,
Innumeri ſimul omnes collachrymarunt.

AMPHITRVO

DRAMATIS PERSONAE.

MERCVRIVS, *prologus.* AMPHITRVO.
SOSIA, *ſeruos.* BLEPHARO *gubernator.*
IVPPITER. BROMIA *ancilla.*
ALCMENA.

ARGVMENTVM.

IN *faciem uorſus Amphitruonis Iuppiter,*
Dum bellum gereret cum Telebois hoſtibus,
Alcmenam uxorem cepit uſurariam.
Mercurius formam Soſiæ ſerui gerit
Abſentis: his Alcmena decipitur dolis.
Poſtquam rediêre ueri Amphitruo & Soſia,
Vterque deluduntur dolis mirum in modum.
Hinc iurgium, tumultus uxori & uiro:
Donec cum tonitru uoce miſſa ex æthere,
Adulterum ſe Iuppiter confeſſus eſt.

ALIVD ARGVMENTVM.

A*More captus Alcumenæ Iuppiter*
Mutauit ſeſe in formam eius coniugis,
Pro patria Amphitruo dum cernit cum hoſtibus.
Habitu Mercurius ei ſubſeruit Soſiæ:
Is aduenienteis ſeruom, & dominum fruſtra habet.
Turbas uxori ciet Amphitruo: atque inuicem
Raptant pro mœchis. Blepharo captus arbiter,
Vter ſit, non quit Amphitruo, decernere.
Omnem rem noſcunt: geminos Alcmena enititur.

ALIVD.

AMphitruo profectus in hoſteis Teleboas, grauidam ex ſe reliquit uxorē Alcumenā: cuius amore captus Iuppiter, uerſus in formam eius abſentis coniugis, fingit ab exer

citu noctu rediſſe: illam comprimit: noxq́; illa Iouis iuſſu facta longior. Mercurius ut ſuo obſequeretur patri ſummo Ioui, in ſeruum Amphitruonis Soſiam ſe transformauit. Horum Alcmena deluditur dolis, fitq́; rurſus ex Ioue grauida. Interim uictor hoſtium rediens Amphitruo, domum præmittit Soſiam, ut nuntiet uxori reditum. is offendit Mercurium ſibi ſimilem ſeruum. ambo rixantur inuicē: à Mercurióq; excluditur domo. id idem contingit redeunti domum Amphitruoni: quem uxor rata ſe ab illo deludi ſatis, non admodum benigne excepit, fitq́; illi obuius pro Amphitruone Iuppiter: ſicq́; falſus ab uxore, atque ab Ioue ſimul. fiuntq́; gemini Amphitruones & Soſiæ. Tandem arbiter accerſitur Blepharo, uter eorũ uerus eſſet Amphitruo, rectè ut diſcerneret. obſtupuit ille: & certi nihil proferens, abijt. Interea tempus pariẽdi cum eſſet, Alcmena ex Ioue, atq; ex uiro geminos uno enixu parit. horũ alter qui poſtmodum dictus Hercules ex Ioue genitus, nam ex Amphitruone Iphiclus, binos enecat angues manu. igitur Iuppiter ut mulierem inſontem oſtenderet, quam uir inſimulauerat probri, magnum intonuit, rem profeſſus ut erat. iubet igitur reconciliari uiro coniugem..

MERCVRIVS,
PROLOGVS.

VT uos in uoſtris uoltis mercimonijs
Emundis, uendundiſq́; me lætum lucris
Afficere, atq; adiuuare in rebus omnibus:
Et ut res, rationeſq́; uoſtrorum omnium
Bene expedire uoltis, peregriq́;, & domi
Bonoq́; atq; amplo auctare perpetuo lucro,
Quaſq́; incœpiſtis res, quaſq́; inceptabitis:
Et uti bonis uos, uoſtroſq́; omnes nuntijs
Me afficere uoltis, ea afferam, eaq́; ut nuntiem,
Quæ maxume in rem uoſtram communem ſient.
(Nam uos quidem id iam ſcitis conceſſum, & datum
Mihi eſſe ab dis alijs, nuncijs præſim, & lucro)
Hæc ut me uoltis approbare, adnitier

Lucrum

Lucrum ut perenne uobis ſuppetat,
Ita huic facietis fabulæ ſilentium.
Itaq; æqui, & iuſti hic eritis omnes arbitri.
Nunc quoius iuſſu uenio, & quam ob rem uenerim,
Dicam, ſimulq́; ipſe eloquar nomen meum,
Iouis iuſſu uenio: nomen MERCVRII eſt mihi.
Pater huc me miſit ad uos oratum meus.
Tametſi pro imperio uobis quod dictum foret,
Scibat facturos, quippe qui intellexerat
Vereri uos ſe, & metuere, ita ut æquom eſt Iouem.
Verum profectò hoc petere me precario
A uobis iußit leniter dictis bonis.
Etenim ille, quoius huc iuſſu uenio, Iuppiter,
Non minus quàm uoſtrum quiuis, formidat malum
Humana matre natus, humano patre:
Mirari non eſt æquum, ſi ſibi prætimet.
Atq; ego quoq;, etiam qui Iouis ſum filius,
Contagione mei patris metuo malum.
Propterea pace aduenio, & pacem ad uos affero.
Iuſtam rem, & facilem eſſe oratum à uobis uolo.
Nam iuſtè ab iuſtis iuſtus ſum orator datus.
Nam iniuſta ab iuſtis impetrari non decet.
Iuſta autem ab iniuſtis petere inſipientia'ſt:
Quippe illi iniqui ius ignorant, neq; tenent.
Nunc iam huc animum ad ea, quæ loquar, aduortite.
Debetis uelle, quæ uelimus: meruimus
Et ego & pater de uobis, & republica.
Nam quid ego memorem (ut alios in tragœdijs
Vidi, Neptunum, Virtutem, Victoriam,
Martem, Bellonam, commemorare quæ bona
Vobis feciſſent) queis benefactis meus pater
Deûm regnator, architectus omnibus?
Sed mos is nunquàm illi fuit patri meo,
Vt exprobraret quod bonus faceret boni:

Datum arbitratur eſſe id à uobis ſibi,
Meritóq; uobis bona ſe facere, quæ facit.
Nunc quam rem oratum huc ueni, primum proloquar,
Pòſt, argumentum huius eloquar tragœdiæ.
Quid contraxiſtis frontem? quia tragœdiam
Dixi futuram hanc? deus ſum, commutauero
Eandem hanc: ſi uoltis, faciam ex tragœdia,
Comœdia ut ſit omnibus iiſdem uerſibus.
Vtrum ſit, an non, uoltis? ſed ego ſtultior,
Quaſi neſciam uos uelle, qui diuos ſiem.
Teneo quid animi uoſtri ſuper hac re ſiet.
Faciam, ut commiſta ſit TRAGICO COMOEDIA.
Nam me perpetuò facere, ut ſit Comœdia,
Reges quo ueniant, & Di, non par arbitror.
Quid igitur? quoniam hic ſeruos quoq; parteis habet,
Sit proinde (ut dixi) tragico comœdia.
Nunc hoc me orare à uobis iuſsit Iuppiter,
Vt conquiſitores ſinguli in ſubſellia
Eant per totam caueam ſpectatoribus,
Si quoi fauitores delegatos uiderint,
Vt his in cauea pignus capiatur togæ:
Siue qui ambiſſent palmam hiſtrionibus,
Siue quoiquam artifici, ſeu perſcriptas literas,
Siue qui ipſe ambiſſet, ſiue per internuntium,
Siue adeo ædiles perfidioſe quoi duint.
Sic ſimilem rem ipſe in legem iuſsit eſſe Iuppiter,
Quaſi magiſtratum ſibi, alteriue ambiuerit.
Virtute dixit uos uictores innuere,
Non ambitione, neque perfidia. Quî minus
Eadem hiſtrioni ſit lex, quæ ſummo uiro?
VIRTVTE AMBIRE *oportet, non fauitoribus.*
SAT HABET *fauitorum ſemper, qui rectè facit,*
Si illis fides eſt, quibus eſt ea res in manu.
Hoc quoq; etiam mihi in mandatis dederat,

Vt

Vt conquiſitores fierent hiſtrionibus,
Qui ſibi mandaſſent, delegati ut plauderent.
Quiue quo placeret alter, feciſſent minus,
Eius ornamenta, & corium uti conciderent:
Mirari nolim uos, quapropter Iuppiter
Nunc hiſtriones curet: ne miremini,
Ipſe hanc acturus eſt Iuppiter comœdiam.
Quid admirati eſtis? quaſi uerò nouom
Nunc proferatur, Iouem facere hiſtrioniam.
Etiam hiſtriones nannio in proſcenio hic
Iouem inuocarunt, uenit: auxilio ijs fuit.
Præterea certo prodit in tragœdia.
Hanc fabulam inquam hic Iuppiter hodie ipſe aget,
Et ego unà cum illo. nunc uos animum aduortite,
Dum huius argumentum eloquar comœdiæ.
Hæc urbs eſt THEBAE. in illiſce habitat ædibus
AMPHITRVO, natus Argus ex Argo patre,
Qui cum ALCVMENA eſt nupta Electri filia.
Is nunc Amphitruo præfectus eſt legionibus,
Nam cum Telebois eſt bellum Thebano populo:
Is priuſquàm hinc abijt ipſemet in exercitum,
Grauidam Alcumenam uxorem fecit ſuam.
Nam ego uos nouiſſe credo iam, ut ſit pater meus,
Quàm liber harum rerum multarum ſiet,
Quantusq; amator, quom quid placitu'ſt ſemel.
Is amare occœpit Alcumenam clam uiro,
Vſuramq; eius corporis cepit ſibi,
Et grauidam fecit is eam compreſſu ſuo.
Nunc de Alcumena ut rem teneatis rectius,
Vtrinq; eſt grauida, & ex uiro, & ex ſummo Ioue.
Et meus pater nunc intus hic cum illa cubat.
Et hæc ob eam rem nox eſt facta longior,
Dum ille, quácum uolt, uoluptatem capit.
Sed ita aſſimulauit ſe, quaſi Amphitruo ſiet.

Nunc ne hunc ornatum uos meum admiremini,
Quòd ego huc proceſsi ſic cum ſeruili ſchema,
Veterem atq; antiquam rem, nouam ad uos proferam.
Propterea ornatus in nouom inceſsi modum.
Nam meus pater intus nunc eſt, eccum Iuppiter,
In Amphitruonis uortit ſeſe imaginem,
Omnesq́; eum eſſe cenſent ſerui, qui uident:
Ita uerſipellem ſe facit, quando lubet.
Ego ſerui ſumpſi Soſiæ mihi imaginem,
Qui cum Amphitruone abijt hinc in exercitum,
Vt præſeruire amanti meo poſſem patri,
Atque ut ne qui eſſem, familiares quærerent,
Verſari crebrò hic quom uiderent me domi.
Nunc cum eſſe credent ſeruom, & conſeruom ſuum,
Haud quiſquam quæret qui ſiem, aut quid uenerim.
Pater nunc intus ſuo animo morem gerit:
Cubat complexus, quoius cupiens maxume'ſt.
Quæ illi ad legionem facta ſunt memorat pater
Meus Alcumenæ. at illa illum cenſet uirum
Suum eſſe, quæ cum mœcho eſt. ibi nunc meus pater
Memorat, legiones hoſtium ut fugauerit,
Quo pacto ſit donis donatus plurimis.
Ea dona, quæ illic Amphitruoni ſunt data,
Abſtulimus. facile meus pater, quod uolt, facit.
Nunc hodie Amphitruo ueniet huc ab exercitu,
Et ſeruos, quoius ego hanc fero imaginem.
Nunc, internoſce ut uos poſsitis facilius,
Ego has habebo uſq; in petaſo pinnulas.
Tum meo patri autem torulus inerit aureus
Sub petaſo. id ſignum Amphitruoni non erit.
Ea ſigna nemo horum familiarium
Videre poterit, uerum uos uidebitis.
Sed Amphitruonis illic eſt ſeruos Soſia,
A portu nunc illic cum laterna aduenit.

Abigam iam ego illum aduenientem ab ædibus,
Adeſt, ferit: operæpretium hic ſpectantibus,
Iouem, & Mercurium facere hiſtrioniam.

ACTVS PRIMVS.

SOSIA, MERCVRIVS.

S. *QVI me alter eſt audacior homo? aut qui confidentior?*
Iuuentutis mores qui ſciã, qui hoc noctis ſolus ambulem?
Quid faciam nunc, ſi treſuiri me in carcerẽ compegerint?
Inde cras è promptuaria cella depromar ad flagrum?
Nec cauſſam liceat dicere mihi, neq; in hero quicquam auxilij ſiet?
Nec quicquam ſit, qui non me omnes eſſe dignum deputent:
Ita quaſi incûdem, me miſerum homines octo ualidi cædant.
Ita peregrè aduenicns,
Hoſpitio publicitus accipiar,
Hæc heri immodeſtia coëgit me,
Qui hoc noctis à portu
Ingratis excitauit.
*Nonne idem hoc * lucis me mittere potuit?* * luce.
OPVLENTO HOMINI *hoc ſeruitus dura eſt.*
Hoc magis miſer eſt diuitis ſeruos,
Noctesq; diesq; aſſiduò ſatis, ſuperq; eſt,
Quo facto, aut dicto, adeſt opus, quietus ne ſis.
Ipſe, diues operis, & laboris expers,
Quodcunq; homini accidit, liberè poſſeretur,
Aequum eſſe putat, non reputat laboris quid ſit,
Nec æquom, anne iniquom imperet cogitabit.
Ergo in ſeruitute expetunt multa iniqua.
Habendum & ferendum hoc opus eſt cum labore.
M. *Satiu'ſt me queri illo modo ſeruitutem hodie, qui fuerim liber,*
Eam nũc potius pater hic ſeruitutis qui uerna natu'ſt, queritur.
Sum uero uerna uerbo, nunc uerò mihi in mentem fuit. S. nunc
Dijs aduenientem gratias pro meritis agere, alloqui.
Ne illi ædepol, ſi merito meo referre ſtudeant gratias,

Aliquem

Aliquem hominem allegent, qui mihi aduenięti os ocillet probè.
Quoniã bona quæ in me fecerunt, ingrata ea habui, atq; irrita.
M. Facit ille, quod uolgo haud ſolent, ut quid ſe ſit dignum ſciat.
S. Quod nunquàm opinatus fui, neq; alius quiſquam ciuium
Sibi euenturum, id contigit, ut ſalui potiremur domi
Victores, uictis hoſtibus legiones reueniunt domum,
* in Duello extincto maxumo, atq; * internectis hoſtibus.
terne Quod multa Thebano populo acerba obiecit funera,
catis Id ui, & uirtute militum, uictum, atq; expugnatum oppidum'ſt,
Imperio, atq; auſpicio heri mei Amphitruonis maxumè,
Qui præda, atq; agro, adoreaq; affecit populareis ſuos.
Regiq; Thebano Creonti regnum ſtabiliuit ſuum.
Me à portu præmiſit domum, ut hæc nũtiem uxori ſuæ,
Vt geſſerit rempublicam ductu, imperio, auſpicio ſuo.
Ea nunc meditabor, quo modo illi dicam, quom illò aduenero.
Si dixero mendacium, ſolens meo more fecero.
Nam quom pugnabant illi maxume, ego fugiebam maxume.
Verum quaſi adfuerim, tamen ſimulabo, atque audita eloquar:
Sed quo modo, & uerbis, quibus me deceat fabularier,
Prius ipſe mecum etiam uolo hic meditari: ſic hoc proloquar.
Principio ut illò aduenimus, ubi primum terram tetigimus,
Continuò Amphitruo delegit uiros primorum principes.
Eos legat Telebois: iubet ſententiam ut dicant ſuam,
Si ſine ui, & ſine bello uelint rapta, & raptores tradere,
Si quæ aſportaſſent, redderent, ſe exercitum extemplo domũ
Reducturum: abituros Argos Argiuos: pacem, atque otium
Dare illis. Sin aliter ſient animati, neq; dent quæ petat,
Seſe igitur ſumma ui, uiriſq;, eorum oppidum expugnaſſere.
Hæc ubi Telebois ordine iterarunt, quos præfecerat
Amphitruo magnanimi uiri, freti uirtute, & uiribus
Superbi, nimis ferociter legatos noſtros increpant:
Reſpondent, bello & ſe, & ſuos tutari poſſe. Proinde uti
Propere de finibus ſuis exercitus deducerent.
Hæc ubi legati pertulere, Amphitruo è caſtris illicò

Producit omnem exercitum. contrà, Teleboæ ex oppido
Legiones educunt ſuas, nimis pulchris armis præditas.
Poſtquàm utrinq; exitu'ſt maxuma copia,
Diſpertiti uiri, diſpertiti ordines.
Nos noſtras more noſtro, & modo, inſtruximus
Legiones: item hoſtes contrà, ſuas inſtruunt.
Deinde utriq; imperatores in medium exeunt:
Extra turbam ordinum colloquontur ſimul.
Conuenit, uicti utri ſint eo prælio,
Vrbem, agrum, aras, focos, ſéq; uti dederent.
Poſtquàm id actu'ſt, tubæ utrinq; canunt: contrà
Conſonat terra, clamorem utrinq; efferunt.
Imperator utrinq; hinc, & illinc Ioui
Vota ſuſcipere, hortari exercitum.
Pro ſe quiſq; id, quod quiſque poteſt, & ualet,
Edit, ferit: tela frangunt: boat cœlum
Fremitu uirûm, ex ſpiritu, atq; anhelitu
Nebula conſtat uolneris ui, & uirium.
Crebri hoſtes cadunt, noſtri contrà ingruunt.
Deniq; ut uolumus noſtra ſuperat manus.
Vicimus ui feroces.
Sed fugam in ſe tamen nemo conuortitur:
Nec recedit loco, quin ſtatim rem gerat:
Animam amittunt prius quàm loco demigrent.
Quiſque, ut ſteterat, iacet, obtinetq; ordinem.
Hoc ubi Amphitruo herus conſpicatus eſt,
Illicò equites iubet dextra irruere.
Equites parant citi, ab dextera maxumo
Cum clamore inuolant, impetu alacri
Fœdant, & proterunt hoſtium copias
Iure iniuſtas.

M. Nunq̃ etiam quicquã adhuc uerborũ eſt prolocutus perperam.
Nã ego fui illic in re præſenti, & meus quom pugnatu'ſt pater.

S. Perduelles penetrant ſe in fugam, ubi noſtris animus additus.

Vortemi-

Vortentibus Telebois telis complebantur corpora:
Ipſusq; Amphitruo regem Pterelam ſua obtruncauit manu.
Hæc illic eſt pugnata pugna abuſq; mane ad ueſperum.
Hoc adeò hòc commemini magis, quia illo die impranſus fui.
Sed prælium id tandem diremit nox interuentu ſuo.
Poſtridie in caſtra ex urbe ad nos ueniunt flentes principes,
Velatis manibus orant, ignoſcamus peccatum ſuum.
Deduntq; ſe, diuina, humanaq; omnia, urbem, & liberos
In ditionem, atq; in arbitratum cuncti Thebano populo.
Pòſt ob uirtutem hero Amphitruoni patera donata'ſt aurea,
Qui Pterela potare rex ſolitus eſt. Hæc ſic dicam heræ,
Nunc pergam heri imperium exequi, & me domum capeſſere.
M. Atat illic huc ituru'ſt, ibo ego illi obuiam.
Neq; ego hunc hominẽ hodie ad ædeis has ſinam unq̃ accedere.
Quando imago eſt huius in me, certu'ſt hominem eludere.
Et enimuero quoniam formam cepi huius in me, & ſtatum,
Decet & facta moresq; huius habere me ſimileis item.
Itaque me malum eſſe oportet, callidum, aſtutum admodum:
Atque hunc telo ſuo ſibi malitia à foribus pellere.
Sed quid illuc eſt? cœlum aſpectat, obſeruabo quam rem agat.
S. Certè ædepol ſcio, ſi quicquam'ſt quod credam, certò ſciam,
Credo ego hac noctu nocturnum obdormiſſe ebrium.
Nam neq; ſe ſeptentriones quoquam in cœlo commouent,
Neque ſe luna quoquam mutat, ſtatq;, uti exorta'ſt ſemel:
Nec iugula, nec ueſperugo, neq; uergiliæ òccidunt:
Ita ſtatim ſtant ſigna, neq; nox quoquam concedit die.
M. Perge nox, ut occœpiſti: gere patri morem meo.
Optume optumo optumam operam das, datam pulchrè locas.
S. Neque ego hac nocte longiorem me uidiſſe cenſeo,
Niſi item unam, uerberatus quam pependi perpetem.
Eam quoque ædepol multò hæc uincit longitudine.
Credo equidem dormire ſolam, atq; oppotum probè.
Mira ſunt niſi inuitauit ſeſe in cœna pluſculum.
M. Ain' uerò uerbero? deos eſſe tui ſimileis putas?

Ego

Ego pol te iſtis tuis pro dictis, & malefactis furcifer
Accipiam. modo ſis ueni huc, inuenies infortunium.
S. Vbi ſunt iſti ſcortatores, qui ſoli inuiti cubant?
Hæc nox ſcita'ſt exercendo ſcorto conducto malè.
M. Meus pater nunc pro huius uerbis rectè, & ſapienter facit,
Qui complexus cum Alcumena cubat amans, animo obſequens.
S. Ibo, ut herus quod imperauit, Alcumenæ nunciem.
Sed quis hic eſt homo, quē ante ædeis uideo hoc noctis? nō placet.
M. Nullus eſt hoc meticuloſus æquè. S. quem? in mentem uenit,
Illic homo hoc denuò uolt pallium detexere.
M. Timet homo: deludam ego illum. S. proh dentes pruriunt:
Certè aduenientem hic me hoſpitio pugnæ accepturus eſt.
Credo miſericors eſt: nunc propterea quòd me meus herus
Fecit ut uigilem, hic pugnis faciet hodie ut obdormiam.
Oppidò interij. obſecro hercle quantus, & quàm ualidus eſt.
M. Clara uorſum fabulabor: hic auſcultet, quæ loquar:
Igitur magis maiorem in modum in ſeſe concipiet metum.
Agite pugni, iam diu'ſt quòd uentri uictum non datis:
Iampridem uidetur factum, heri quòd homines quatuor
In ſoporem collocaſtis nudos. S. formido male
Ne ego hic nomen commutem meum, & quintus fiam è Soſia.
Quatuor uiros ſopori ſe dediſſe hic autumat:
Metuo ne numerum augeā illum. M. hem, nūc iam ergo ſic uolo.
S. Cingitur, certè expedit ſe. M. non feret, quin uapulet.
S. Quis homo? M. quiſquis homo huc uenerit, pugnos edet.
S. Apage, non placet, me hoc noctis eſſe, cœnaui modo:
Proin' tu iſtam cœnam largire (ſi ſapis) eſurientibus.
M. Haud malum huic eſt pondus pugno. S. perij, pugnos ponderat.
M. Quid ſi ego illum tractim tangam, ut dormiat? S. ſeruaueris,
Nam continuas has tres noctes peruigilaui. M. Peſſimum eſt
Facinus. nequiter ferire malam malè diſcit manus,
Alia forma eſſe oportet, quem tu pugne læſeris.
S. Illic homo me interpolabit, meumq; os finget denuò.
M. Exoſſatum eſſe oportet, quem probè percuſſeris.

Mirum

S. Mirum ni hic me quaſi murænam exoſſare cogitat.
Vltro iſthic qui exoſſat homines, perij ſi me aſpexerit.
M. Olet homo quidem malo ſuo. S. hei nunquàm obolui.
M. Atque haud longè abeſſe oportet. S. uerum longè hinc abfuit.
M. Illic homo ſuperſtitioſus eſt: geſtiunt pugni mihi.
S. Si in me exerciturus, quæſo in parietem ut primum domes.
M. Vox mihi ad aureis aduolauit. S. næ ego homo infelix fui,
Qui non alas interuelli, uolucrem uocem geſtito.
M. Illic homo à me ſibi malam rem arceſſit iumento ſuo.
S. Non equidē ullū habeo iumentū. M. onerādus eſt pugnis probè.
S. Laſſus ſum hercle: è naui ut uectus huc ſum, etiam nunc nauſeo,
Vix incedo inanis, ne ire poſſe cum onere exiſtumes.
M. Certè enim hic neſcio quis loquitur. S. ſaluos ſum: non me uidet,
Neſcio quem loqui autumat: mihi certè nomen Soſia'ſt.
M. Hinc enim mihi dextera uox aureis (ut uidetur) uerberat.
S. Metuo uocis ne uice hodie hic uapulem, quæ hunc uerberat.
M. Optume eccum incedit ad me. S. timeo, totus torpeo.
Non ædepol nunc ubi terrarum ſim ſcio, ubi roger:
Neque miſer me commouere poſſum præ formidine,
Illic mei mandata heri perierunt, unà & Soſia:
Verum certum'ſt confidenter hominem contra colloqui.
Igitur quî poſſum uideri huic fortis, ut à me abſtineat manum?
M. Quò ambulas tu, qui Volcanum in cornu concluſum geris?
Quid id exquiris tu, qui pugnis hic exoſſas homines?
Seruóſne, an liber? S. utcunq; animo collubitum eſt meo.
M. Ain uerò. S. aio enimuero. M. uerbero, mentiris nunc.
At iam faciam, ut uerum diſcas dicere. S. quid eo opus eſt?
Poſſum ſcire quò profectus, quoius ſis, aut quid ueneris?
S. Huc eo, heri ſum ſeruos. nunquid nunc es certior?
M. Ego tibi iſtam hodie ſceleſte comprimā linguam. S. haud potes,
Bene, pudiceq; aſſeruatur. M. Pergin argutarier?
Quod apud haſce ædeis negotium eſt tibi? S. immò quod tibi'ſt?
M. Rex Creon uigiles nocturnos ſingulos ſemper locat.
S. Bene facit, quia nos eramus peregre, tutatus eſt domum.

At nunc abi, ſanè aduenisſe familiareis dicito.

M. *Neſcio quantum tu familiaris ſis, niſi actutum hinc abis,*
Familiaris accipière faxo haud familiariter.

S. *Hic inquã habito ego, atq; horũ ſeruos ſum. M. at ſcin' quomõ?*
Faciam ego hodie te ſuperbum, niſi hinc abis. S. quonam modo?

M. *Auferêre, non abibis, ſi ego fuſtem ſumpſero.*

S. *Quin me eſſe huius familiæ familiarem prædico.*

M. *Videſis, quàm mox uapulare uis, niſi actûtum hinc abis.*

S. *Tún' domo prohibere peregre me aduenientem poſtulas?*

M. *Hæccine tua domus eſt? S. ita inquã. M. quis heru'ſt igitur tibi?*

S. *Amphitruo, qui nunc præfectus eſt Thebanis legionibus:*
Quicum nupta'ſt Alcumena. M. quid ais? quod nomen tibi'ſt?

S. *Soſiam uocant Thebani, Dauo prognatum patre.*

M. *Næ tu iſtic hodie malo tuo compoſitis mendacijs*
Hùc aduениſti audaciæ columen, conſutis dolis.

S. *Immò equidem tunicis conſutis huc conuenio, non dolis.*

M. *At mentiris etiam, certò pedibus, non tunicis uenis.*

S. *Ita profectò. M. nunc profecto uapula ob mendacium.*

S. *Non ædepol uolo profecto. M. at pol profecto ingratijs:*
Hoc quidem profecto certu'ſt, non eſt arbitrarium.

S. *Tuam fidem obſecro. M. tún' te audes Soſiam eſſe dicere,*
Qui ego ſum? S. perij. M. parũ etiã præut futurũ eſt prædicas.
Quoius nunc es? S. tuus, nam pugnis uſufeciſti tuum.
*Proh * fidem Thebani ciues. M. etiam clamat carnufex?* * fidi.
Eloquere, quid ueniſti? S. ut eſſet, quem pugnis cæderes.

M. *Quoius es? S. Amphitruonis inquã Soſia. M. ergo iſtoc magis,*
Quia uaniloquos, uapulabis. ego ſum, non tu, Soſia.

S. *Ita di faciant, ut tu potius ſis atq; ego, ut te uerberem.*

M. *Etiam mutis? S. iam tacebo. M. quis tibi heru'ſt? S. quẽ tu uoles.*

M. *Quid igitur? quî nunc uocare? S. nemo, niſi quem iuſſeris.*

M. *Amphitruonis te eſſe aiebas Soſiam. S. peccaueram.*
Nam Amphitruonis ſocium næ me uolui dicere.

M. *Sciebam equidem nullum eſſe nobis, niſi me ſeruom Soſiam.*
Fugit te ratio. S. utinam iſtuc pugni feciſſem tui.

M. Ego ſum Soſia ille, quem te dudum eſſe aiebas mihi.
S. Obſecro ut per pacem liceat te alloqui, ut ne uapulem.
M. Immo indutiæ parumper fiant ſi quid uis loqui.
S. Non loquar, niſi pace facta, quandò pugnis plus uales.
M. Dicito quid uis, non nocebo. S. tuæ fidei credon'? M. meæ.
S. Quid ſi falles? M. tum Mercurius Soſiæ iratus ſiet.
S. Animum aduorte, nunc licet mihi libere quiduis loqui.
Amphitruonis ego ſum ſeruos Soſia. M. etiam denuo?
S. Pacem feci, fœdus feci, uera dico. M. uapula.
S. Vt lubet. quod tibi lubet fac, quoniam pugnis plus uales.
Verum utut es facturus, hoc quidē hercle haud reticebo tamen.
M. Tu me uiuus hodie nunquam facies quin ſim Soſia.
S. Certe ædepol tu me alienabis nunquam, quin noſter ſiem.
Nec nobis præter me, alius quiſquam eſt ſeruos Soſia,
Qui cum Amphitruone hinc unà ieram in exercitum.
M. Hic homo ſanus nō eſt. S. quod mihi prædicas uitium, id tibi' ſt.
Quid (malùm) nónne ego ſum ſeruos Amphitruonis Soſia?
Nónne hac noctu noſtra nauis ex portu Perſico
Venit, quæ me aduexit? nónne me huc herus miſit meus?
Nónne ego nunc ſto ante ædeis noſtras? non mihi eſt laterna in manu?
Non loquor? non uigilo? nónne hic homo modo me pugnis contudit?
Fecit hercle. nam mihi etiam miſero nunc malæ dolent.
Quid igitur ego dubito? aut cur non introeo in noſtram domū?
M. Quid domum noſtram? S. Ita enimuero. M. quæq; dixiſti modo
Omnia ementitus. equidem Soſia Amphitruonis ſum.
Nam noctu hac ſoluta eſt nauis noſtra è portu Perſico:
Et ubi Pterela rex regnauit, oppidum expugnauimus:
Et legiones Teleboarum ui pugnando cepimus:
Et ipſe Amphitruo obtruncauit regem Pterelam in prælio.
S. Egomet mihi non credo, quom illæc illum autumare audio.
Hic quidem certè, quæ illic ſunt res geſtæ, memorat memoriter.
Sed quid ais? quid Amphitruoni à Telebois datum eſt?

Pterela

M. Pterela rex, qui potitare ſolitus eſt, patera aurea.
S. Elocutus eſt, ubi patera nunc eſt? M. in ciſtula,
Amphitruonis obſignata ſigno eſt. S. ſigni dic quid eſt?
M. Cum quadrigis ſol exoriens. quid me captas carnufex?
S. Argumentis uicit: aliud nomen quærendu'ſt mihi.
Neſcio unde hæc hic ſpectauit: iam ego hunc decipiam probè.
Nam quod egomet ſolus feci, nec quiſquam alius affuit
In tabernaculo, id quidem hodie nunquam poterit dicere.
Si tu Soſia es, legiones quom pugnabant maxume,
Quid feciſti in tabernaculo? uictus ſum, ſi dixeris.
M. Cadus erat uini, inde impleui cirneam. S. ingreſſu'ſt iam.
M. Eam ego, ut matre fuerat natum, uini eduxi meri.
S. Mira ſunt, niſi latuit intus illic in illac cirnea.
Factum illud, ut ego illuc uini cirneam ebiberim meri.
M. Quid nunc? uincon' argumentis te non eſſe Soſiam?
S. Tu negas me eſſe? M. quid ego ni negem, qui egomet ſiem?
S. Per Iouem iuro, me eſſe, neq; me falſum dicere.
M. At ego per Mercurium iuro, tibi Iouem non credere:
Nam iniurato ſcio plus crederet mihi, quàm iurato tibi.
S. Quis ego ſum ſaltem, ſi non ſum Soſia? te interrogo.
M. Vbi ego Soſia nolim eſſe, tu eſto ſane Soſia.
Nunc quando ego ſum, uapulabis, ni hinc abis, ignobilis.
S. Certe ædepol quom illum contemplo, & formã agnoſco meam,
Quemadmodũ ego ſæpe in ſpeculũ inſpexi, nimis ſimilis eſt mei,
Itidem habet petaſum, ac ueſtitum. tam conſimili'ſt, atq; ego,
Sura, pes, ſtatura, tonſus, oculi, naſum, labra,
Malæ, mentum, barba, collum, totus. quid uerbis opu'ſt?
Sic tergom cicatricoſum, nihil hoc ſimili eſt ſimilius.
Sed quom cogito, equidem certe idem ſum qui ſemper fui.
Noui herum, noui ædeis noſtras. ſane ſapio, & ſentio,
Non ego illi obtempero, quod loquitur. pultabo foreis.
M. Quo agis te? S. domum. M. quadrigas ſi nunc inſcendas Iouis,
Atque hinc fugias, ita uix poteris effugere infortunium.
S. Nonne heræ meæ nuntiare, quod herus meus iuſsit, licet?

M. Tuæ? quid uis nuntiare, hanc noſtram adire non ſinam.
Nam ſi me irritaßis, hodie lumbifragium hinc auferes.
S. Abeo potius. Di immortales obſecro uoſtram fidem.
Vbi ego perij? ubi immutatus ſum? ubi ego formam perdidi?
An egomet me illic reliqui, ſi forte oblitus fui?
Nam hic quidem omnem imaginem meam, quæ antehac fuerat, poßidet:
Viuo fit, quod nunquam quiſquam mortuo faciet mihi.
Ibo ad portum, atq; hæc ut ſunt facta, hero dicam meo.
Niſi & is quoq; me ignorabit, quod ille faciat Iupiter,
Vt ego hodie raſo capite caluos capiam pileum.

MERCVRIVS.

BEne proſpereq; hoc hodie operis proceßit mihi.
Amoui à foribus maxumam moleſtiam,
Patri ut liceret tuto illam amplexarier.
Nam ille illuc, ad herum quum Amphitruonem aduenerit,
Narrabit ſeruom hinc ſeſe à foribus Soſiam
Amouiſſe. ille adeò illum mentiri ſibi
Credet. neq; credet huc profectum, ut iuſſerat.
Erroris ambo ego illos, & dementiæ
Complebo, atq; omnem Amphitruonis familiam,
Adeo uſque ſatietatem dum capiet pater
Illius, quam amat. igitur demum omnes ſcient
Quæ facta deniq;. Alcumenam Iupiter
Rediget antiquam in concordiam coniugis.
Nam Amphitruo actutum uxori turbas conciet,
Atque inſimulabit eam probri: tum meus pater
Eam ſeditionem illi in tranquillum conferet.
Nunc de Alcumena dudum quod dixi minus,
Hodie illa pariet filios geminos duos,
Alter decumo poſt menſe naſcetur puer,
Quàm ſeminatus: alter menſe ſeptimo.

Eorum

Eorum Amphitruonis alter eſt, alter Iouis.
Verum minori puero maior eſt pater,
Minor maiori. iámne hoc ſcitis, quid ſiet?
Sed Alcumenæ huius honoris gratia,
Pater curauit, uno ut fœtu fieret,
Vno ut labore exolueret ærumnas duas:
Et ne in ſuſpicione ponatur ſtupri,
Et clandeſtina ut celetur ſuſpicio.
Quanquam (ut iamdudum dixi) reſciſcet tamen
Amphitruo rem omnem. quid igitur? nemo id probro
Profecto ducet Alcumenæ. nam deum
Non par uidetur facere, delictum ſuum,
Suamq́; culpam, expetere in mortalem ut ſinat.
Orationem comprimam, crepuit foris.
Amphitruo ſubdititius eccum exit foras
Cum Alcumena uxore uſuraria.

IVPITER, ALCMENA, MERCVRIVS.

I. BEne uale Alcmena, cura rem communem, quod facis.
At quin perge quæſo, menſes iam tibi exactos uides.
Mihi neceſſe'ſt ire hinc. uerum quod erit natum tollito.
A. Quid iſtuc eſt mi uir negoci, quòd tu tam ſubitò domo
Abeas? I. pol haud quòd tui me, neq; domi diſtædeat:
Sed ubi SVMMVS IMPERATOR non adeſt ad exercitũ,
Citius, quod non facto'ſt uſus, fit, quàm quod facto'ſt opus.
M. Nimis hic ſcitus eſt ſycophanta, qui quidem ſit meus pater.
Obſeruatote quàm blandè mulieri palpabitur.
A. Ecaſtor te experior quanti facias uxorem tuam.
I. Satin' habes, ſi fœminarum nulla'ſt, quam æquè diligam?
M. Aedepol ni illa furtiuis rebus te ſciat operam dare,
Ego faxim te Amphitruonem eſſe malis quàm Iouem.
A. Experiri iſtuc mauellem me quàm mihi memorarier.
Prius abis, quàm lectus, ubi cubuiſti, concaluit locus.

Here uenisti media nocte. nunc abis, hoccine placet?

M. Accedam, atq; hanc appellabo, & ſupparaſitabor patri.
Nunquam ædepol quenquam mortalem credo ego uxorē ſuam
Sic efflictim amare perinde, ut hic te efflictim deperit.

I. Carnufex, non ego te noui? abin' è conſpectu meo?
Quid tibi hanc curatio est rem uerbei o? haud hic mutito:
Quoi ego iam hoc ſcipione. A. ah noli. I. mutito modo.

M. Nequiter penè expediuit prima paraſitatio.

I. Verum quod dicis mea uxor, non te mihi iraſci decet.
Clanculum abij à legione, operam hanc ſurripui tibi,
Ex me primo prima ſcires, rem ut geſsiſſem publicam.
Ea tibi omnia enarraui: niſi te amarem plurimum,
Non facerem. M. facitne ut dixi? timidam palpo percutit.

I. Nunc ne legio perſentiſcat, clam illuc redeundu'ſt mihi,
Ne me uxorem præuortiſſe dicant præ republica.

A. Lachrumantem ex abitu concinnas tu tuam uxorem. I. tace:
Ne corrumpe oculos, redibo actûtum. A. id actûtum diu'ſt.

I. Non ego te hic lubens relinquo, neq; abeo abs te. A. ſentio:
Nam qua nocte ad me uenisti, eadem abis. I. cur me tenes?
Tempu'ſt: exire ex urbe, priuſquam luceſcat, uolo.
Nunc tibi hanc pateram, quæ dono mihi illic ob uirtutē data'ſt,
Pterela rex qui potitauit, quem ego mea occidi manu,
Alcumena tibi condono. A. facis, ut alias res ſoles.
Ecaſtor condignum donum, qualis eſt, qui donum dedit.

M. Immò ſic condignum donum, qualis eſt quoi dono datu'ſt.

I. Pergin' autem? nónne ego poſſum furcifer te perdere?

A. Noli amâbo Amphitruo iraſci Soſiæ cauſſa mea.

I. Faciam ita, ut uis. M. ex amore hic admodum quàm ſæuos eſt?

I. Nunqd uis? A. ut quom abſim, me ames, me tuā, te abſente tamē.

M. Eamus Amphitruo, luciſcit iam. I. abi præ Soſia,
Iam ego ſequar. nunquid uis? A. etiam, ut actûtum aduenias.

I. Licet, prius tua opinione hic adero: bonum animum habe.
Nunc te nox quæ me manſiſti, mitto ut cedas die,
Vt mortalibus illuciſcas luce clara, & candida,

Atq;

Atq; quanto nox fuiſti longior hac proxuma,
Tanto breuior dies ut fiat: faciam ut æque diſpar
Et dies, & nox accedat. ibo & Mercurium ſubſequar.

ACTVS SECVNDVS.

AMPHITRVO, SOSIA.

A. AGe tu, i. S. ſubſequor te. A. ſceleſtiſsumum te arbitror.
S. ah quamobrem?
A. Quia id quod neq; eſt, neq; fuit, neq; futurũ eſt, mihi prædicas.
S. Eccere. iam tu autem facis, ut tuis nulla apud te ſit fides.
A. Quid eſt? quo modo? iã quidẽ hercle ego tibi iſtã ſceleſtã ſcelus,
Linguam abſcindam. S. tuus ſum. proinde, ut commodum ſiet,
Lubet quicquid facias: tamen quin loquar hæc, uti facta ſunt,
Nunquam ullo modo me potes deterrere. A. ſceleſtiſsume.
Audes mihi prædicare id, domi te eſſe nunc, qui hic ades?
S. Vera dico. S. malum quid tibi di dabunt, atq; ego hodie dabo.
S. Iſtuc tibi'ſt in manu. nam tuus ſum. A. tun' me uerbero
Audes herum ludificarier? tun' id dicere audes,
Quod nemo antehac uidit, nec poteſt fieri? uno tempore
Homo idẽ duobus locis ut ſimul ſit? S. ꝑfecto ut loquor, res ita'ſt.
A. Iuppiter te perdat. S. quid ſum mali here tua ex re promeritus?
A. Rogáſne improbe etiam, qui ludificas me? S. Merito malè
Dicas mihi. ſi non ita id factu'ſt. uerum haud mentior.
Reſq; uti facta'ſt dico. A. homo hic ebrius eſt, ut opinor. S. utinã
Ita eſſem. A. optas, quæ facta. S. egone? A. tu iſtic ubi bibiſti?
S. Nusq̃ equidẽ bibi. A. quid ſit hoc hominis? S. equidẽ decies dixi.
Domi ego ſum inquã. ecquid audis? & apud te adſum Soſia idẽ.
Satin' hoc planè, ſatin' diſerte here nunc uideor tibi
Locutus eſſe? A. uah. S. quid eſt? A. apage te à me. S. quid eſt
Negotij? A. peſtis te tenet. S. Nam cur iſtuc mihi
Dicis? equidem ualeo, & ſaluos ſum rectè Amphitruo.
A. At ego te faciam pol hodie périnde, ac meritus es,
Vt minus ualeas, & miſer ſis, ſaluos ſi domum rediero. iam
Sequere ſis, herum qui ludificas dictis delirantibus.

Qui quoniam herus quod imperauit, neglexti perſequi,
Nunc uenis etiam ultro irriſum dominum. quæ neq; fieri
Poſſunt, neq; fando unquam accepit quiſquã, profers carnufex,
Quoius ego hodie in tergo faxo iſta expetam mendacia.
S. Amphitruo miſerruma iſthæc miſeria'ſt ſeruo bono,
Apud herum qui uera loquitur, ſi id ui uerum uincitur.
A. Quo id (malùm) pacto poteſt (nam mecum argumentis puta)
Fieri, nunc ut tu hic ſis, & domi? id dici uolo.
S. Sum profecto & hic & illic. hoc quoiuis mirari licet.
Neque tibi iſtuc mirum magis uidetur, quàm mihi.
A. Quomodo? S. nihilo inquã mirum magis tibi iſtuc quàm mihi,
Neque ita di me ament, credebam primo mihimet Soſiæ,
Donec Soſia ille egomet fecit, ſibi uti crederem,
Ordine omne, ut quicquid actu'ſt, dum apud hoſteis ſedimus
Ediſſertauit. tum formam unà abſtulit cum nomine.
Neque lac lacti magis eſt ſimile, quàm ille ego ſimilis eſt mei.
Nam ut dudum ante lucem à portu me præmiſiſti domum.
A. Quid igit? S. prius multò ante ædeis ſtabam, q̃ illò adueneram.
A. Quas (malùm) nugas? ſatin' tu ſanus es? S. ſic ſum, ut uides.
A. Huic homini neſcio quid eſt mali, mala obiectum manu,
Poſtquam à me abijt. S. fateor, nã ſum obtuſus pugnis peſſumè.
A. Quis te uerberauit? S. egomet memet, qui nunc ſum domi.
A. Caue quicquam, niſi quod rogabo te, mihi reſponderis.
Omnium primum, iſte qui ſit Soſia, hoc dici uolo.
S. Tuus eſt ſeruos. A. Mihi quidem uno te, plus etiam eſt, q̃ uolo.
Neque poſtquam ſum natus, habui niſi te ſeruom Soſiam.
S. At ego nunc Amphitruo dico, Soſiam ſeruom tuum,
Præter me alterum inquã, aduenien faciam ut offendas domi,
Dauo prognatum patre eodem, quo ego ſum: forma, ætate item
Qua ego ſum. quid opus uerbis? geminus Soſia hic factu'ſt tibi.
A. Nimia memoras mira. ſed uidiſtin' uxorem meam?
S. Quin introire in ædeis nunquã licitum eſt. A. quis te prohibuit?
S. Soſia ille quem iamdudum dico, is qui me contudit.
A. Quis iſtic Soſia'ſt? S. ego inquam, quoties dicendu'ſt?

Sed

A. *Sed quid ais, num obdormiuiſti dudum? S. Nuſquam gentium.*
A. *Ibi forte iſtum ſi uidiſſes quendam in ſomnis Soſiam.*
S. *Non ſoleo ego ſomniculoſe herilia imperia perſequi:*
Vigilans uidi, uigilans nunc uideo, uigilans fabulor,
Vigilantem ille me iamdudum uigilans pugnis cõtudit.
A. *Quis homo? S. Soſia inquam ego ille, quæſo non me intelligis?*
A. *Qui (malùm) intelligere quiſquam potis eſt? ita nugas blatis.*
S. *Verum actûtum noſces, inquam, illum ſeruom Soſiam.*
A. *Sequere hâc igitur me. nam mihi iſtuc primum exquiſito opu'ſt.*
Sed uide efferantur ex naui, quæ iam imperaui omnia.
S. *Et memor ſum, & diligens, ut quæ imperes, compareant.*
Non ego cum uino ſimitu ebibi imperium tuum.
A. *Vtinam di faxint, infecta dicta rectè ueniant tua.*

ALCMENA, AMPHITRVO, SOSIA.

AL. *SAtin' parua res eſt uoluptatum in uita, atq; in ætate*
Agunda præ q̃ quod moleſtu'ſt? ITA QVOIQVE cõpa
Eſt in ætate hominũ, ita dis placitũ, uoluptati ut mœror (ratum
Comes conſequatur, quin incommodi plus, maliq; illico
Adſit, boni ſi obtigit quid. nam ego id nunc experior domo:
Atq; ipſa de me ſcio, quoi uoluptas parumper data'ſt, dum uiri
Mei mihi poteſtas uidendi fuit noctem unam modo,
Atq; is repente abijt à me hinc ante lucem. ſola hic mihi
Nunc uideor, qa ille hinc abeſt, quẽ ego amo præter omĩeis. plus
Ex abitu uiri, quàm ex aduentu uoluptatis cepi. (ægri
Sed hoc me beat, quod perduelles uicit, & domum
Laudis compos reuenit, in ſolatio eſt. abſit: dummodo
Laude parta domũ recipiat ſe, feram, & perferã uſq; eius abitũ
Animo forti, atq; obfirmato, id modò ſi mercedis detur
Mihi, ut meus uictor uir belli redeat, ſatis mihi
Eſſe dicam. VIRTVS præmium eſt optumum, uirtus omnibus
Rebus anteit profecto. libertas, ſalus, uita,
Res, parentes, patria, & prognati tutantur, ſeruantur.
Virtus omnia in ſe habet: oĩa adſunt bona, quẽ pene'ſt uirtus.

AM. Aedepol me uxori exoptatum credo aduenturum domum,
Quæ me amat, quam contrà amo, præſertim re geſta bene,
Victis hoſtibus: quos nemo poſſe ſuperari ratus eſt,
Eos meo auſpicio, atq; ductu primo cœtu uicimus.
Certe enim me illi expectatum, optatum uenturum ſcio.
Quid me expectatum non rere amicæ uenturum meæ?
AL. Meus uir hic quidem eſt. AM. ſequere hâc tu me. AL. nam quid ille reuortitur
Qui dudum properare ſe aiebat? an ille me temtat ſciens?
Atque id ſi uolt experiri, ſuum abitum ut deſyderem,
Ecaſtor me haud inuita ſe domum recipit ſuam.
S. Amphitruo redire ad nauim meliu'ſt nos. Am. qua gratia?
S. Quia domi daturus nemo eſt prandium aduenientibus.
AM. Quî tibi iſtic in mentem uenit? S. quia enim ſerò aduenimus,
AM. Quî? S. quia Alcumenam ante ædeis ſtare ſaturam intellego.
AM. Grauidam ego illam hic reliqui quom abeo. S. hei perij miſer.
AM. Quid tibi eſt? S. ad aquam præbendam adueni domum,
Decumo pòſt menſe, ut rationem te dictare intellego.
AM. Bono animo es. S. ſcin' q̃ bono animo? ſi ſitulam iam cepero,
Nunquam ædepol tu mihi diuino quid creduis poſt hunc diem,
Ni ego illi puteo, ſi occepſo, animam omnem intertraxero.
AM. Sequere hâc me modo: alium ego iſti rei allegabo, ne time.
AL. Magis nunc meũ officiũ facerem, ſi huic eã aduorſum arbitror.
AM. Amphitruo uxorem ſalutat lætus ſperatam ſuam,
Quam omnium Thebis uir unam eſſe optumam dijudicat,
Quamq; adeò ciues Thebani uerò rumiferant probam.
Valuiſtin' uſq;? expectatus aduenio? S. haud uidi magis
Expectatum: cum ſalutat magis haud quiſquam quàm canem.
AM. Et quom grauidã, & quom te pulchre plenam aſpicio, gaudeo.
AL. Obſecro ecaſtor quid tu me deridiculi gratia
Sic ſalutas, atq; appellas, quaſi dudum non uideris?
Quaſi qui nunc primum recipias te domum huc ex hoſtibus?
Atq; me nunc perinde appellas, quaſi multò pòſt uideris.
AM. Immò equidem te niſi nunc, hodie nuſquàm uidi gentium.

AL. Cur negas? AM. quia uera didici dicere. AL. HAVD AEQVOM FACIT,
QVI QVOD DIDICIT, id dediſcit, an periclitamini
Quid animi habeam? ſed quid huc uos reuortimini tam cito?
An te auſpicium commoratu'ſt? an tempeſtas continet,
Qui non abiſti ad legiones, ita ut dūdum dixeras?
AM. Dudum? q̃ dudum iſtuc factu'ſt? Al. temas? iam, pridem, modo.
AM. Quî iſtuc poteſt fieri quæſo, ut dicis, iam, pridem, modo?
AL. Quid enim cenſes, te ut deludam contra luſorem meum,
Qui nunc primum te aduenisſe dicas, modo qui hinc abieris?
AM. Hæc quidem deliramenta loquitur. S. Pauliſper mane
Dum edormiſcat unum ſomnum, quæ * næ uigilans ſomniat. * ne.
AL. Equidem ecaſtor uigilo, & uigilans id quod factu'ſt, fabulor.
Nam dudum ante lucem & iſtunc, & te uidi. Am. quo in loco?
AL. Hic in ædibus, ubi tu habitas. Am. nunquā factu'ſt. S. non taces?
Quid ſi è portu nauis huc nos dormientes detulit?
AM. Hei etiam tu quoq; aſſentaris huic? S. quid uis fieri?
Non tu ſcis BACCHAE bacchanti, ſi uelis aduorſarier,
Ex inſana inſaniorem facies, feriet ſæpius.
Si obſequaris, una reſoluas plaga. AM. at pol quin certa res
Hanc eſt obiurgare, quæ me hodie aduenientem domum
Noluerit ſalutare. S. IRRITABIS CRABRONES. A. tace.
Alcumena unum rogare te uolo. AL. quid uis roga.
AM. Nunc tibi aut ſtultitia acceſsit, aut ſuperat ſuperbia?
AL. Quî iſtuc in mente eſt tibi mi uir percontarier?
AM. Quia ſalutare aduenientem me ſolebas antehac,
Appellare itidem, ut pudicæ ſuos uiros, quæ ſunt, ſolent.
Eo more expertem te factam aduenieus offendi domum.
AL. Ecaſtor equidem te certò heri aduenientem illico
Et ſalutaui: & ualuiſſésne uſq; exquiſiui ſimul
Mi uir, & manum prehendi, & oſculum tetuli tibi.
S. Tún' heri hunc ſalutauiſti? Al & te quoq; etiam Soſia.
S. Amphitruo ſperaui ego iſtam tibi parituram filium.
Verum non eſt puero grauida. Am. quid igitur? S. inſania.

Equi

AL. Equidem ſana ſum: & deos quæſo, ut ſalua pariam filium.
Verum tu magnum malum habebis, ſi hic ſuum officium facit.
Ob iſtud omen ominator capies quod condecet.
S. Enimuero prægnanti oportet & malum dari:
Vt quod obrodat ſit, animò ſi male eſſe occœperit.
AM. Tu me heri hic uidiſti? Al. ego inquam, ſi uis decies dicere.
AM. In ſomnis fortaſſe. Al. immò uigilans uigilantē. Am. uæ miſero
S. Quid tibi'ſt? Am. delirat uxor. S. atra bili percita'ſt, (mihi.
Nulla res tam deliranteis homines concinnat cito.
AM. Vbi primum tibi ſenſiſti mulier impliciſcier?
AL. Equidem ecaſtor ſana, & ſalua ſum. Am. cur igitur prædicas
Te heri me uidiſſe, qui hac noctu in portum aduecti ſumus?
Ibi cœnaui, atque ibi quieui in naui noctem perpetem.
Neque meum pedem huc intuli etiam in ædeis, ut cum exercitu
Hinc profectus ſum ad Teleboas hoſteis, eosq; ut uicimus.
AL. Immò mecum cœnauiſti, & mecum cubuiſti. Am. quid eſt?
Nihil te pudet ſceleſta, populi in conſpectum ingredi?
AL. Vera dico. Am. non de hac quidem hercle re, de alijs neſcio.
AL. Primulo diluculo abijſti ad legiones. Am. quomodo?
S. Rectè dicit, ut commeminit, ſomnium narrat tibi.
Sed mulier poſtquàm experrecta es, prodigiali Ioui
Aut mola ſalſa hodie, aut ture comprecatam oportuit.
AL. Væ capiti tuo. S. tua iſtuc refert, ſi curaueris.
AL. Iterum iam hic in me inclementer dicit, atq; id ſine malo.
AM. Tace tu. tu dic, egóne abs te abij hinc hodie cum diluculo?
AL. Quis igitur illic narrauit mihi, illic ut fuerit prælium?
AM. An & id tu ſcis? Al. quippe quæ ex te audiui, ut urbē maxumam
Expugnauiſſes, regemq; Pterelam tute occideris.
AM. Egóne iſtuc dixi? Al. tute iſtic, etiam aſtante hoc Soſia.
AM. Audiuiſtin' tu me narrare hoc hodie? S. ubi ego audiuerim?
AM. Hanc roga. S. me quidem præſente nunq̄ factu'ſt, quod ſciam.
AL. Mirum, quin te aduorſus dicat. Am. Soſia, agè me huc aſpice.
S. Specto. Am. uera uolo loqui te, nolo aſſentari mihi:
Audiuiſtin' tu hodie me illi dicere ea, quæ illa autumat?

S. Quæſo ædepol, num tu etiam inſanis, quom id me interrogas?
Qui ipſus equidem nunc primum iſtanc tecum conſpicio ſimul.
AM. Quin nunc mulier audin' illum? Al. quin eo fit, mihi
Plurimum & credo, & ſcio iſta eſſe facta perinde, ut proloquor.
AM. Tún' me heri aduenisse dicis? AL. tún' te abijſſe hinc negas?
AM. Nego enimuero, & me aduenire nunc primũ aio ad te domum.
AL. Obſecro etiámne hoc negabis, te auream pateram mihi
Dediſſe dono hodie, qua te illic donatum eſſe dixeras?
AM. Neq; pol ego dedi, neque dixi, uerum ita animatus fui,
Itaq; nunc ſum ut ea te patera donem. ſed quis iſtuc tibi
Dixit? AL. ego quidem ex te audiui, & ex tua accepi manu
Pateram. AM. mane, mane obſecro te: demiror nimis Soſia,
Quî illæc illic me donatum eſſe aurea patera ſciat,
Niſi tu dudum hanc conueniſti, & narrauiſti hæc omnia.
S. Neque pol ego dixi, neque uidi iſtam, niſi tecum ſimul.
AM. Quid ſit hoc hominis? AL. uin' proferri pateram? AM. proferri uolo.
AL. Fiat, tu Theſſala intus pateram proferto foras,
Qua hodie uir meus donauit me. AM. Secede huc tu Soſia:
Enimuero præter alia miror maxume,
Si hæc habet pateram illam. S. an etiam id credis, quam in hac ciſtellula
Tuo ſigno obſignata ferunt? AM. ſaluom ſignũ' ſt? S. inſpice.
AM. Rectè ita ſe, ut obſignaui. S. quæſo quin tu iſtanc iubes
Pro cerita circumferri? AM. ædepol quin facto eſt opus?
Nam hæc quidem ædepol laruarum plena ſunt. AL. quid uerbis opu' ſt?
Hem tibi pateram eccam. AM. cedò mihi. AL. age aſpice huc ſis iam
Tu, qui quæ facta inficiare, quem ego iam hic conuincã palàm.
Eſt ne hæc patera, qua donatus illic? AM. ſumme Iuppiter,
Quid ego uideo? hæc ea' ſt profecto patera: perij Soſia.
S. Aut pol hæc præſtigiatrix mulier multo maxima' ſt,
Aut pateram hic ineſſe oportet. AM. agedum eam ſolue ciſtulã.

Quid

S. Quid ego iſtam exoluam? obſignata'ſt rectè. res geſta eſt bene.
Tu peperiſti Amphitruonem, ego alium peperi Soſiam.
Nunc ſi pateram patera peperit, omnes congeminauimus.
AM. Certu'ſt aperire, atq; inſpicere. S. uideſis ſigni quid ſiet?
Ne poſterius in me culpam transferas. AM. Aperi modo:
Nam hæc quidem nos delirantes facile dictis poſtulat.
AL. Vnde hæc igitur eſt, niſi abs te, quæ mihi dono data'ſt?
AM. Opu'ſt mihi iſtuc exquiſito. S. Iupiter, Iupiter.
AM. Quid tibi'ſt? S. hic patera nulla in ciſtula'ſt. AM. quid ego audio?
S. Id quod ueru'ſt. AM. at cum cruciatu, niſi apparet tuo.
AL. Hæc quidē apparet. AM. quis igitur tibi dedit? AL. qui me rogat.
S. Me captas quòd tute ab naui clanculum huc alia uia
Præcurriſti, atque hinc pateram tute exemiſti, atq; eam
Huic dediſti, poſthac rurſum obſignaſti clanculum.
AM. Hei mihi, iam tu quoq; huius adiuuas inſaniam.
Ain' heri nos adueniſſe huc? AL. aio. aduenienſq; illico
Me ſalutauiſti, & ego te, & oſculum tetuli tibi.
AM. Iam illuc non placet principium de oſculo. AL. pergam exequi,
Lauiſti. AM. quid poſtquā laui? AL. accubuiſti. S. euge optume,
Nunc exquire. AM. ne interpella: perge porrò dicere.
AL. Cœna appoſita'ſt, cœnauiſti mecum, ego accubui ſimul.
AM. In eodem lecto? AL. in eodem. S. hei non placet conuiuium.
AM. Sine modo argumenta dicat. quid poſtquam cœnauimus?
AL. Te dormitare aiebas, menſa ablata'ſt, cubitum hinc abimus.
AM. Vbi tu cubuiſti? AL. in eodem tecum lecto unà in cubiculo.
AM. Perdidiſti. S. quid tibi'ſt? AM. hæc me modo ad mortem dedit.
AL. Quid iam amâbo? AM. ne me appella. S. quid tibi'ſt? AM. perij miſer,
Quia pudicitiæ huius uitium, me hic abſente eſt additum.
AL. Obſecro ecaſtor, cur iſtuc mi uir ex te audio?
AM. Vir ego tuus ſim? ne me appella falſa falſo nomine.
S. Hæret hæc res, ſiquidem hic iam mulier facta'ſt ex uiro.
AL. Quid ego feci, qua iſthæc propter dicta dicantur mihi?

Tute

AM. Tute edictas facta tua, ex me quæris quid deliqueris?
AL. Quid ego tibi deliqui, ſi quoi nupta ſum, tecum fui.
AM. Tun' mecum fueris? quid illac impudente audacius?
Saltem tute ſi pudoris egeas, ſumas mutuum.
AL. Iſtuc facinus, quod tu inſimulas, noſtro generi non decet.
Tu ſi me impudicitiæ captas, non potes capere.
AM. Proh dij immortales cognoſcin' tu me ſaltem Soſia?
S. Propémodũ. AM. cœnauin' ego heri in naui in portu Perſico?
AL. Mihi quoq; adſunt teſtes, qui illud, quod ego dicam, aſſentiant.
AM. Qui teſtes? AL. teſtes. AM. quid teſticularis? enim uno ſat eſt.
Nec nobis præſente, aliquis, niſi ſeruos Aphricanus adeſt.
Si in actione hanc, abſente nobis, inuenerit puer?
S. Neſcio quid iſtud negocij dicam, niſi quiſpiã' ſt
Amphitruo alius, qui forte, te hic abſente tamen, tuam
Rem curet, teq́; abſente hic munus fungatur tuum.
Nanq; de illo ſubditiuo Soſia mirum nimis eſt.
AM. Certe de hoc Amphitruone iam alterum miru'ſt magis.
Neſcio quis præſtigiator hanc fruſtratur mulierem.
AL. Per ſupremi regis regnum iuro, & matremfamiliâs
Iunonem, quam me uereri, & metuere eſt par maxume,
Vt mihi, extra unum te, mortalis nemo corpus corpore
Contigit, quo me impudicam faceret. AM. uera iſthæc uelim.
AL. Vera dico, ſed nequicquam, quoniam non uis credere.
AM. Mulier es, audacter iuras. AL. quæ non deliquit, decet
Audacem eſſe, & confidenter pro ſe, & proterue loqui.
AM. Satis audacter. AL. ut pudicam decet. AM. uerbis probas.
AL. NON EGO ILLAM mihi dotem duco eſſe, quæ dos dicitur:
Sed pudicitiam, & pudorem, & ſedatum Cupidinem,
Deûm metum, parentum amorem, & cognatûm concordiam,
Tibi morigera, atq; ut munifica ſim bonis, proſim probis.
S. Næ iſta ædepol ſi hæc loquitur, examuſſim eſt optuma.
AM. Delenitus ſum profecto ita, ut me qui ſim, neſciam.
S. Amphitruo es profecto, caueſis ne tute uſu perduis:
Ita nunc homines immutantur, poſtquam peregrè aduenimus.

Mulier

AM. Mulier iſtam rem inquiſitam certu'ſt non amittere.
AL. Aedepol me lubente facies. AM. quid ais? reſponde mihi.
Quid, ſi adduco tuum cognatum huc à naui Naucraten,
Qui mecum unà uectus eſt una naui? atq; is ſi denegat
Facta, quæ tu facta dicis, quid tibi æquom'ſt fieri?
Nunquid cauſſam dicis, quin te hoc mulctem matrimonio?
AL. Si deliqui, nulla cauſſa'ſt. AM. cónuenit. tu Soſia
Duc hos intrò, ego huc ab naui mecum abducam Naucraten.
S. Nunc quidem, præter nos, nemo'ſt: dic mihi uerum ſerio,
Ecquis alius Soſia intu'ſt, qui mei ſimilis ſiet?
AL. Abin' hinc à me dignus domino ſeruos? S. abeo, ſi iubes.
AL. Nimis ecaſtor facinus miru'ſt, qui illi collubitum ſiet
Meo uiro me inſimulare falſum facinus tam malum.
Quicquid id eſt, iam ex Naucrate cognato cognoſcam meo.

ACTVS TERTIVS.

IVPITER.

EGo ſum ille Amphitruo, quoius eſt ſeruos Soſia,
Idem Mercurius qui ſit, quando commodu'ſt.
In ſuperiore cœli qui habito cœnaculo,
Qui interdum fio Iupiter, quando lubet.
Huc autem quom extemplo aduentum apporto, illico
Amphitruo fio, & ueſtitum immuto meum.
Nunc huc honoris uoſtri uenio gratia,
Næ hanc inchoatam tranſigam comœdiam:
Simul Alcumenæ, quam uir inſontem probri
Amphitruo accuſat, ueni ut auxilium feram.
Nam mea ſit culpa, quod egomet contraxerim,
Si id Alcumenæ innocenti expetat.
Nunc Amphitruonem memet, ut occœpi ſemel,
Eſſe aſsimulabo, atq; in horum familiam
Fruſtrationem hodie inijciam maxumam.
Pòſt igitur demum faciam, res fiat palàm,
Atque Alcumenæ in tempore auxilium feram.

Faciamq;

Faciamq́; ut uno fœtu, & quod grauida'ſt uiro,
Et me quod grauida'ſt pariat ſine doloribus.
Mercurium iuſsi me continuo conſequi,
Si quid uellem, imperarem. nunc hanc alloquar.

ALCMENA, IVPITER.

A. DVrare nequeo in ædibus. ita me probri,
Stupri, dedécoris à uiro argutam meo?
Ea quæ ſunt facta, infecta eſſe acclamitat:
Quæ neq; ſunt facta, neq; ego in me admiſi, arguit:
Atq; id me ſusq́; deq́; eſſe habituram putat?
Næ ædepol faciam, neq; me perpetiar probri
Falsò inſimulatam. quin ego illum aut deſeram,
Aut ſatisfaciat mihi: atq; adiuret inſuper
Nolle eſſe dicta, quæ in me inſontem protulit.
I. Faciundu'ſt mihi illud, fieri quod illæc poſtulat,
Si me illam amantem ad ſeſe ſtudeam recipere.
Quandò ego quod feci, factum id Amphitruoni obfuit.
Atque illi dudum meus amor negocium
Inſonti exhibuit: nunc autem ſonti mihi
Illius ira in hanc, & maledicta expetent.
A. Et eccum ipſum uideo, qui me miſeram arguit
Stupri, dedécoris. I. te uolo uxor colloqui.
Quò te auertiſti nunc? A. ita ingenium meu'ſt,
Inimicos oſa ſum ſemper obtuerier.
I. Eia autem inimicos? A. ſic eſt, uera prædico:
Niſi etiam hoc falsò dici, inſimulaturus es.
I. Nimis uerecunda es. A. potin es, ut abſtineas manum?
Nam certò ſi ſis ſanus, aut ſapias ſatis,
Quam tu impudicam eſſe arbitrere, & prædices,
Conferas ſermonem, nec ioco, nec ſerio.
Tibi habeas, niſi ſis ſtultior ſtultiſsimo.
I. Si dixi, nihilo magis es, neque eſſe arbitror:
Et id huc reuorti, ut me de hoc purgarem tibi.

Nam nunquam quicquam meo animo fuit ægrius,
Quàm poſteaquam audiui te eſſe iratam mihi.
Cur dixiſti, inquies? ego expediam tibi.
Non ædepol, quo te eſſe impudicam crederem:
Verum periclitatus fui animum tuum,
Quid faceres, & quo pacto id ferre induceres.
Et quidem ioco illa dixeram dudum tibi
Ridiculi cauſſa. uel hunc rogato Soſiam.
A. Quin huc adducis meum cognatum Naucraten,
Teſtem, quem dudum te adducturum dixeras.
Te huc non ueniſſe? I. ſi quid dictu'ſt per iocum,
Non æquom'ſt id te ſerio præuortier.
A. Ego illud ſcio quàm doluerit cordi meo.
I. Per dexteram tuam te Alcumena oro, obſecro,
Da mihi hanc ueniam, ignoſce, irata ne ſies.
A. Ego iſthæc feci uerba uirtute irrita.
Nunc quandò factis me impudicis abſtines,
Ab impudicis dictis auorti uolo.
Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.
Iubén' ire mihi comites? I. ſanán' es? A. ſi non iubes,
Ibo egomet, comitem mihi pudicitiam duxero.
I. Mane, arbitratu tuo iuſiurandum dabo,
Me meam pudicam eſſe uxorem arbitrarier:
Id ego ſi fallo, tum te ſumme Iupiter
Quæſo, Amphitruoni ut ſemper iratus ſies.
A. Ah propitius ſit potius. I. confido fore:
Nam iuſiurandum uerum te aduorſum dedi.
Iam nunc irata non es. A. non ſum. I. bene facis.
NAM IN HOMINVM ætate multa eueniunt huiuſmodi.
Capiunt uoluptates, mox rurſum miſerias.
Iræ interueniunt, redeunt rurſus in gratiam.
Verum iræ ſi quæ forte eueniunt huiuſmodi
Inter eos, rurſum ſi reuentum in gratiam eſt,
Bis tanto amici ſunt inter ſe quàm prius.

Primum

A. Primum cauiſſe oportuit, ne diceres.
Verum eadem ſi iiſdem purgas, mihi patienda ſunt.
I. Iube uerò uaſa pura adornari mihi,
Vt quæ apud legionem uota uoui, ſi domum
Rediſſem ſaluos, ea ego exoluam omnia.
A. Ego iſtuc curabo. I. euocate huc Soſiam,
Gubernatorem, qui in mea naui fuit,
Blepharonem arceſſat, qui nobiſcum prandeat.
Is adeò impranſus ludificabitur.
Quom ego Amphitruonem collo hinc obſtricto traham.
A. Mirum, quid ſolus ſecum ſecretò ille agat.
Atque aperiuntur ædes, exit Soſia.

SOSIA, IVPITER, ALCMENA.

S. AMphitruo adſum. ſi quid opu'ſt, impera, imperium exequar.
I. Optume aduenis. S. iam pax eſt inter uos duos.
Nā quia uos trāquillos uideo, gaudeo, & uolupe'ſt mihi
ATQVE ITA ſeruom par uidetur frugi ſeſe inſtituere,
Périnde ut heri, ipſe item ſit: uoltum è uoltu comparet.
Triſtis ſit, ſi heri ſint triſtes: hilarus ſit, ſi gaudeant.
Sed agè reſponde, iam uos rediſtis in concordiam?
I. Derides, qui ſcis iamdudum hæc me dixiſſe per iocum.
S. An id ioco dixiſti? equidem ſeriò, ac uerò ratus.
I. Habui expurgationem: facta pax eſt. S. optume'ſt.
I. Ego rem diuinam intus faciam, uota quæ ſunt. S. cenſeo.
I. Tu gubernatorem à naui huc euoca uerbis meis
Blepharonem, ut re diuina facta mecum prandeat.
S. Iam hic ero, quom illic cenſebis eſſe me. I. actûtum huc redi.
A. Nunquid uis? quin abeā iam intro ut apparentur, quibus opu'ſt.
. I ſanè, & quantum potes, parata fac ſint omnia.
A. Quin ueni, quando uis, intro: faxo haud quicquam ſit moræ,
Quandò exiuraſti, te mihi hæc dixiſſe per iocum.
I. Recte loquere, & périnde, ut diligentem uxorem decet.
Hi iam ambo, & ſeruos & hera fruſtra ſunt duo.

Qui me Amphitruonem rentur eſſe, errant probe.
Nunc tu diuine huc fac adſis Soſia.
Audis quæ dico, tametſi præſens non ades.
Fac Amphitruonem huc aduenientem ab ædibus
Vt abigas quouis pacto, fac commentus ſies.
Volo deludi illum, dum cum hac uſuraria
Vxore nunc mihi morigero, hæc curata ſient,
Fac ſis perinde adeo, ut me uelle intelligis.
Atque ut miniſtres mihi, quom mihi ſacruficem.

MERCVRIVS.

COncedite, atque abſcedite, omnes de uia decedite.
Nec quiſq̃ tã audax fuat homo, qui obuiã obſiſtat mihi.
Nam mihi quidẽ hercle quî minus liceat deo minitarier
Populo, ni decedat mihi, quàm ſeruolo in comœdijs?
Ille nauem ſaluam nuntiat, aut irati aduentum ſenis:
Ego ſum Iouis dicto audiens, eius iuſſu nunc huc me affero.
Quamobrem mihi magis par eſt uia decedere, & concedere.
Pater uocat me, eum ſequor, eius dicto imperio ſum audiens.
Vt filium bonum patri eſſe oportet, itidem ego ſum patri.
Amanti ſupparaſitor, hortor, adſto, admoneo, gaudeo.
Si quid patri uolup'ſt, uoluptas ea mihi multo maxuma'ſt.
Amat, ſapit, recte facit, animo quando obſequitur ſuo:
Quod omnes homines facere oportet, dum id modo fiat bono.
Nunc Amphitruonem uolt deludi meus, ſaxo probè
Iam hic deludetur ſpectatores uobis ſpectantibus.
Capiam coronam mihi in caput, aſſimulabo me eſſe ebrium.
Atq; illuc ſurſum aſcendero. inde optume eiſpellam uirum
De ſupero: quom huc acceſſerit. faciam, ut ſit madidus, ſobrius.
Deinde ille actûtum ſufferet ſuus ſeruos pœnas Soſia.
Eum feciſſe ille hodie arguet, quæ ego fecero hic. Quid mea?
Meo me æquom'ſt morigerũ patri, eius ſtudio ſeruire addecet.
Sed eccum Amphitruonẽ, aduenit. iam ille hic deludetur probè,
Si quidem uos uoltis auſcultando operam dare.

Ibo,

Ibo intro, ornatum capiam qui potius decet.
Deinde ſurſum aſcendam in tectum, ut illum hinc prohibeam.

ACTVS QVARTVS.

AMPHITRVO.

NAucratem quem conuenire uolui, in naui non erat.
Neq; domi, neq; in urbe inuenio quenquam, qui illum uiderit.
Nam omnes plateas perreptaui, gymnaſia, myropolia,
Apud emporium, atq; in macello, in palæſtra, atq; in foro,
In medicinis, in tonſtrinis, apud omneis ædeis ſacras.
Sum defeſſus quæritando, nuſquam inuenio Naucraten.
Nunc domum ibo, atq; ex uxore hanc rem pergam exquirere,
Quis fuit, quem propter corpus ſuum ſtupri compleuerit.
Nam me, quàm illam quæſtionem inquiſitam amittere,
Mortuum ſatius eſt. ſed ædeis occluſerunt: euge hoc fit
Pariter atq; ut alia facta ſunt: feriam foreis. heus uos,
Aperite hoc, heus ecquis hic eſt? ecquis hoc aperit oſtium?

MERCVRIVS, AMPHITRVO.

M. QVis ad foreis? A. ego ſum. M. quid ego ſum? A. ita loquor. M. tibi Iupiter,
Diq; omnes irati certo ſunt, qui ſic frangas foreis.
A. Quo modo? M. eo modo, ut profecto uiuas ætatem miſer.
A. Soſia. M. ita ſum Soſia, niſi me eſſe oblitum exiſtumas.
Quid nunc uis? A. ſceleſte, at etiam quid uelim, id tu me rogas?
M. Ita rogo, penè effregiſti fatue foribus cardines:
An foreis cenſebas nobis publicitus præberier?
Quid me aſpectas ſtolide? quid nunc uis tibi? aut quis tu es homo?
A. Verbero, etiam quis ego ſim me rogitas? ulmorum acheruns,
Quem pol ego hodie ob iſthæc dicta faciam feruentem flagris.
M. Prodigum te fuiſſe oportet olim in adoleſcentia. A. Quì dum?
M. Quia ſenecta ætate à me mendicas malum.
A. Cum cruciatu tuo iſthæc hodie uerna uerba funditas.

M. Sacrufico ego hunc tibi Iupiter. A. qui? M. quia enim te macto.
A. Tún' me mactes carnufex? niſi formam di hodie meã perdunt,
Faxo ut bubulis corijs onuſtus ſis Saturni hoſtia:
Ita ego te certò cruce, & cruciatu mactabo. exi foras
Maſtigia. M. larua umbratilis, tu me minis territas?
Niſi hinc actûtum fugias, ſi denuo pultaueris:
Si minuſculo digito increpuerint fores, hac tegula
Tuum deminuam caput, ut cum dentibus linguam excrees.
A. Tún' furcifer meis me procul prohibeſsis ædibus?
Tún' meas pultare foreis? haſce illico toto demoliar cardine.
M. Pergin'? A. pergo. M. accipe. A. ſceleſte, in herum? ſi te hodie apprendero,
Ad id te redigam miſeriarum, ut ſemper ſis miſer.
M. Bacchanal te exercuiſſe oportuit ſenex. A. quì dum?
M. Quandò tu me tuum ſeruom cenſes. A. quid cenſeo?
M. Malum tibi, præter Amphitruonem herum noui neminem.
A. Num formam perdidi? mirum quin me norit Soſia.
Scrutabor: egò dic mihi. quis uideor? num ſatis Amphitruo?
M. Amphitruo: ſanúsne es? nonne tibi prædictum ſenex,
Bacchanal te exercuiſſe, quom qui ſis alium rogites?
Abſcede moneo: moleſtus ne ſies, dum Amphitruo
Cum uxore modò ex hoſtibus aduenions, uoluptatem capit.
A. Qua uxore? M. Alcmena. A. quis homo? M. quotiens uis dictũ? Amphitruo
Herus meus: moleſtus ne ſies. A. quicum cubat?
M. Vide ne infortunium quæras, qui me ſic ludifices.
A. Dic quæſo mi Soſia. M. blandius cum Alcumena. A. in eodémne
Cubiculo? M. immò ut arbitror corpore corpus incubat. A. uæ miſero mihi.
M. Lucri'ſt, quod miſeriam deputat. nam uxorem uſurariam
Périnde eſt præbere, ac ſi agrum ſterilem fodiendum loces.
A. Soſia? M. Quid (malùm) Soſia? A. num me nouiſti uerbero?
M. Noui te hominẽ moleſtum, quiue emas litigium. A. adhuc (es.
Amplius, nónne ego herus ſum tuus Amphitruo? M. tu Bacchus

Haud

Haud Amphitruo. quoties tibi dictum uis? num denuo?
Meus Amphitruo uno cubiculo Alcmenam complexu tenet.
Si pergas, cum hic ſiſtam, neque ſine tuo magno malo.
A. Cupio accerſi, utinam pro benefactis di patriam,
Aedeis, uxorem, familiam, cum forma unà perduam.
M. Accerſam equidem: ſed de foribus tu interea ſis uide.
Credo iam quæ uolebat ſacruficia ad epulum conduxit:
Si moleſtus ſis, euades nunquam, quin te ſacruficem.

AMPHITRVO, BLEPHARO, SOSIA.

A. DI uoſtram fidem, quæ intemperiæ noſtram agunt familiam? quæ mira
Video poſtquam aduenio peregre? Nam ueru'ſt quod olim eſt auditum
Fabularier, mutatos Atticos in Arcadia homines,
Et ſæuas belluas manſitaſſe, nec unquam denuo paremibus
Cognitos. B. quid illuc Soſia? magna ſunt, quæ mira prædicas.
Ain' tu alterum te reperiſſe domi conſimilem Soſiam domi?
S. Aio. ſed heus tu, quum ego Soſiam, Amphitruonem Amphitruo, quid ſcis an
Tu forte alium Blepharonem parias? ô di faciant, ut tu quoque
Conciſus pugnis, & illiſis dentibus, id impranſus creduas.
Nã ego ille alter Soſia, qui illic ſum, me malis mulctauit modis.
B. Mira profecto, ſed gradus condecet grandire: nam ut uideo,
Expectat Amphitruo, & uacuus mihi uenter crepitat. A. ecquid aliena
Fabulor? in noſtro olim Thebano genere pluſquã mira memorãt
Martigenam ille aggreſſus belluam magnus Europæ quæſtor anguineo
Repẽte hoſteis peperit ſeminio: & pugnata illac pugna
Frater trudebat fratrẽ haſta, & galea, & noſtræ autorẽ gemis,
Cum Veneris filia angueis repſiſſe tellus Epirotica
Vidit. de ſummo ſummus Iupiter ſic ſtatuit, ſic fatum habet.
Optumi omnes noſtrates pro claris factis diris aguntur malis.

Fata iſtæc me premunt, pertolerarem uim tantam, cladesq;
Exanclarem impatibiles. S. Blepharo. B. quid eſt? S. neſcio quid mali ſuſpicor.
B. *Quid? S. uideſis, herus ſalutator oppeſſulatas ante foreis gradit*
B. *Nihil eſt: famem expectat obambulans. S. curioſe quidem: foreis*
Clauſit, ne præuorteretur foras. B. oggannis. S. nec (enim gannio, nec latro:
Si me audias, obſerues. Neſcio quid ſecum ſolus: puto
Rationes colligit: quid memoret, hinc excipiam, ne propera.
A. *Vt metuo, ne uictis hoſtibus di partam expungant gloriam:*
Totam miris modis noſtram uideo turbatam familiam.
Tum uerò uxor uitio, ſtupro, dedécore me plena enicat.
Sed de patera miru'ſt, erat tamen ſignum obſignatum probè.
Quid enim? pugnas pugnatas prolocuta & Pterelã oppugnatũ.
Noſtris occiſum manibus fortiter. Atat noui iam ludum:
Id Soſiæ factu'ſt opera, qui me hodie quoq; præſentem auſit
Indigne præuortier. S. de me locutus, & quæ uelim minus.
Hominem ne cõgrediamur quæſo, priusq̃ ſtomachum detexerit.
B. *Vt lubet. A. ſi illum datur hodie maſtigiam apprehendere, oſtendam quid ſit*
Herũ fallere minis, & dolis inceſſere. S. audin' tu illum? B. audio.
S. *Illæc machina meas onerat ſcapulas, compellemus ſis hominem.*
Scin' quid uolgo dici ſolet? B. quid dicturus ſis neſcio:
Quid tibi patiundum, ferè hariolor. S. uetu'ſt adagium, FAMES ET MORA
Bilem in naſum conciunt. S. uerùm quidem è loco compellemus
Alacre. Amphitruo? A. Blepharonem audio, mirum quid ad me ueniat.
Opportune tamen ſe offert, ut uxoris facta conuincam turpia.
Quid huc ad me Blepharo? B. oblitus tam cito? quàm diluculo
Miſiſti ad nauim Soſiam, ut hodie tecum conuiuerem?
A. *Nuſquam factum gentiũ. ſed ubi illic ſceleſtus? B. quis? A. Soſia.*
B. *Eccum illum. A. ubi? B. ante oculos, non uides? A. uix uideo præ ira, adeò me iſtic*

Hodie

Hodie delirum fecit. ne te ſacruficem nunquam euades.
Sine me Blepharo. B. auſculta precor. A. dic, auſculto. tu uapula.

S. Qua de re? num ſatis tempori? non ocyus quiui, ſi me
Dædaleis tuliſſem remigijs. B. abſtine quæſo, non potuimus
Noſtros grandius grandire gradus. A. ſiue gralatorius, ſiue
Teſtudineus fuerit, certu'ſt mihi hunc ſcelestum perdere.
En tectum, en tegulas, en obductas fores, en ludificatum herum
En uerborum ſcelus. B. quid mali fecit tibi? A. rogas? ex illo
Tecto excluſum foribus, me deturbauit ædibus. S. egóne?

A. Tu. quid minitabas te facturum, ſi iſtas pepuliſſem fores?
Negas ſceleſte? S. quin negem? en teſtis ampliter, quicum uenio,
Miſſus ſedulò ut ad te uocatum ducerem A. quis te miſit
Furcifer? S. qui me rogat. A. quando gentium? S. dudum, iam, pridem, modo,
Vbi cum uxore domi rediſti in gratiam. A. Bacchus te irritaßit.

S. Nec Bacchum ſalutem hodie, nec Cererem. tu purgari iuſſeras
Vaſa, ut rem diuinam faceres: & hunc me accerſitum mittis,
Vt tecũ prandeat. A. Blepharo, diſperεam, ſi aut intus adhuc fui,
Aut ſi hunc miſerim. dic, ubi me liquiſti? S. domi cum Alcumena coniuge.
Ego à te abiens portum uorſus uolito, hunc tuis uerbis uoco.
Venimus, nec te niſi nũc uideo poſtea. A ſceleſtũ caput cũ uxore?
Nunquam abis, quin uapules. S. Blepharo. B. Amphitruo mitte hunc mea gratia.
Et me audias. A. en mitto, q̃d uis loquere. B. iſtic iamdudũ mihi
Maxuma memorauit mira. præſtigiator forte, aut ueneficus
Hanc excantat tibi familiam: inquire aliunde, uide quid ſiet:
Nec ante hũc excruciatum miſerum facias, quàm rem intellegas.

A. Recte mones, eamus, te aduorſum uxori etiam aduocatum uolo.

IVPITER, AMPHITRVO,
SOSIA, BLEPHARO.

I. QVis tam uaſto impete has foreis toto conuolſit cardine?
Quis ante ædeis tantas tandiu turbas concitat? quem ſi compercero,

Telebois ſacruficabo manibus. nihil eſt, ut dici ſolet,
Quod hodie bene ſuccedat mihi, deſerui Blepharonẽ, & Soſiam
Vt cognatum Naucraten conuenirem: hunc non reperi, & illos perdidi.
Sed eos uideo: ibo aduorſum, ut ſi quid habeant, ſciſciter. S. Blepharo, illic qui
Ex ædibus, herus eſt, hic uerò ueneficus. B. proh Iupiter
Quid intueor? hic non eſt, ſed ille Amphitruo, iſtic ſi fuat,
Illum ſanè non eſſe oportuit, niſi quidem ſit geminus.
I. Eccum cum Blepharone Soſiam: compellabo hos prius. Soſia,
Tandem ad nos? eſurio. S. dixin' tibi hunc ueneficum?
A. Imò hunc ego, Thebani ciues, qui domi uxorem meam
Impudicitia impediuit, per quem teneo theſaurum ſtupri.
S. Here, ſi tu nunc eſuris, ego ſatur pugnis ad te uolito.
A. Pergin' maſtigia? S. abi ad Acherontem ueneſice. A. mén' ueneficum?
Vapula. I. quæ hoſpes intemperiæ, ut ut meum uerberes? A. tuum? I. meum.
A. Mentiris. I. Soſia i intro, dũ hunc ſacruſico, fac paretur prandiũ.
S. Ibo. Amphitruonem (arbitror) ita comiter Amphitruo
Accipiet, ut dudum memet ego ille alter Soſia Soſiam.
Interea dum iſti certant, in popinam deuortundũ 'ſt mihi:
Lances detergam omneis, omneisq; trullas hauriam. I. tún' me
Mentiri ais? A. mentiris inquam, meæ corruptor familiæ.
I. Ob iſtuc indignum dictum, te obſtricto collo hâc arripiam.
A. Væ miſero mihi. I. an id præcauiſſe oportuit? A. Blepharo ſuppetias mihi.
B. Conſimiles ſunt adeò, ut utri adſim, neſciã: rixam tamen (dere:
Vt poteſt, dirimam. Amphitruo noli Amphitruonẽ duello pex-
Linque collum precor. I. hunc tu Amphitruonem dictitas?
B. Quid ni? unus olim, nunc uerò partus eſt geminus,
Dum tu uis eſſe, alter quoq; eſſe forma non deſinit.
Interea quæſo collum linque. I. linquo: ſed dic mihi, uidetúrne tibi

Iſtis

Iſtic Amphitruo? B.uterque quidem. A. proh ſumme Iupiter, ubi hodie (gas?
Mihi formã adimis, pergo quærere:tún' Amphitruo? I.tu ne-
A. Pernego,quandò Thebis,præter me,nemo'ſt alter Amphitruo.
I. Imò,præter me,nemo: atq; adeo,tu Blepharo iudex ſies.
B. Faciam id ſi queo ſignis palàm,tu reſponde prius. A. lubens.
B. Antequam cum Taphijs à te pugna ſit inita, quid mandaſti mihi?
A. Parata naui,clauo hæreres ſedulo.
I. Vt ſi noſtri fugam facerent,illuc me tuto reciperem.
A. Item aliud,ut bene nummatum ſeruaretur marſupium.
I. Quæ pecuniæ? B. taceſis tu,meu'ſt quærere. ſciſti numerum?
I. Talẽta quinquaginta Attica.B.hic examuſsim rẽ enarrat.& tu,
Quot Philippei? A.duo milia. I.oboli uerò bis totidẽ. S. uterq;
Rẽ tenet probè. intus in crumena clauſum alterũ eſſe oportuit.
I. Attende ſis,hac dextera (ut noſti)regem mactaui Pterelam,
Spolia ademi & pateram,qua ille potare ſolitus eſt:in ciſtella
Pertuli:dono uxori meæ dedi,quicum hodie domi laui,
Sacruficaui,cubui. A. hei mihi,quid audio? uix apud me ſum,
Vigilans quippe dormio:uigilãs ſomnio, uiuos & ſanus intereo.
Ego idem ille ſum Amphirtuo, Gorgophonis nepos,imperator Thebanorum
Et Creontis unicus,Teleboarum perduellis,qui Acarnanes
Et Taphios ui uici,& ſumma regem uirtute bellica.
Illiſce præfeci Cephalum magni Deionei filium.
I. Ego idem latrones hoſtes bello & uirtute còntudi.
Electrionem perdiderant,noſtræ & germanos coniugis,
Achaiam, Aetoliam, Phocidem. per freta Ionium,& Aegæum, & Creticum
Vagati ui uortebant piratica. A. di immortales,mihimet
Non credo:ita omnia, quæ facta illic,examuſsim loquitur. Vide
Blepharo. B. unum supereſt: id ſi fuat, Amphitruones ſitote gemini.
I. Quid dicas noui:cicatricem in dextro muſculo ex illoc uolnere

Quod

Quod mihi impegit Pterela. B. eam quidem. A. appoſite. I. uiden'? en aſpice.

B. Detegite, aſpiciam. I. deteximus, uide. B. ſupreme Iupiter
Quid intueor, utriq; in muſculo dextero, eodem in loco,
Signo eodem apparet probe, ut primum coiuit cicatrix ruſula,
Sublurida. Rationes iacent, iudicium ſilet. quid agam neſcio.
Vos inter uos iſtæc partite, ego abeo, mihi negociu'ſt
Neque unquam ego uſquam tanta mira me uidiſſe, cenſeo.

A. Blepharo quæſo te, ut aduocatus mihi adſis, neue abeas. B. uale
Quid opu'ſt me aduocato? quin utri ſim aduocatus neſcio.

I. Intrò ego hinc eo: Alcumena parturit. A. perij miſer:
Quid agam, quem aduocati iam, atq; amici deſerunt?
Nunquam ædepol me inultus iſtic ludificauerit, quiſquis eſt.
Nam iam ad regem rectà me ducam, remq́;, ut facta'ſt, eloquar.
Ego pol illum ulciſcar hodie Theſſalum ueneficum,
Qui peruorſe adeò perturbauit familiæ mentem meæ.
Sed ubi ille'ſt? intro ædepol abijt, credo ad uxorem meam.
Quiſnam me Thebis alter uiuit miſerior? quid nunc agam,
Quem omnes mortales ignorant, & ludificant, ut lubet?
Certu'ſt introrumpam in ædibus. ubi quenq; hominẽ aſpexero,
Siue ancillam, ſiue ſeruom, ſiue uxorem, ſiue adulterum,
Siue patrem, ſiue auom uidebo, obtruncabo in ædibus.
Neq; me Iupiter, neq; dij omnes id prohibebunt, ſi uolent,
Quin ſic faciam, ut conſtitui. pergam in ædibus nunc iam.

ACTVS QVINTVS.

BROMIA, ancilla, AMPHITRVO.

✱ Spes B. DApes atq; opes uitæ meæ iacent ſepultæ in pectore,
Neq; ulla'ſt confidentia iam in corde, quin amiſerim:
Ita mihi uidentur omnia, mare, terra, cœlum conſequi,
Iam ut opprimar, & enicer. me miſeram, quid agam neſcio:
Ita tanta mira in ædibus ſunt facta: uæ miſeræ mihi.
Animo male eſt, aquã uelim. corrupta ſum, atq; abſumpta ſum.
Caput dolet, neque audio, nec oculis proſpicio ſatis,

Nec

Nec me miſerior fœmina'ſt, nec ulla uideatur magis,
Ita heræ meæ hodie contigit. Nam ubi parturit, deos inuocat:
Strepitus, crepitus, ſonitus, tonitrus, ut ſubito, ut propere, ut tonuit ualide?
Vbi quiſq; inſtiterat, concidit crepitu. ibi neſcio quis maxuma
Cum uoce exclamat: Alcumena, adeſt auxilium, ne time:
Et tibi, & tuis omnibus propicius cœli cultor aduenit.
Exurgite, inquit, qui terrore meo occidiſtis præ metu.
Vt iacui, exurgo: ardere cenſui ædeis, ita tum fulgebant.
Ibi me inclamat Alcumena: iam ea res me horrore afficit,
Herilis præuortit metus ocyus: accurro, ut ſciſcam quid uelit.
Atque illam geminos filios pueros peperiſſe conſpicor.
Neq; noſtrum quiſquā ſenſimus quom peperit, neq; præuidimus.
Sed quid hoc? quis hic eſt ſenex, qui ante ædeis noſtras ſic iacet?
Numnam hunc percuſſit Iupiter? credo ædepol, nā proh Iupiter,
Sepultus, quaſi ſit mortuus. ibo, & cognoſcam quiſquis eſt.
Amphitruo hic quidem herus meus:
Amphitruo? A. peri. B. ſurge. A. interij. B. cedò manum.
A. *Quis me tenet? B. tua Bromia ancilla. A. totus timeo, ita me increpuit*
Iupiter, nec ſecus eſt, q̄ ſi ab Acheronte ueniam. ſed quid tu foras
Egreſſa es? B. eadem nos formido timidas terrore impulit.
In ædibus, ubi tu habitas, nimia mira uidi: uæ mihi
Amphitruo, ita mihi animus etiam nunc abeſt. A. agedū expedi.
Scin me tuum eſſe herum Amphitruonem? S. ſcio. A. uide etiam nunc. S. ſcio.
A. *Hæc ſola ſana mihi reſtat meorum familiarium.*
B. *Immò omnes ſani ſunt profecto. A. at me uxor inſanum facit*
Suis fœdis factis. B. at ego faciam, tu idem ut aliter prædices
Amphitruo, piam, & pudicam eſſe tuam uxorem ut ſcias:
De ea re ſigna, atq; argumenta paucis uerbis eloquar.
Omnium primum tibi Alcumena geminos peperit filios.
A. *Ain' tu geminos? B. geminos. A. di me ſeruant. B. ſine me dicere:*
Vt ſcias tibi, tuæq; uxori deos eſſe omneis propicios.

Loque-

A. Loquere. B. poſtquam parturire hodie uxor occœpit tua,
Vbi utero exorti dolores, ut ſolent puerperæ,
Inuocat deos immortaleis, ut ſibi auxilium ferant,
Manibus puris, capite operto. ibi continuò contonat
Sonitu maximo. ædeis primo ruere rebamur tuas:
Totæ ædes conſulgebant tuæ, quaſi eſſent aureæ.
A. Quæſo abſoluito hinc me extemplò, quando ſatis deluſeris.
Quid fit deinde? B. dum hæc aguntur, interea uxorem tuam
Neq; gementem, neq; plorantem noſtrum quiſquam audiuimus.
Ita profecto ſine dolore peperit. A. iam iſtuc gaudeo,
Vtut erga me merita. B. iſtæc mitte, atq; hæc quæ dicā, accipe.
Poſtquam peperit pueros, lauere iuſſit nos: occœpimus.
Sed puer ille, quem ego laui, ut magnus eſt, & multum ualet.
Neq; eum quiſquam colligare quiuit in cunabulis.
A. Nimia mira memores, ſi iſtæc uera ſunt: diuinitus
Non metuo quin meæ uxori latæ ſuppetiæ ſient.
B. Mage iam faxo mira dices. poſtquam in cunas conditus eſt,
Deuolant angues iubati deorſum in impluuium duo:
Maxumi, continuo extollunt ambo capita. A. hei mihi.
B. Ne paue. ſed angues oculis omneis circumuiſere.
Poſtquam pueros conſpicati, pergunt ad cunas citi.
Ego cunas receſſim rurſum prorſum trahere, & ducere
Metuens pueris, mihi formidans, tantoq; angues acrius
Perſequi. poſtquam conſpexit angues ille alter puer,
Citus è cunis exilit, facit rectà in angueis impetum.
Alterum altera apprehendit eos manu perniciter.
A. Mira memoras, nimis formidoloſum prædicas facinus.
Nam mihi horror membra miſero percipit dictis tuis.
Quid fit deinde, porrò loquere. B. puer ambos angueis enicat.
Dum hæc aguntur, uoce clara exclamat uxorem tuam.
A. Quis homo? B. ſummus imperator diuûm, atque hominum
Iupiter.
Is ſe dixit cum Alcumena clàm conſuetum cubilibus,
Eumq; ſuum filium eſſe, qui illos angueis uicerit,

Alte

Alterum tuum eſſe dixit puerum. A. pol me haud pœnitet
Scilicet boni dimidium mihi diuidere cum Ioue.
Abi domum, uaſa pura iube actûtum adornari mihi,
Vt Iouis ſupremi multis hoſtijs pacem expetam.
Ego Tireſiam coniectorem aduocabo, & conſulam,
Quid faciundum cenſeat, ſimul hanc rem, ut facta'ſt, eloquar.
Sed quid hoc? quàm ualidè tonuit? di obſecro uoſtram fidem.

IVPITER.

Bono animo es, adſum auxilio Amphitruo tibi, & tuis.
Nihil eſt quòd timeas. hariolos, aruſpices
Mitte omneis: quæ futura, & quæ facta eloquar
Multò adeò melius, quàm illi, quum ſum Iupiter.
Primum omnium Alcumenæ uſuram corporis
Cepi: ex concubitu grauidam feci filio,
Tu grauidam item feciſti, quom hinc in exercitum
Profectus. uno partu duo peperit ſimul.
Eorum alter, noſtro qui eſt ſuſceptus ſemine,
Suis factis te immortali afficiet gloria.
Tu cum Alcumena uxore antiquam in gratiam
Redi. haud promeruit, quamobrem uitio uorteres:
Mea ui ſubacta'ſt facere. ego in cœlum migro.

AMPHITRVO.

Faciam ita, ut iubes, & te oro, promiſſa ut ſerues tua.
Ibo ad uxorem intrò, miſſum faciam Tireſiam ſenem.
Nunc ſpectatores, Iouis ſummi cauſſa clarè plaudite.

IN M.

IN M. ACTII PLAVTI AMPHITRYONEM ANNOTATIONES *autore* G. LONGOLIO *Vtricenſi.*

AMphitryo eſt ἐπιγραφὴ, id eſt inſcriptio fabulæ, qua dramatis σύςασις mõſtratur. Dicta autem eſt à perſona, quæ propemodum præcipuas partes in ea habet. Nam ne Iuppiter appellaretur, comicorum leges obſtabant, quibus tanta libertas imponendi nominis uſurpare, non eſt permiſſa. A perſona autem nomẽ inuenit. Nam tribus tantum è rebus nominantur fabulæ. Perſona, ut πλοῦτος, Phormio, Bacchides, Amphitryo: loco, ut Σαλαμίνη τοῦ Διφίλου, Andria: facto ut, Θεσμοφοριάζουσαι, Eunuchus, Aſinaria. Eſt autem hæc plane motoria, & propter maximas turbationes, quas error circa illuſtres perſonas comparat, fere in tragicos affectus motusq́; exuperat. Quin & tonitrua fulminaq́; Iouis in re præſenti imitatur. Non igitur abſurde Plauto Tragicocomœdia, noua compoſitione dicitur, de qua ſuo loco. In hac primas partes occupat cum Ioue Amphitryo, ſecundas Mercurius cum Soſia, tertias Alcmene, & ſic deinceps reliquæ perſonæ. Prologum habet iuxta legem Comicorum τῆς νέας κωμῳδίας ὑποθετικὸν hoc eſt argumentatiuum, ſed admixtis iocis ac facetijs gratioſum. Protaſis inæqualis & turbulentior paulo. Epitaſis nimium tumultuoſa. Cataſtrophe plane tragica, ſed quæ ſub finem ex inſperato in maximas tranquillitates cõponitur. Prologum autem & argumentũ recenſet Mercurius propter ſymbolum & typũ facundię quem deus ille gerit. Quodq́; mantices non expers, quę futura ſunt facile prędicere credatur.

Dramatis Perſonæ.

Quæ Græcis δράματα παρὰ τὸ δρᾷν, has Latini à faciendo fabulas, & factibulas appellauerunt, ſi quid credimus Diomedi. Sed ut apud illos δρᾶμα tantummodo comicum argumentum denotat, ita fabula noſtris autoribus communior eſt, & latius patet, nam & μῦθον non aliter interpretamur. Vnde exiſtimandum eſt ueteres quum τὸ δρᾶμα intelligebant factibulam à nomine rei uocitaſſe, poſteriores uero argumentum dixiſſe, quo maxime ab apologis diſgregarentur, Hoc autem fictam rem, quæ tamen fieri potuit definiunt.

miunt. Et cum in perſonarum actionibus omnino conſiſtat, præcipiunt peritiores ut in effingendo cuiuſuis officio, ſecundum decorum laudem quærat, nempe ut ſimul cum rebus ipſis perſonarum ſermones & animi poſſint perſpici. Quod animaduertenti non minus in Plauti, quàm Terentij comœdijs obſeruatu manifeſtũ erit. Nam ut de Mercurio exemplum ſumamus quàm uenuſtus ac lepidus in dictis & factis fingitur, idq́ iuxta proprietatem quam tribuit illi Homerus & reliqui poëtæ, quàm apte ſeruulum exhibet? qua confidentia herum ſubdititium ſubmouet? Iouem uero ut minime hiſtrionem, ſed ut deum agnoſcas, & ipſum oratione tranquillũ, & ſedatum & tranquillantem omnia. Quid Amphitryonem pro fortitudine & animi magnitudine, nonne grauiſſime ferentem omnia, neq; tamen doloribus ſuccumbentem? Alcmenam autem, ut pudicam decet, confidentem, & in ſui defenſionem nuſquam trepidã. Sunt autem hæc nomina, aut ex hiſtorijs, aut poëtarum ſcriptis deſumpta, quare inutile & ridiculum fortaſſis in his exquirere etymum, quod in reliquis tamẽ liceat. Quis enim non uidet Soſiam ἀπὸ τοῦ σώζειν deduci poſſe? nempe quod in bello non occiſus, ſed ſeruatus ſit, unde etiam prima ſeruitus initium accepit. Blepharo uero ἀπὸ τοῦ βλέπειν, quod eſt aſpicere, adtendere & diligenter conſiderare. Hoc enim probi gubernatoris aut arbitri officium. Bromia uero à furore bacchico, quod bacchantium more turbata furere ex tonitru & fulguratione ſubita uidebatur. Atq; hæc fingẽdorum nominũ ratio & procliuitas latè patet, quare per me quiſq; his utatur ſuo iudicio. Sed quæret aliquis cur ubiq; Amphitruo, & non potius iuxta Græcã rationem Amphitryo ſcribatur. Itaq; dicimus id non aliqua ratione, ſed conſuetudine ueterum receptum eſſe, qui υ Græcorum uocalem in u Latinum uertere ſolent, quod notauit Priſcianus lib. primo, cum ait υ & ζ tantummodo ponuntur in Græcis dictionibus, quamuis in multis ueteres hæc quoq; mutaſſe inueniantur & pro υ, u, ut fuga, murrha, pro φυγὴ μύῤῥα. Alibi id Aeolenſium imitatione fieri oſtendit. Illi enim inquit, θουγάτηρ dicunt pro θυγάτηρ, ου corripientes, uel magis υ ſono u pronunciare ſoliti, ideóq; adſcribunt o non ut diphthongon faciant ibi, ſed ut ſonum υ Aeolicum oſtendant, ut Callimachus καλλιχόρου χθόνος θυρίας θυγάτηρ.

ARGVMENTVM.

In faciem uer.) Adiecta ſunt pleriſq; omnibus comœdijs argumenta carmine Iambico Senario, eaq́; ſubinde duplicia extant, ex quibus alterum aut τεχνικὸν aut μιμιάμβον ab artificio & imitatione dicitur, nam in literis initiantibus primas cuiuſq; uerſus dictiones inſcriptio ſeu nomē comœdiæ repræſentatur. Et celebres autores ſunt licet recentiores, qui iſta ipſa à Plauto per iocum & elegantiam confiſta aſſerere non dubitant. Certe nos uerſum iſtum qui extat in argumento militis glorioſi: Suum acceſſit herū Athenis atq; inde adſorat: Plauti nomine à Nonio citatum offendimus, ſed dictionibus aliquantulum inuerſis Guarinus Veronenſis in epiſtola illa, quam ſcripſit Scipioni Carteromacho, inter cætera quæ de Priſciano refert, poëticen quoq; tractaſſe illum, & in Plautinas fabulas ſingula argumenta ſcripſiſſe probat.

Amore captus Alcumenæ.) Non putarim omittendum &ſi exiguum eſt quod de Alcmenæ apud Latinos pronunciatione obſeruaui, nempe pro autorum arbitrio, nūc triſſyllabum, nunc tetraſyllabum inueniri, quemadmodum enim hoc loco τετρασυλλαβικῶς ſcribi debet, ſi trimeter ſuis partibus conſtabit, ſic in poſtremo huius argumenti uerſu, iuxta Græcam ἐκφώνησιν tribus tantum contentum erit.

Primus ſic legendus:

Amo, re cap, tus Al, cume, næ, Iup, piter.

Poſtremus autem hoc modo:

Rem omnem, noſcunt, geminos, Alcmen, eni, titur.

Non ut uulgati codices habent, Omnem rem, noſcunt, geminos Alcumena enititur.

PROLOGVS.

Vt uos in uoſtris uultis mercimonijs.

Hic prologus non ſolum ὑποθετικὸς eſt, nempe argumentatiuus, id eſt argumentum declarans fabulæ, uerum etiam συστατικὸς, hoc eſt commendatiuus, commendatur enim ſpectatoribus fabula à perſona Iouis, reliquarumq́; in hac illuſtrium perſonarum. Et cum τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ſit, nullo præmiſſo prologo mox actionem inſtituere, inuentum eſt à Menandro & reliquis τῆς νέας κωμῳδίας poëtis, ut populo (quo docilior eſſet, & magis rei perceptione afficeretur) argumentum fabulæ paucis uerbis ſubijceretur, quos ſecuti

Latini

Latini idem factitaſſe creduntur. Quamuis Terentius inuidia maleuolorum depreſſus, propemodum non ſpectatori, ſed ſibi prologum contexere ſolet, cum in reliquis fabulæ partibus minus idonee idipſum poſſet. Principio à ſua perſona beneuolentiam captat Mercurius, propoſita ſpe premij, qua ueluti ad ſilentij facultatem eos inuitat. Deinde attentionem, dum ſe Iouem hiſtrionem adducere profitetur, rem ſcilicet nouam & magnam, quod eę tragœdijs perſonę magis conueniant. Narratio ipſa, ad docilitatem in comœdijs inſtituta eſt. Cæterum non temere προλογίζοντα Mercurium poëta inducit, ſed quo eius interuentu tumultuantibus, ut fieri ſolet, de loco ſpectatoribus ſilentium imponatur, hoc autem illo ſuperueniente fieri ſolere, teſtatur Græcorum παροιμία, ὁ ἑρμῆς ἐπεισελήλυθεν: uidelicet quod ab ore illius turba omnis pendeat: facit itaq; ſilentium ingreſſus Mercurius. Item cum eloquentiæ Deus & omnium bonarũ artium præſes ſit, & ob id à Græcis λόγιος appellatus, item pręco deorum, cuius officium eſt auritum reddere populum ut alibi loquitur poëta, recte argumentum narrat.

Vt uos in uoſtris.) Recte ab ea re beneuolentiam & fauorem captat, qua maxime afficiuntur omnes & alliciuntur. Id autem eſt lucrum.

Me lætum.) Deos lætos uocamus propitios & fauentes: contra triſtes qui in humanæ uitæ pernitiem coniurarunt, quos Erebus dicitur produxiſſe.

Nuncijs præſum & lucro.) De nuncijs hoc adeo uerum eſt, nam Homerus & Heſiodus illum διάκτορον, ἀπὸ τοῦ διάγειν τὰς ἀγγελίας, hoc eſt à curandis mandatis appellãt. Qui & deorum nuncius prædicatur ἐπεὶ τὸ βούλημα (inquit Pharnutus) τῶν θεῶν γινώσκομεν ἐκ τῶν ἐνδιδομένων ἡμῖν κατὰ τὸν λόγον ἐνεργειῶν.

Et lucro.) Autor eſt Feſt. Pompeius Mercurium à mercibus eſſe dictum. Hunc enim negotiorum omnium æſtimabant deum eſſe. Et Romæ idibus Maijs Mercatorum dies feſtus erat, quod eo die Mercurij ædes eſſet dedicata. Apud Suidam legimus Mercurium καὶ τοῦ κέρδους αἴτιον, καὶ τῶν ἐμπορίων ἔφορον. Et ob id inquit, ſtatuam illi ponunt cum marſupio. Quamuis hoc Phœnicum fiat conſuetudine qui omnes deos burſiferos pingunt, nempe auro indicantes potentiam deorum. Aurum enim ſymbolũ potentię. Græci quoq; Mercurium ἀπὸ τοῦ κέρδος κερδῷον quaſi lucrorum conciliato

rem ſiue lucrarium, quia negociatorum lucra augebat, uocabant. Lucianus in Timone. ὦ Ζεῦ τεράστιε καὶ Ἑρμῆ κερδῷε, πόθεν χρυσίον τοσοῦτον. Ariſtophanes autem in Pluto, ἐμπολαῖον, quia credebatur auctionibus, ac mercimonijs præeſſe. Apud eundem etiam στροφαῖος dicitur, quod bene uerteret negotia. Præterea ἀγοραῖος quod fori curam haberet nominatus eſt, quæ nomina apud Pharnutum breuiter ſic explicantur. λέγεται δὲ καὶ ἀγοραῖος πρῶτος, εἰκότως. Ἐπίσκοπος γὰρ τῶν ἀγοραζόντων ἢ πιπρασκόντων, ὡς μετὰ λόγου πάντα ποιεῖν δεόντως ἐντεῦθεν καὶ τῶν ἐμποριῶν ἐπιστάτης ἔδοξεν εἶναι, καὶ ἐμπολαῖος, καὶ κερδῷος ἐπωνομάσθη. Hoc eſt: Appellatur autem & Agoręos principio quidem recte, quod ſit præſes & curator ementiũ & uendentium, quod ſine mediante ſermone fieri haud quaquam poteſt, hinc etiam uenalitium rerum præfectus eſſe putatur, & Empolęos & Cerdoos appellatus eſt. Recte igitur lucro præeſſe creditur. Certe Plautus noſter in Pœnulo, propter lucrũ ait Mercurium minime gaudere damno. Apud eundem Mercatores reuerſi re feliciter peracta, huic deo gratias agunt.

Etenim ille cuius.) Iocus quo ludit in hiſtrionem, actoremq; Iouem. Et Homerus homines non ſolum miſeros, ſed & timidos appellat hoc epitheto δειλοὶ βροτοί.

Propterea pace aduenio.) Hæc loquitur tanquàm εἰρηνοποιός, id eſt, pacificans Mercurius, cuius ſymbolum eſt in caduceo, quo ſigno inimiciſſimos quoſq; conciliare poterat, autore Macrobio. Huic quoque legati cum pacem peterent ouem ſacrificabant.

Architectus omnibus.) Sunt qui per ἔκλειψιν τοῦ præpoſitionis ui dictum putent, alij figurate per ἀντίπτωσιν interpretantur, omnibus pro omnium. Sed nihil refert ſi abſq; figura ueniat, quæ locutio apud Græcos creberrima eſt. Eſt autem architectus metaphoricè princeps & primarius adminiſtrator, cuius conſilio & prudentia res omnis conficitur. Omnibus architectus, cuius nomine & potentia omnes gubernamur. Apud Ciceronem pro Cluentio in malam partem accipitur. Principem, inquit, atq; architectum ſceleris.

Nunc quam rem oratu.) Familiare Plauto eſt, ut ſæpius propoſitionem repetat, deinde aliquid admiſceat, quo ſpectatorem exhilaret.

Quid contraxiſtis frontem.) Contrahere frontem prouerbiale ſchema pro triſtiorem ſe oſtẽdere, ſumptum à moribus

ribus hominum. Græci eadem ratione ὀφρῦς συνάγειν, id eſt, ſupercilium contrahere dicunt, ut Ariſtophanes in Pluto. ἐσκυθρωπάζονθ᾽ ἅμα. Magna enim uis oſtentandi affectus in fronte, & illis partibus eſt, ut teſtatur Plinius.

Quid animi uoſtri.) Εναλλαγὴ pronominis, pro uobis, ponitur enim & aliâs pro primitiuo poſſeſſiuum.

Tragicocomœdia.) Perſonæ ſiquidem tragicæ ſunt, ſed actionis genus comicum. Vide Chiliades Eraſmi, deus ex improuiſo apparens. Sed ex ipſius poëtæ uerbis uis uocabuli pateſcit.

Vt conquiſitores.) Conquiſitores olim ad cogendos exercitus mittebãtur. Inuenio & conquiſitores fuiſſe iudices, qui poſtea quęſitores, & cẽſores appellari cœpti ſunt. Quare ſimpliciter dictum arbitror, pro ijs qui inquirerent in ambitioſos hiſtriones, & ſpectatores, non ex merito, ſed fauore actoribus applaudentes.

Si quoi fautores delegatos.) Delegare inquit Nonius aliquando ſignificat diſcedere & diſpartire more ueterum, citatq́ue hoc Plauti carmẽ, quod omnino male hanc ſignificationẽ innuit. Ego uſum uocabuli apud probatos Latinę linguæ magiſtros animaduertens, adornare aliquem ad negotium faciundum ſignificare inuenio. Et hic eſt ſenſus ut mihi uidetur germanus. Iubet enim Iuppiter ut quæſitores eant ſubſelliatim, per totam caueam ſpectatoribus, ut ſi cui hiſtrioni ſcilicet, fautores delegatos inter ſpectatores cognouerunt, &c.

Siue qui ambiſſent palmam hiſtrionibus.) Cœlius hic mira de lente. Difficultas hic quidem nulla eſt ſi rara loquẽdi figura intelligatur. Nam ut dicimus frequentiſſime, ambire honores, ita rariſſimum eſt, ambire aliquid alicui, ut id nimirum accipiat. Sic ambire palmam hiſtrionibus, eſt operam dare, aut precibus aut corruptionibus inſtare, ut hiſtriones palmam accipiant.

Siue cuiq; artifici.) Ipſos ſcænicos nunc artifices uocat.

Siue adeo ædiles.) Horum enim autoritate & uoluntate comœdiæ agebantur. Nam ipſi comœdos conducebant & introducebant & inter certantes arbitros ſe gerebant, pręmiaq́ue uictori conſtituebant.

Eſſe in legem.) Alij redundare, alij perturbatum ordinem uocum, præpoſitionem quoq; turbatam exiſtimant. Ego eſſe in legem ἁπλῶς pro legitimũ & iuſtum intelligo.

Virtute dixit.) Dixit, Græco more pro iuſſit, non diſplicet quod in quibuſdam codicibus edixit legitur, præſertim cum ad ædiles alludat.

Qui ſibi mandaſſent.) Sibi pertinet ad plauderent, & in uſum ſuum ſignificat.

Quiue quo placeret alter.) Hoc eſt, & actores corrupti cum poſſint bene agere, peruerſe faciunt, ut priores uincant. Certe ad hunc locum rectius intelligendum, non eſt inutile Ciceronis uerba legiſſe ex diuinatione quæ ſic habent. Vt in actoribus Græcis fieri uidemus, ſæpe illum qui eſt ſecundarum, aut tertiarum partium, cum poſſit aliquanto clarius dicere quàm ipſe primarum, multum ſummittere, ut ille princeps quàm maxime excellat: ſic faciet Halienus, tibi ſeruiet, tibi lenocinabitur, minus aliquanto contendet quàm poteſt.

Et corium uti conciderent.) Per corium Cœlius lib. 8. cap. 7. fuſtigationem intelligit, reiicit autem eos qui coriaceam perſonam interpretantur. Quod an recte faciat, alij uiderint, mihi certe placet aliorum cenſura, cum non ignorem ex corio perſonas olim fieri ſolitas. Vnde prouerbium Ariſtophanis σκύτη βλέπειν, id eſt, Coria tueri, quod horribiles uultus huiuſmodi perſonæ oſtendant. Prius autem utebatur perſonis ex corticibus arborum excauatis & perforatis ut ex Georgico Maronis conſtat. Et grandis olim contumelia & iniuria (quæ & adhuc obtinet) fuit, hiſtrionibus perſonas detrahere. Quinetiam nefas fuit olim hiſtriones nominatim in proſcenio appellare, ut ex autore ad Herennium cognoſci datur. Non diſplicet, quod corium per συνκεδοχὴν ædiculas corio tectas, quæ ſtatuebantur in proſcenio quoſdam interpretatos uideam, quæ & ipſæ non ſine maximo ſpectatorum riſu nudabantur, dum ſcilicet hiſtrionum apparatus ab omnibus uideretur.

Etiã hiſtriones Nannio in proſcenio.) Cœlius ex Athenæo multa de Nannio ſcortillo, ſed quæ ex Franciſco Philelpho, non malo ſcriptore ſublegit. Is igitur ad Saxolum neſcio quem lib. epiſt. 9. de Nannio proſcenio & hoc Plautino loco optime omnium differit, quare non pigebit illius uerba annotaſſe. De Anno autem proſcenio apud Plautũ textus ille corruptus eſt. Nannio enim ſcribi oportet. Fuit autem Nannium illuſtris meretrix, quam & Hyperides cõtra Patrocleum, & Apollodorus in ijs quæ ſcribit de mere-

trici-

tricibus αἶγα, hoc eſt capram nominatam tradunt, ea ſcilicet ratione quod tabernarium quendam Thallum nomine, id quod uirgultum ſignificat exederet. Virgultis enim capræ plurimum delectantur. Antiphanes uero minor, in iis quæ de meretricibus reliquit ſcripta, Nannium dicit uocatam fuiſſe cognomine proſcenium, quoniam extrinſecus formoſiſſima uideretur inſtar proſceniorum theatralium. Recte igitur Plautus uituperatoribus occurrens oſtendit ſe primum non eſſe qui tragœdiam admiſcuerit cœmœdiæ, cum in Nannio proſcenio idem antea fuerit factitatum ab alio poëta, quiſquis tandem ille fuerit. Hæc ille. Non eſt igitur quod de proſcenio hic aliud dicatur, q̃ totam illã cœmœdiã una appellatione, Nannium proſcenium fuiſſe dictam.

Hæc urbs eſt Thebæ.) Bœotias Thebas intellige. Hinc Herculem Theocritus βοιώτιον, hoc eſt Bœotiũ appellauit.

Vſuramq́ue eius corporis.) Vſura pro uſu καταχρηστικῶς.

Et hæc ob eam rem nox.) Extat inter Luciani ſuperorum dialogos Solis Mercuriiq́ue colloquium, in quo Mercurius uerbis Iouis à ſole ſtipulatur, ne ea nocte, qua Herculem ex Alcmena producturus ſit, aurigam agat, ſed ignem extinguat, & altum dormiat. δεῖ γάρ τι νῦν (inquit Mercurius) ζεὺς ἐπιμηκεστέραν γίνεσθαι τὴν νύκτα: Hoc eſt: Poſtulat enim ſibi hanc noctem Iuppiter protrahi & produci.

Cum ſeruili ſchema.) Ita conſtanter habent exemplaria, ſed uerſus ſuis pedibus non conſtat, uti nec præcedens, quare in utroque ſyllabam adiicias neceſſe eſt. Id autem commode facturus mihi uideris, ſi Priſciani locum huc adſcripſeris. In ma, tertiæ declinationis antiquiſſimi ſecundum primam declinationem protulerunt, & generis fœminini, ut Plautus in Amphitruone: Nunc ne hunc ornatum uos meum admiremini

Quia ego huc proceſſi, ſic cum ſeruili ſchema. Schema pro ſchemate. Ego certe pace grammaticorum citius ſchemate legerim, ne uerſus claudicet ob ſcazontem. Eſt autem ſchema habitus, ueſtitus, & ornatus quilibet.

Ita uerſipellem.) In Iouis inconſtantiam nuſquam non ludit Lucianus in dialogis, extat & ea de re breue quidem ſed lepidum epigramma:

ζεὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσοῦς δι' ἔρωτα
λήδης, εὐρυόπης, ἀντιόπης, δανάης.

Taurus, olor, Satyrus, fit & aurum Iuppiter, ardens

Euryopen, Leden, Antiopen, Danaen.

In petaſo.) Annotauit quædam in Galeotti librum, quę ad Plautinam expoſitionem facere uidentur Merula, eum conſulas. Quid autem Petaſus ſit expoſuit ut omnia doctiſſime Lazarus Bayfius in re ueſtiaria. Fuit autem continuum geſtamen Mercurij petaſus, quod ea re maxime declararet nuncium ſe eſſe, cui ob frequentes peregrinationes huiuſmodi tegmen perutile contra cœli iniuriam eſſet.

Pinnulæ.) Ornamenta quædam erant ex nobilibus pennis, quæ aureis acubus petaſis affigebantur. Varro tradit id militare ſuo ſæculo fuiſſe. Toruli uero & ipſa ex auro atq; argento ornamenta ſunt forma rotunda, quæ nunc apud Italos à metallo nomen habent.

ACTVS PRIMVS.

Qui me alter eſt audacior

Quid faciam ſi tresuiri.) Triumuiros capitales ait, quibus carcerum uigiliarumq; cura delegata fuerat.

Nec cauſſam liceat.) Cauſſam dicere, id eſt defendere in iudicio, cum reus accuſatoribus ad quæſtiones reſpondere cogitur.

Nec quicquam ſit qui me.) Aliàs: Nec quiſquam ſit quin me.

Homines octo ualidi.) Perfectionem ſummam hoc numero denotari aiunt Cœlius Rhodoginus lib. 12. cap. 13. Et Eraſ. in adag. Omnia octo.

Hoſpitio publicitus accipiar.) Ridicule carcerem publicum appellat hoſpitium.

Ingratis excitauit.) Nonij codices ingratijs legunt, hoc eſt nequicquam fruſtra inuitè.

Libere poſſe retur.) Libere uerbum infinitum.

Expetãr multa iniqua.) Suppetũt, exuperant, abũdant.

Pater ſeruitutis.) Seruitutis autor, & germanus ſeruus.

Numero mihi in mentem fuit.) Eraſmus in Chiliadibus hunc locum ſic citat. Cæterum in peruulgatis manuq; ſcriptis exemplaribus, Soſiæ hæc tribuuntur, & ita fere leguntur: Nunc uero mihi in mentem fuit. Quæ lectio mihi non omnino, neq; probatur neque improbatur. Numero autem in mentem eſſe, eſt compendio & faciliter recordari. Feſtus exponit pro cito ac celeriter.

Occillet probe.) Ocillare ori, oculiſq; pugnũ impingere.

Salui potiremur domi.) Vetuſte domi pro domus & potior cum genitiuo, quod & hiſtoricis eſt uſurpatiſſimũ. Curtius: Aſiæ potiturus, qui inexplicabile uinculum ſoluiſſet.

Adorea.) Victoria per metaphoram.

Vt hæc nunciem uxori.) Plutarchus in problematibus ſic quærit. Cur ſiue ex agro, ſiue peregre domum redeant, qui uxores domi habent, aduentus ſui nuncios pręmittunt? An quod hoc eius eſſe cenſent, qui ſe abſente uxorem nihil improbè facere ſibi perſuadeat, de repente uero & inopinato ſubuenire inſidiatoris, idcirco uxorum expectationi ac deſiderio, bonis eas nunciis afficiendo, quàm citiſſime ſatisfieri ſtudent? An illud potius, quod ſcire nimium auent, ſi ſaluas domi, ac ſui deſiderio affectas ſint offenſuri? An quod pluribus domi negotiis in adminiſtranda re familiari abſentibus uiris uxores occupentur, & cum domeſticis plerunq; diſcordent, ut his omnibus remotis, iucundè ac trãquillè ab uxoribus excipiantur, de ſuo eas aduentu prius fieri certiores uolunt?

Eos legat.) Legatos mittit, uetuſte cum datiuo, cum poſteriores cũ accuſatiuo addita prępoſitione elocuti fuerint.

Iubet ſententiam ut dicant ſuam.) Ex more ritu'q; Romano id à poëta in medium ducitur. Fœciales enim mittebantur priuſquàm conciperetur bellum ad res repetendas, quod ſi non impetraſſent, bellum indicebant. Libanius ſophiſta Menelaũ, cum arma in promptu eſſent, tamen prius uerbis perſuadentem, ut Helenam Troiani reddant, fingit. Huic alluſit Terentianus Thraſo: Omnia prius experiri conſilio, quàm armis ſapientem decet.

Abituros Argos Argiuos.) Prouerbialis locutio eſt ut citatur à Chalcidio grãmatico, qua ſolent uti quoties re infecta diſcedunt iſthuc, unde uenerant, nec aliud ſcribit.

Diſpertiti uiri.) Sic Aldus legit, & poſt illum reliqui, offendi ego quandoq; diriberti in uetuſtiſſimis ſcriptum, quod uerbum etiamſi militiæ olim proprium fuit, iam autem exoleuit, non putarim mutandum quod uulgatum eſt hactenus, præſertim cum diſpartiri in re militari & ordinibus diuidendis ſit æque uſurpatum. Cicero epiſt. ad Atticũ 9. Satius eſſe exiſtimo uos diſpertitos, & in ſpeculis eſſe.

Vota ſuſcipere.) Id ex diſciplina quoq; Romana ductũ. Lege Alexandrum ab Alexandro libro 3. cap. 22. Extant apud Liuium formulæ uoti imperatoris. Suſcipere autem

D 5 uota,

uota, eleganter pro uota facere uſurpatum eſt Latinis. Q. Curtius. Vota deinde pro ſalute ſuſcepta per ludum atque otium reddens.

Cœlum boat.) Ob tumultum, unde Græci bellum βοὴν dixerunt, ab effectu nimirum, quòd βοῆς, id eſt, clamoris cauſa ſit. Homerus βοὴν ἀγαθὸς pro bellicoſo poſuit.

Sed fugam in ſe nemo conuertitur.) Heteroſis generis conuertitur pro conuertit.

Quin ſtatim rem gerat.) Statim aduerbium pro ſtando uetuſte, hæc enim germana eius genuinaq; ſignificatio.

Quiſq; ut ſteterat iacet.) Conuenit planè cum illo Saluſtiano in calce belli Catilinarij. Nam fere quem quiſq; pugnando locum uiuus ceperat, eum amiſſa anima corpore tegebat.

Equites in dextera irruere.) Hoc imitatus poëta ex diſciplina militari Romana eſt, qua periclitantibus peditibus, ſolebant opem ferre equites, etiam aliquando relictis equis.

Inuolant.) Reſpicit ad Harpyas, ſequitur etiam mox fœdant.

Iure iniuſtas.) Vetuſta loquendi forma, qua rem magis augent, iure iniuſtas pro iniuſtiſſimas.

Penetrant ſe.) Rara locutio pro penitus dant.

Vortentibus Telebois.) Eclypſis: deeſt enim uel tergum, uel ſimile aliquid.

Hoc adeo hoc.) Græca locutio, τοῦδε γὰρ τοῦ.

Velatis manibus orant.) Hac re ſummam primo ſignificabant ſubiectionem, κεκαλιμμένοιν χειροῖν δεήσειν, apud Suidam Arrianus ait, id eſt, uelatis obductiſq; manibus obſecratus eſt. Deinde etiam comperio abiectionem quandam uilitatemq; ſignificare. Vnde ueteres milites aſcriptitios, quos & accenſos, uocabant quidam uelatos, teſte Feſto Pompeio, quia ueſtiti inermes ſequerentur exercitum.

Ignoſcamus peccatum ſuum.) Priſce dictum. Cicero ad Brutum inquit, ignoſcimus illi, cui ſceleris pœnam prætermittimus.

Amphitryoni patera donata eſt aurea.) Anaximãdrus in herologia, non pateram, ſed ſcyphum de prẹda accepiſſe Amphitryonem ſcriptum reliquit, ut autor eſt Athenæus. Addit non fuiſſe illi donatum, ſed ſibi cum diuideret prædam reſeruaſſe. Verba Anaximandri ſic habent: Ἀμφιτρύων

τὴν

τὴν λεῖαν διαδασάμενος τοῖς συμμάχοις καὶ τὸν σκύπφον ἔχων ὃν εἵλετο αὐτῷ. Hoc eſt: Amphitryo poſtquam commilitonibus prædam diuiſiſſet, ſibi ipſi ſcyphum ſumpſit. Sed & hoc notandum eſt quod ab Atheneo ex eodem autore additur, poculum hoc, quo Pterela rex potare ſolitus erat, Deorum fuiſſe donum, & tanquàm per manus traditum ad hæredem poſtremum Pterelam perueniſſe. Sic enim ait. τὸν δὲ σκύπφον Τηλεβόῃ δίδωσι ποσειδῶν παιδὶ τῷ ἑαυτοῦ. Τηλεβόης δὲ πτερέλεῳ, τοῦτον λαβὼν ἀπέπλωεν. Hoc eſt: Scyphum autem Neptunus filio ſuo Teleboę dedit. Teleboes deinde Pterelao, quē cum ſuſtuliſſet, nauigio diſceſſit. Hic commodum obſeruabitur non Pterelam Græcis regem uocatum, ſed Pterelaum & Attice Ptereleon.

Qui Pterela rex potare.) Qui φιλικῶς ut Teren in Hecy.

Atque hunc telo ſuo.) Vnde ducta ſit metaphora docet Eraſ. in Chiliadibus.

Nocturnū obdormiuiſſe.) Nocturnus Deus eſt qui nocti præeſt apud Rom. teſte Auguſtino. Varro hunc in ſatyris perpetuo ſopore & ebrietate torpidum induxit. Græci Deā noctem prædicant, ut Heſiodus in Theogonia.

Datam pulchre locas.) Damus operam alicui quoties ad tempus pollicemur & exhibemus noſtram operam, datam autem locamus, cum eam operam alteri ueluti in uſu fructum conuertimus.

Neq; ego hac nocte longiorem.) Teſtantur id ipſum omnes poētæ noctem eam qua Hercules natus eſt fuiſſe omnium longiſſimam. Nam ut Seneca tragicus inquit, uiolentus ille nocte non una poterat creari. Hinc & à Lycophrone obſcure καθ' αἴνιγμα τριέσπερος λέων ab euentu & fortitudine appellatur, ut à Pallada epigrammatôn ſcriptore τριέσληνος à tribus lunis.

Niſi ſeſe in cœna inuitauit.) Nonius exponit expleuit, ſed id tamen σχηματικῶς, qui enim ſeſe inuicem ad pocula inuitant, non poſſunt non expleri ſi perdurent.

Qui ſoli inuiti cubant.) In dictione inuiti non conueniunt interpretes, Pius ſoliti inuiti legit plane peruertens autoris ſententiam, quod nuſquàm non facit. Sunt qui exiſtimant recte ſcribi inuicti, neq; ego hanc ſententiam probare poſſum. Sane nihil uideo quamobrem ueterem lectionem damnare debeam cum liceat ἁπλῶς exponere, qui inuiti hoc eſt contra animi ſententiam ſomnum capiunt, ſoli

hoc

hoc eſt, ſine ſcorto. Vel qui ſoli inuiti dormiũt, cum hoc maxime nomine dormire nõ debeant, cum ſcortum conduxerint quod nocte pro animi ſententia exercere ſtatuerant.

Conducto male.) Id eſt, magno. Sic enim Terentiano interpreti uiſum eſt in Eunucho.

Illic homo hoc denuo uolt pallium detexere.) Detexere μεταφορικῶς pro auferre. Detexta enim lana eſt cum perfecta eſt, & à textoriis inſtrumentis auferri poteſt.

Proh dentes pruriunt.) μεταφορὰ ducta à ſcabendi libidine, qua qui tenentur, ſolent ſubinde aliquid ex ea futuri diuinare.

Quod quatuor homines in ſoporem collocaſti.) Soporem mortem appellat, nec hoc modo ſacris literis familiare eſt, uerum & profanis. Nam & Homerus mortem & Somnum fratres eſſe fingit, ἔνθ᾽ ὕπνῳ σύμβλητο κασιγνήτῳ θανάτοιο. Quod Maro ueluti interpres ita uertit. Et conſanguineus leti ſopor. Senarius quoque apud Græcos extat qui mortem ſomni ueluti parua myſteria uocat. ὕπνος τὰ μικρὰ θανάτου μυστήρια. Sed & illud Ouidii huc facit: Stulte quid eſt Somnus gelidæ niſi mortis imago. Notum eſt & illud Diogenis, quem cũ medicus ſomno preſſum excitaſſet, rogaſſetque nunquid ſentiret mali. Nihil inquit, nam frater fratrem occupat, ſignificans ſomnum eum eſſe mortis indiciũ. Et Anaxagoras dicebat duas res eſſe mortis magiſtras, tempus illud, quod nos priuſquàm naſceremur fuit, & ſomnum.

Cingitur.) μεταφορὰ ſequenti uerbo explicatur, nimirũ ab iis ſumpta, qui uel itineri, uel operi faciũdo ſe accingũt.

Quid ſi ego illum tractim.) Longe trahendo exponit Nonius.

Interpolabit.) Interpolare eſt ut Plau. ait denuo fingere.

Exoſſatum eſſe oportet.) Exoſſatus qui ita contuſus eſt, ut oſſa nuſquam appareant, aut ſentiantur.

Olet homo.) Frequentes ſunt metaphoræ à ſenſibus. At quod reſpondet, nunquam ego oboluí, poteſt & hoc utique per tranſlationem ſumi, ut ſit nunquam ego moleſtus fui. Nam et iſto modo uideo metaphoram aliquoties uſurpatã.

Superſtitioſus.) Id eſt meticuloſus, unde Græci ſuperſtitioſum à metu δεισιδαίμονα appellauerunt, δεδιὼς γὰρ θεοὺς (ut Plutarchus ait) πάντα δέδιε γῆν, θάλατταν, ἀέρα, οὐρανόν, σκότος, φῶς, κληδόνα, σιωπὴν, ὄνειρον. Et plura alia quæ eo in loco recenſet Plutarchus.

Volu-

Volucrem uocem geſtito.) Suidas ait, Mercurium pingi alatum, quod uelociſſimus Deorum habeatur, nihil enim ſermone, cuius typum gerit Mercurius uelocius. Et Home. ob id ἔπεα πτερόεντα, hoc eſt uerba fingit pennata. Nā ut Horatius inquit: Et uolat emiſſum ſemel irreuocabile uerbū.

Malā rem accerſit iumento ſuo.) Explicatur in Chiliad.

Onerandus eſt pugnis probe.) Ανταπόδοσις, ob id tute pugnis onerandus es, quia negabas te iumentum habere.

Vulcanum.) Μετωνυμικῶς pro igne ſiue lumine. Nam & Græci hac quoq; metonymia gaudēt, ut autor eſt Heſychius

In cornu.) Zezis Lycophronis nobilis interpres tradit Prometheum primum fuiſſe autorem laternarum è cornu factarum.

Comprimam linguam.) Subeſt αἰσχρολογία, ut mox patet ex uerbis Soſiæ.

Rex Creon.) Vigilum munus ueteres ſumma diligentia adminiſtrabant, ut ex hiſtorica lectione paſſim patet. Quatuor autem uigilias ſingulis noctibus obeundas ſtatuiſſe ueteres Suidas ſcribit, eas autem φυλακὰς appellabāt, quarum unaquæq; tribus horis abſoluebatur.

Superbum.) Amphibolia in ſignificatione, nunc enim animo tumidum, nunc ſimpliciter ſublatum ſignificat, ut hoc loco.

Columen audaciæ.) Vide Chiliades.

Conſutis dolis.) In pſeudolo conſultis in eodem ſenſu legitur, ſed non placet, quoniam nullus dolus ignoranter committitur. Mox Soſia cōſutis ad corpus transfert, quod Mercurius ad animum.

Vſu feciſti tuum.) Reſpexit illud, ſi quid aliud, quod Iureconſulti de uſucapione referunt.

Feciſſent tui.) Pro fugiſſent.

Tu me alienabis.) Aſpexit ad alienationem bonorum apud Iureconſultos.

Proh fidem.) Alias fidi, ſed prius magis placet.

Ex portu Perſico.) Feſtus Pompeius per portum Perſicum, Euboicum mare intelligit, quod in eo claſſis Perſarū dicitur ſtetiſſe, non procul à Thebis.

Cirneam impleui.) Sic Nonius, ſic Hermolaus legunt, non hirneam. Codex Romæ Langobardicis literis deſcriptus cyrrum ſed mendoſe legit. Eſt autem cirnea lagena uinaria ita dicta ἀπὸ τοῦ κιρνᾶν τοῦτ' ἐστὶ οἰνοχοᾶν, à quo uerbo quoq;

bo quoque pincernam dictum uolunt.

Tonſus.) Serui apud ueteres tondebantur, quo ab adoleſcentibus ingenuis internoſcerentur. Nam iuuenes intonſos fuiſſe teſtatur Donatus in Eunucho.

Vt à matre.) Ex uulgari conſuetudine locutio facta, ſit enim meracum intelligit, quod ſcilicet aqua minime ſit dilutum.

Quadrigas ſi nunc inſcendas Iouis.) Iouis quadrigis fugere, eſt quàm ocyſſime ſeſe abducere. Id ex Homero ſumptum eſt, qui dijs quadrigas affingit, quibus quò lubitum ſit rapiantur ex Olympo in terras, rurſus è terris quàm uelociſſime in cœlum. Meminit quadrigarum Iouis Liuius deca.1.lib.2. Iouem ipſum inquit, in culmen Capitolij cum quadrigis poſuerunt.

Quod ille faciat Iupiter.) Serui cum ſtatum mutarent, ac manumitterentur, in templo Feroniæ quæ libertatis dea putabatur tonſo capite pileum accipiebant. propterea autem tondebantur, quod ſignificarent ſe, ueluti ex naufragio, hoc eſt ſeruitute in commodiorem uitæ ſtatum uocatos. Vide Chiliades Eraſmi, ad pileum uocare.

SCENA III.

Alter decimo menſe naſcetur puer.) Alcmenam Theocritus fingit decem menſibus geſtaſſe Herculem. Quamobrem Herculem quoq; in Heracliſco δεκάμηνον, hoc eſt decumeſtrem appellat, Iphiclum autem una nocte iuniorem eſſe aſſerit.

Expetere in mortalem.) Elegans uerbum quo mirum in modum gaudet uti Plautus, pro redundare.

SCENA IIII.

Sed ubi ſummus imperator non adeſt.) Sic apud Virgilium, urget præſentia Turni, & illud αἰνιγματικῶς apud Catonem, frons occipitio prior. Sed & quoq; apud Plutarchũ ἀπόφθεγμα, οὐδὲν οὕτω πιαίνει τὸν ἵππον, ὡς βασιλέως ὀφθαλμός. Facit & huc Gellij de caſſita fabula: & quod apud Liuium uenuſte dicitur, Non ſatis feliciter procedere ſolere, quæ oculis agas alienis.

Prius abis quàm lectus.) ἀρχαϊσμός: nam nunc tantum ſecundæ declinationis eſt lectus.

Expediuit.) Expedita eſt uetuſte, in multis alijs neutropaſſiuè ſumptis.

Palpo

Palpo percutit.) Blandimentis aggreditur, ducta metaphora ab equis quos palpo lenimus.

Nunc tibi hanc pateram.) Annotandum obiter duxi poculum quod Iupiter Alcmenæ dono dedit, carcheſium appellatum fuiſſe, multis poſt ſeculis Lacedemone ſeruatum. De hoc multa Macrobius, & Hermolaus Barbarus in corollario Dioſcorid. Apud Athenæum hæc res, modo propemodum eodem traditur. χάρων ὁ λαμψακηνὸς ἐν τοῖς ὅροις, παρὰ λακεδαιμονίοις φησὶν ἔτι, καὶ εἰς αὐτὸν δείκνυσθαι τὸ δέπας, τὸ δοθὲν ἀλκμήνῃ.

Ex amore ſæuus eſt.) Theocritus Amorem ἄγριον id eſt, ferum & à leæna educatum in ſyluis aſſerit, cuius rationem reddens interpres, inquit, ἐπεὶ οὓς ἂν κατέχῃ ἔρως ἀγρίους ποιεῖ, καὶ ἀνημέρους.

Ecaſtor condignum domi qualis eſt.) Nonius aliter legit, Ecaſtor condignum donum cule'ſt, qui donum dedit. Cule'ſt inquit, pro qualis eſt neutro genere poſitum pro maſculino.

ACT. II. SCENA I.

Quia id quod neque eſt, neque fuit.) Græca imitatio, τάτ' ἐόντα, τάτ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα.

Eccere iam tu aurem.) Eccere iurandi formula idem eſt quod Græcis, νὴ τὴν δήμητραν, hoc eſt per Cererem celebre apud Comicos iuramentum.

Audes herum ludificarier.) Obſerua nunc deponentaliter, nunc actiue poſitum ludificor.

Apage.) Græcum uerbum eſt, ſignificat abſcede, ceſſa. utuntur eo plerunque autores Latini, loco illius, quod Græci dicunt. βάλλ' ἐς κόρακας.

Amphitryo miſerrima iſthæc.) Imitatio Ariſtophanica: ἢν γὰρ τὰ βέλτισθ' ὁ θεράπων λέξας τύχῃ, δόξῃ δὲ μὴ δρᾶν ταῦτα τῷ κεκτημένῳ.

Neque lacte lacti.) Sic Nonius legit, ſic Eraſmus hunc locum adducit, quàmuis plerique ignari uetuſtatis emendarint lac. ueteres ſiquidem lacte in nominatiuo declinaſſe Varro autor eſt. Vſum adagij indicat Eraſmus.

SCENA II.

Satin parua.) παρασκευὴ eſt ad ἐπίτασιν. Eſt autem morata querimonia probæ matronæ.

Ita dijs placitum uoluptati.) Ob id Romani Volupiam & Angeroniam duas diuas ſimul colebant. Angeroniæ (eſt

autem

autem hæc ab angoribus & doloribus dicta) ſacerdotes in æde Volupię ſacrificabant, quo ueluti exemplo ſignificarent dolores uoluptatesq; inuicem mixtas eſſe. Addunt alij qui in Volupiæ ara ſtatuam Angeroniæ ſolere collocari, eadem proculdubio ratione.

Virtus omnia.) Ex Theognidos ſententijs hæc deprompta eſt γνώμη, quam Ariſto. in ethicis adagij inſtar probat.

Nunquam ædepol tu mihi diuini quid creduis.) Hoc eſt fidem adhibeas. fides enim omnium uirtutum diuiniſſimum, ut Cicero ait: unde hoc Ennij. O fides alma, apta pinnis & iuſiurandum Iouis.

Ad aquam præbendam adueni domum.) Ad aquam prębendam uarie poteſt exponi. Nam & in partu egent multa aqua mulierculæ ad lauachra infantium, & ad balnea. Solet item porrigi manibus aqua conuocatis ad puerperam cõuiuis, qui mos etiamnum durat, nec enim intelligi facile poteſt de aqua quæ affundebatur clepſydris apud litigãtes.

Magis haud quiſquàm quàm canem.) Canẽ omnes execramur propter ἀναίδειαν, igitur abiectiſſimæ rei notam obtinet hoc animal, & ergo contemptum ſignificat.

Qui te grauidam & pulchre plenam.) Menander apud Suidam, illam quæ uterum fert, καλῶς ἐυπλήρη, hoc eſt, pulchre plenam nominat.

An te auſpicium commoratum eſt.) Veteres nihil inauſpicato faciebant.

Bacchæ bacchanti.) Mos erat ut qui Bacchanalia celebrabant, obuios quoſq; thyrſis ferirent. Sunt autem Bacchæ apud Lucianum γυναῖκες ἔκφρονες, καὶ μεμηνυῖαι, κιττῷ ἐστεμμέναι, νεβρίδας ἐζωσμέναι, δοράτια τινὰ, μακρὰ ἔχουσαι, ἀσίδηρα, κιττοποίητα καὶ ταῦτα, καὶ τινὰ πελτάρια κοῦφα βομβοῦντα, εἴ τις μόνον προσάψαιτο, ἄσπισι καὶ εἴκαζον καὶ τὰ τύμπανα. Hoc eſt, mulieres inſanę & furore percitæ, ſertis hederaceis coronatæ, ceruinis cinctę pellibus, exiguas haſtas easq; pręlongas geſtantes, quæ tamen ferrum non habent ſed hedera undique obunctæ, ſunt præterea umbones breues admodum, quos ſi manu quiſpiam uel leuiter attigerit, ſonum reddere parati ſunt, ſed & tympana quoq; pulſant.

Iritabis crabrones.) Explicant chiliades.

Manum præhendi.) Durat etiamnum ea cõſuetudo qua uenientibus ad nos dexteram damus ſalutantes. Id Græcis autem δεξιοῦσθαι appellatur. Lucianus προσιόντα τε δὴ μοι τῶν

ἀκηκοότ

ἀκηκοότων πολλοὶ ἐδεξιοῦντο. Itaque pleriq; auditorum data dextra me ſalutarunt.

Enimuero prægnanti oportet & malum dari.) Amphibologia elegans in dubia ſignificatione malum, quod & κακὸν, hoc eſt uitium quod bono contrarium eſt ſignificat: & μῆλον fructum mali arboris notiſſimæ. quo tamē modo hic accipiendum eſſe is facile uidebit, qui Dioſcoridis uerba nō leuiter inſpexerit, quæ de malorum uirtutibus traduntur. βιβρώσκεται δὲ μάλιστα ὑπὸ γυναικῶν πρὸς τὴν κίσσαν. hoc eſt, comeduntur autem præcipue à mulieribus prægnantibus aduerſus picam. Eſt autem pica faſtidioſus prægnantium appetitus. βιβρώσκεται autem pulchre reſpondet ad Plauti uerbum obrodat.

Atra bili percita eſt.) Quod Græci dicunt μελαγχολᾶν, apud Ariſtophanem aliquoties occurrens.

Prodigiali Ioui.) Qui prodigia auertere ſolet, colebatur Romæ in Capitolina ara.

Mola ſalſa aut thure.) Qui enim thura non habebant, mola ſalſa litabant, unde prouerbio locus factus eſt. Molam autem ſalſam Ouidius ita deſcribit. Ante deos homini quod conciliare ualeret Far erat, & puri lucida mica ſalis.

Pro cerita circumferri.) Ceritas Romani appellant Cereris numine non ſolum afflatas, uerumetiam in furorem uerſas, quas circumferentes ſtipem petebant, ut apud nos ſolent dæmoniacos appellatos. Credebatur enim Ceres grauiſſime ſolere in eos animaduertere, qui eius numen cōtēpſiſſent, hinc illa ſolennis iurādi formula νὴ τὴν Δήμητρα.

Tu Theſſala intus pateram.) Helleniſmus τὸ ἐνδὸς ποτήριον, ut ſit quæ eſt intus.

Quam me uereri æquum eſt.) Grauidæ enim Iunonem ſumme uenerabantur, uerebanturq́;, propterea quod credebatur parientibus ſuppetias ferre: hinc illa frequens exclamatio: Iuno Lucina fer opem.

Mulier es, audacter iuras.) Apud Athenæum refertur ex Xenarcho ſenarius hic: ὅρκον δ' ἐγὼ γυναικὸς εἰς ὕδωρ γράφω. nihil enim iuramento muliebri uanius eſſe putabant, propter ſexus imbecillitatem.

Non ego illam mihi dotem.) Hoc ad ſapientes refertur ab Auſonio: Quę dos matronis pulcherrima? Vita pudica.

Examuſſim.) Vide Nonium.

ACTVS TERTII SCENA I.

Quando commodu'ſt.) Euripides ait, πάντα δ' εὔπετῆ θεοῖς. Et illud Homeri, θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

SCENA II ACTVS III.

Atq; id me ſuſq; deq; habet.) Gellius lib.10.cap.9.putat ſuſq; deq; idem ualere, quod æquo animo eſſe & quod accidit non magni pendere.atq; interdum negligere & contemnere, ſimillimumq; eſſe illi quod Gręci dicunt ἀδιαφορεῖν.

Aut ſatisfaciat mihi.) Recantet opprobria quę in me iecit παλινῳδεῖν ſignificat aliquando ſatisfacere.

Inimicos oſa ſum ſemper obtuerier.) Hecuba apud Eurypidem, Polymneſtorem iam inimicum factum negat ſe intueri poſſe. κοὐκ ἂν δυναίμην προσβλέπειν σ' ὀρθαῖς κόραις.

Nimis uerecunda es.) Nonius exponit pro audens & cõfidens, ut ſit κατὰ ἀντίφρασιν.

Quam tu impudicam.) Ἀρχαϊσμὸς ut antea, pro cũ qua.

Niſi ſis ſtultior ſtultiſſimo.) ὑπερβολὴ prouerbialis.

Nam in hominum ętate.) Philoſophatur ut decet deum, Semper enim (ut Iuuenalis ait) habet lites alternaq; iurgia lectus, In quo nupta iacet, minimumq; dormitur in illo.

Verum irę ſi quæ forte.) Verum eſt hoc Terentianum: Amantium iræ amoris redintegratio eſt. Et Senarius iſte Menandri apud Stobæum idem teſtatur. ὀργὴ φιλούντων μικρὸν ἰσχύει χρόνον.

Bis tanto amici ſunt.) Hanc locutionẽ non feret Valla.

Vt quæ apud legionem uota uoui.) In prima ſiquidem ſcena fabulæ narrauit Soſia imperatores uota feciſſe pro uictoria. Solebant autem reuerſi feliciter acta re, è præda hoſtium uota dijs ſoluere. id ex Ouidio liquet, Argolici rediere duces, altaria fumant.

Collo hinc obſtricto traham.) Vide Chiliades Eraſmi, obtorto collo trahere.

SCENA III ACTVS III.

Nam quia uos tranquillos.) μεταφορικῶς à mari, iam à uentis & turbinibus ſedato.

Quando exiuraſti.) κατ' ἐπίτασιν ſecundum Nonium, pro ualde iuraſti.

Fruſtra ſunt.) Pro fruſtrati.

SCENA IIII ACTVS III.

Fuat homo.) A uetere fuo pro ſum, unde nunc futurum.

Ille nauem ſaluam.) In Sticho.

Aut

Aut irati aduentũ ſenis.) In Trinũmo. & alibi ſubinde.

Capiam coronam mihi in caput.) Non de corona ſacrificantium intelligendum, uerum conuiuiali, qua in compotationibus ueteres ſæpe uſos fuiſſe conſtat, illis inquam qui non defunctoriè autorum locos annotant. Hæc autem pluribus exemplis approbantur in libro noſtro ϛρωμάτων, hoc eſt uarietatum, cap. 22.

ACTVS IIII. SCENA I.

Omnes plateas perreptaui.) Enumerat loca in quibus ſolent frequentes deſidere alienarum rerum magis, quàm ſuarum curioſi. Reliquit autem balnea, quod ea gymnaſij nomine intelligantur, & paleſtra quam poſtea nominat, ſpecies eſt gymnaſij. Perreptaui autem ſignificanter dixit, quo indicet quantopere quærendo ſit defatigatus, longa ſcilicet inueſtigatione. uel potius quia animo male habeat ob uitium additum familiæ. Sic Terentius de Demea ſene. Perreptaui uſque omne oppidum. Siquidem tarditatem inceſſus notat perreptatio. Græci in eodem ſenſu dicunt ἕρπειν quo uerbo quoque negligentiam & ſecuritatem itineris demonſtrant.

SCENA II.

Vlmorum acheruns.) In quem uirgæ tanquam in Acherontem umbræ mitti debent. Heſychius interpretatur Acheronta σορὸν hoc eſt ſepulchrum, quo modo hic quoq; accipi poteſt, quod ſcilicet ita uirgis obrui debeat, ut cadauera in rogo lignis, & in buſto terra.

Verna uerba funditas.) Vernę uocabulum Romanis ſemper inuiſum fuit.

Saturni hoſtia.) Phœnices ut autor eſt Ariſtoteles ſolebant olim Saturno uiuos homines pro uictimis offerre, unde quoq; nomen ἀπὸ τοῦ φονεύειν habent. Hi cum duce Didone in Africam perueniſſent Carthaginemq; ædificaſſent, patrios ritus obſeruantes idem illic quoq; factitabant, donec Gelo Siciliæ tyrannus prælio ſuperior inter pacis fœdera cauiſſet hoc quoq;, ne amplius Saturno filios immolarēt. Ergo Saturni hoſtia, id eſt dignus excarnificatione & morte.

Ibi ego te certo cruce.) Vetuſte hic crux maſculino genere dicebatur.

Larua umbratilis.) Vehemens ἐξουθενισμός, nam cum larua nihil omnino ſit, umbra ſi addatur, adhuc amplius imminuitur. Eſt autem umbratilis quòd in ſpeciem eſſe ali-

quid uidetur, cum reuera nihil ſit.

Bacchanal te exercuiſſe.) Bacchanal exercent, qui Bacchicis ſacris, hoc eſt furoribus initiantur, nota eſt Bacchantium inſania.

Vxorem uſurariam perinde eſt præbere.) Explicabitur commodius in Aſinaria.

Credo iam quæ uolebat.) De ſacrificio epulari, quiq; epulones ſacrifici, lege Feneſtellam de Ro. ſacerdotibus, & Lætum quoq; Pomponium de eadem re.

SCENA III.

Mutatos Atticos in Arcadia.) Fabula nota eſt. Aiunt enim Atticos cum apud Arcadas homines feros & immanes deſiderent, in lupos & feras mutatos, hoc eſt, brutos & feroces. Solent enim homines eorum quibus cũ uiuunt ingenium induere. Quod autem ſtupidi, & agreſtes fuerint Arcades, indicat Athenęus qui teſtatur illos Muſicam omnem noluiſſe admittere, nec ullas liberales diſciplinas. Et Apollinis oraculum illos glãdiuoros appellat, quod extat apud Pauſaniam. πολλοὶ δ' ἐν ἀρκαδίᾳ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασιν. Et Thucydides idem hoc de illis aſſerit. fama enim eſt eam gẽtem glandibus inſtar pecudum uictitaſſe.

In noſtro olim Thebano genere.) Fabulam ſcripſit Ouidius in transformatis.

Frater trudebat fratrem.) Huc referenda eſt Cadmea uictoria.

Cum Veneris filia.) Hermione ſcilicet, quam Cadmus uxorem duxerat.

Dij partam expungant gloriam.) ἀμαυρῶσι. obfuſcent, obſcurent.

Noui iam ludum.) Idiotiſmos quo dolos & fraudem ludum appellamus.

Priuſquàm ſtomachum detexerit.) Iram exuerit.

Illęc machina meas onerat ſcapulas.) Prouerbialis metaphora à militibus machinas bellicas ad muros cõquaſſandos portantibus.

Vetus eſt adagium, fames & mora bilem.) Vide Chiliades. Explicatur enim ex Theocriti ſcholiaſte ab Eraſmo. Sed & Seneca de ira lib. 3. cap. 9. ad hunc Plauti locum reſpexit. Certe, inquit, ob eandem cauſſam iracundiores ſunt ualetudine, aut ætate feſſi, fames quoq; & ſitis ex eiſdem cauſſis uitanda eſt, exaſperat enim & incendit animos.

Dædaleis tuliſſem remigijs.) Hoc eſt alis & pennis, uel

ut poë-

ut poëta inquit remigio alarum.

Siue gralatorius ſiue teſtudineus.) Explicat Nonius. teſtudineus autem gradus tardus admodum eſt, nihil enim teſtudine tardius. Vnde & prouerbium de tardo inceſſu. Cicero ex poëta aliquo teſtudinem tardigradam citat.

Quando gentium.) Sicut ubi gentium. Additur enim ornatus cauſſa gentium.

SCENA IIII.

Nihil eſt ut dici ſolet quod.) Prouerbium hoc explicatur in Chiliadib.

Illic qui ex ædibus.) Helleniſmus ὁ ἐξ οἴκου.

Theſaurum ſtupri.) Theſaurum ſtupri ita dixit, ut Eurypides θησαυρὸν κακῶν. quicquid enim copioſum & multum eſt theſaurum appellatur.

Abi ad Acherontem uenefice.) Sic Ariſtophanes, ἄπαγε ἐς ςύγα φάρμακε.

Talenta quinquaginta Attica.) Atticum talentum ſexagenas minas capit, teſte Polluce. Mina autem Attica centenas drachmas, ualet itaque coronatis ſexcentis. Mina ſiquidem noſtræ pecuniæ recipit coronatos aureos decem.

Gorgophonis nepos.) Hoc eſt Perſici progenies. nam poëtæ Gorgophonem per ἀντονομασίαν, quod Gorgonis caput enſe abſciderit Perſea uocant. Vide Chiliades Eraſmi. Orci galea. Notandum autem eſt, quod Theocritus non Amphitryonem, ſed Alcmenam Perſeo prognatam dicit. Nam illam ſic alloquitur Tireſias. θάρσει ἀριστοτόκεια γύναι περσήιον αἷμα.

Illiſce præfeci Cephalum.) Ad hunc locum conſule, quę ſcripſit de Cephalenia Strabo.

Cicatricem in dextro muſculo.) Alludit ad Homeri locum odyſſ. τ. ubi poëta Vlyſſem ab Euryclea ex cicatrice agnitum fingit.

Rationes iacent, iudicium ſilet.) Reſpicit ad ampliationis morem, cum in tempus aliud iudicium differtur. Vide Aſconium Pædianum.

Vos inter uos iſthæc partite.) Decidite, uerbum iuris.

Theſſalum ueneficum.) Theſſalorum improbitas paſſim nota eſt, fuit autem ea gens præter cæteras ueneficijs & malis artibus dedita. Aiunt enim Medeæ cum iſthac per aërem præterueheretur ſcriniolum ueneficijs, ac magicis ſeminibus, herbisque plenum excidiſſe, easque ſparſas per terram ſup

pullulaſſe. Niſi alludat ad gentis perfidiam, fuit enim Theſſalorum natio nequaquam fidem ſeruans. unde Eurypides, πολλοὶ ταρῆσαρ ἀλλ' ἄπιστοι θέταλοι.

Certu'ſt introrumpam in ædibus.) Diomedes hanc locutionem κατὰ σολοικισμὸν dici putat. Alij quorum eſt Agretius per id epitaſin quandam exprimi exiſtimant, quod ſcilicet penitus introrſumq; ſignificet. Certe Quintiliano teſte ueteres uſurpabant indiſcriminatim cum præpoſitionẽ ſic & idem Plautus paulo poſt inquit, pergam in ædibus.

ACTVS V. SCENA I.

Dapes atque opes.) Aliter & fortè melius, Et ſpes atque opes. Nam ita Terentius in Adelph. In quo noſtræ ſpes, atque opes ſitæ.

Neque eſt ulla confidentia.) θάρσος in bonam partem.

Animo male eſt.) Animo male fieri dicitur, cum ictu alicuius mœroris perculſus animus, non ſuſtinet corpus: ſequiturq; ruina membrorum. Donat. in Adelph.

Deos inuocat.) Iuno Lucina fer opem.

Quiſquàm ſenſimus.) φιλικῶς ut & mox.

Quis hic eſt ſenex.) Mutata facie ob animi moleſtiam, & conſternationem è tonitru.

Quaſi ab Acheronte ueniam.) Hos plærunque fingunt triſtes, pallidos, cogitabundos, item horridos & tetricos. Ita Lucianus in Menippo.

Hæc ſola ſarcam geſtat.) σάρξ σαρκὸς Græcis carnem ſignificat unde eſt accuſatiuus σάρκα, quem Latini ſolent aſſumere & declinare more nominum primæ declinationis, ut hæc ſarca ſarcæ. Atq; hęc eſt incorrupta lectio. ſenſus autem talis, Amphitryo herus Bromiam à qua agnitus eſt, ſolam ſarcam circumferre putabat, hoc eſt corpus, reliquos autem omnes laruas exiſtimabat.

Manibus puris.) Dij enim mundis gaudent. Vide Ciceronem de finibus. Sed & Tibullus:

Caſta placent ſuperis, pura cum ueſte uenite,
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Capite operto.) Cur adorantes caput operiant legite problemata Plutarchi.

Lauere iuſſit.) Hæc omnia οἰκονομικωτέρως ſcribuntur à Theocrito in Heracliſco.

Percipit.) Seruat naturam ſimplicis, alioquin per augere poteſt.

Quàm

Quàm ualide tonuit.) Solent in theatro tonitrua imitari. Vide Crinitum lib. 2. cap. 10.

SCENA II.

Ego Tireſiam coniectorem.) μάντιν ſcilicet. fuit enim Tireſias uates, ut ex Theocriti citato loco apparet, ubi Alcmena non Amphitryo illū conſultura adit. Sed & ita appellatur apud Sophoclem, ὦ πάντα νωμῶν τειρεσία ἄῤῥητά τ' οὐράνιά τε καὶ χθονοστιβῆ. Cur autem uates ſit explicatur in elegantiſſima elegia quæ ſcripta eſt in Pallados λουτρὰ à Callimacho, & à Politiano uerſa eſt in Miſcellaneis.

SCENA III.

Tireſiam ſenem.) Ita quoq; illud Theocritus inducit.
τειρεσίας πολλοῖσι βαρὺς περ ἐὼν ἐνιαυτοῖς.
Lucianus in Longæuis, καὶ τειρεσίαν δὲ τὸν μάντιν ἡ τραγῳδία μέχρις ἓξ γενεῶν παρατεῖναι λέγει. πιθανὸν δ' ἂν εἴη ἄνδρα θεοῖς ἀνακείμενον καὶ καθαρωτέρᾳ διαίτῃ χρώμενον τὸν τειρεσίαν ἐπιμήκιστον βιῶναι. Ait Tragicos Tireſiam ſex generationes uixiſſe ſcribere.

M. ACTII PLAVTI
ASINARIA.

DRAMATIS PERSONAE.

PROLOGVS.	MERCATOR.
LITANVS, *ſeruos.*	PHILENIVM, *meretrix.*
DEMAENETVS, *ſenex.*	DIABOLVS, *adoleſcens.*
ARGYRIPPVS, *adoleſcens.*	PARASITVS.
CLERETA, *lena.*	ARTEMONA, *uxor.*
LEONIDA, *ſeruos.*	GREX.

ARGVMENTVM.

Amanti argento filio auxiliarier,
Sub imperio uiuens uolt ſenex uxorio.
Itaq; ob aſinas relatum pretium Sauriæ,

Numerari iuſsit ſeruulo Leonidæ.
Ad amicam id fertur. cedit noctem filius.
Riuinus amens ob raptam mulierem,
Is rem omnem uxori per paraſitum nunciat.
Accurrit uxor, ac uirum domum triſte agit.

ALIVD ARGVMENTVM.

ARgyrippus adoleſcens mulierem deperibat Philenium: cuius Clereta mater ſagax lena, ut ab illo eliceret pecuniam, uetuerat amantes amoribus ſuis indulgere. Adoleſcentis pater Demænetus ſuo obſequẽs filio, ut meretrici tradat, uult ei pecuniam dari: ſeruum igitur Litanum monet undecunq; ut poteſt ſurripiat, atrienſem circunducat Sauriam: Artemonem cuius ſub imperio uiuebat uxorem fallat. Litanus conſeruum Leonidam conuenit: rem aperit: opportune ſimul confingunt fallaciam. Aduenerat mercator daturus pro emptis aſinis, unde Comœdia nomen inuenit, pecuniam quam ſe ſoluturum aiebat atrienſi Sauriæ, quem rei familiari Artemona præfecerat. Simulat Leonidas ſe atrienſem: ſuadet Litanus mercatori Leonidę argentum ut dinumeret. aſſentitur Demænetus recte ſolutum pretium. Igitur receptæ dantur mulieri uiginti minæ: ob id Demæneto patri priorem noctem cedit filius. paratur conuiuium. ſenex, adoleſcens, ac meretrix accumbunt ſimul. interim hæc Diabolus riualis reſciens, qui iam fuerat per annum pactus, eam ſibi meretriculam datum iri, Demænetum ſcortari, & filium, uxori eius Artemonæ per paraſitum nuntiat uxor adueniens in uirum conuitijs agit, & extrudit è ganeo domum.

PROLOGVS.

HOC agite, ſultis, ſpectatores nunc iam,
Quæ quidem mihi, atque uobis res uortat bene,
Gregiq; huic: & dominis, atq; cõductoribus.
Face iam nunc præco omnem auritum populum.
*Age nũc reſide, caue * modo ne graxis.*
Nunc quid proceſſerim huc, & quid mihi uoluerim,

* *meis ne in gratijs.*

Dicam

Dicam: ut ſciretis nomen huius fabulæ.
Nam quod ad argumentum attinet, ſanè breue'ſt.
Nunc quod me dixi uelle uobis dicere,
Dicam: huic nomen græcè ONAGROS'ſt fabulæ.
Demophilus ſcripſit, Marcus uortit barbare.
ASINARIA uolt eſſe, ſi per uos licet.
Idem lepos, ludusq́; in hac comœdia.
Ridicula res eſt. date benigne operam mihi
Vt uos item aliâs, pariter nunc Mars adiuuet.

ACTVS PRIMVS.

LITANVS, ſeruos. DEMAENETVS, ſenex.

SIcut tuum uis unicum gnatum tuæ
Supereſſe uitæ ſoſpitem, & ſuperſtitem,
Ita te obteſtor per ſenectutem tuam,
Perq́; illam, quam tu metuis uxorem tuam:
Si quid m' erga hodie falſum dixeris,
Vt tibi ſuperſtes uxor ætatem ſiet,
Atque illa uiua, uiuus ut peſtem oppetas.
D. Per diuum Fidium quæris iurato mihi,
Video neceſſe eſſe eloqui quicquid roges:
Ita me obſtinate aggreſſus, ut non audeam
Profecto, percunctanti quin promam omnia.
Proinde actûtum iſtuc quid ſit, quod ſcire expetis,
Eloquere: ut ipſe ſcibo, te faciam ut ſcias.
L. Dic obſecro hercle ſeriò, quod te rogem:
Caue mihi mendacij quicquam. D. quin tu ergo rogas?
L. Num me illuc ducis, ubi LAPIS LAPIDEM terit?
D. Quid iſtuc eſt, aut ubi iſtuc eſt terrarum loci?
L. Vbi flent nequam homines, qui polentam * pranſitant, * pinſitant.
Apud fuſtitudinas ferri crepidinas inſulas,
Vbi uiuos homines mortui incurſant boues.
D. Quid iſtuc eſt, aut ubi iſtuc ſit, nequeo noſcere,
Vbi flent nequam homines qui polentam pranſitant.

Modo pol percepi Litane, quid iſtuc ſit loci,
Vbi ſit polenta, te fortaſſe dicere. L. ah
Neque hercle iſtuc dico, neque dictum uolo:
Teq; obſecro hercle, ut quæ locutus, deſpuas.
D. Fiat, geratur mos tibi. L. age age uſq; excrea.
D. Etiamne? L. age quæſo hercle uſq; ex penitis faucibus.
D. Etiam? L. amplius. D. nam quouſq;? L. uſque ad mortem uolo.
D. Caue ſis malam rem. L. uxoris dico, non tuam.
D. Dono te ob iſtuc dictum, ut expers ſis metu.
L. Di tibi dent quæcunque optes. D. redde operam mihi,
Propterea quòd me neſcientem feceris.
Quid iſtuc eſt, aut ubi iſtuc ſit, nequeo noſcere.
Cur hoc ego ex te quæram? aut cur miniter tibi?
Aut cur poſtremo filio ſuccenſeam,
Patres ut faciunt cæteri? L. quid iſtuc noui'ſt?
D. Equidem ſcio iam, filius quòd amet meus
Iſtanc meretricem è proxumo Philænium.
Eſt'ne hoc, ut dico Litane? L. rectam inſtas uiam,
Ea res eſt: ſed cum morbus inuaſit grauis.
D. Quid morbi eſt? L. quia non ſuppetunt dictis data.
D. Túne es adiutor nunc amanti filio?
L. Sum uerò, & alter noſter eſt Leonida.
D. Bene hercle facitis, & à me initis gratiam,
Verum meam uxorem neſcis qualis ſiet?
L. Tu primus ſentis, nos tamen prænoſcimus.
D. Fateor eam eſſe importunam, atq; incommodam.
L. Poſterius iſtuc dicis, quàm credo tibi.
D. Omnes parentes Litane liberis ſuis,
Qui mihi auſcultabunt, facient obſequelam:
Quippe qui magè amico utamur gnato, & beneuolo.
Atque ego me id facere ſtudeo: uolo amari à meis.
Volo mei patris me ſimilem, qui cauſſa mea
Nauclerio ipſe ornatu per fallaciam,
Quam amabam, abduxit ab lenone mulierem:

Neque puduit eum id ætatis ſycophantias
Struere, & beneficijs me emere gnatum ſuum ſibi.
Eos me decretu'ſt perſequi mores patris:
Nam me hodie orauit Argyrippus filius,
Vt ſibi amanti facerem argenti copiam:
Et id ego percupio obſequi gnato meo:
Volo amari obſecutum illius, uolo amet me patrem,
Quanquam illum mater arcte, contenteq; habet,
Patres ut conſueuerunt. ego mitto omnia hæc,
Præſertim quom is me dignum, quoi concrederet,
Habuit, me habere honorem eius ingenio decet:
Quom me adijt (ut pudentem gnatum æquom'ſt) patrem.
Cupio eſſe amicæ quod det argentum ſuæ.
L. Demiror quid ſit: & quò euadat, ſum in metu.
D. Equidem ſcio iam filius quòd amet meus.
L. Cupis id, quod cupere te nequicquam intellego.
Dotalem ſeruom Sauriam uxor tua
Adduxit, quoi plus in manu ſit, quàm tibi.
D. ARGENTVM ACCEPI DOTE, imperium uendidi.
Nunc uerba in pauca conferam, quid te uelim.
Viginti iam uſu'ſt filio argenti minis,
Face id ut paratum iam ſit. L. unde gentium?
D. Me defraudato. L. maxumas nugas agis:
NVDO DETRAHERE ueſtimenta me iubes.
Defrudem te ego? age ſis, tu ſine pennis uola.
Téne ego defrudem, quoi ipſi nihil eſt in manu?
Niſi quid tu porrò uxorem defraudaueris.
D. Qua me, qua uxorem, qua tu ſeruom Sauriam
Potes, circunduce, aufer: promitto tibi
Non obfuturum, ſi id hodie effeceris.
L. Iubeas una opera me PISCARI IN AERE,
VENARI AVTEM iaculo apros in medio mari.
D. Tibi optionem ſumito Leonidam,
Fabricare quiduis, quiduis comminiſcere,

Perficito argentum hodie ut habeat filius,
Amicæ quod det. L. quid ais tu Demænete?
Quid ſi forte in inſidias deuenero?
Tún' redimes me, ſi me hoſtes interceperint?
D. Redimam. L. tum tu igitur aliud cura quod lubet:
Eo ego ad forum, niſi quid uis. D. fiét ne? ambula.
Atq; audin' etiam? L. ecce. D. ſi quid te uolam, ubi eris?
L. Vbicunq; lubitum erit animo meo.
Profecto nemo eſt, quem iam dehinc metuam mihi,
Ne quid mihi nocere poßit, quandò tua
Oratione omnem animum oſtendiſti tuum:
Quin te quoq; ipſum faciam haud magni, ſi hoc patro.
Pergam quo occœpi, atq; ibi conſilia exordiar.
D. Audin' tu? apud Archibûlum ego ero argentarium.
L. Nempe in foro. D. ibi, ſi quid opus fuerit. L. meminero.
D. Non eſſe ſeruos peior hoc quiſquam poteſt,
Nec magis uerſutus, nec quo ab caueas ægrius,
Eidem homini, ſi quid rectè curatum uelis,
Mandes: moriri ſeſe miſerè mauolet,
Quàm non perfectum reddat, quod promiſerit.
Nam ego illud argentum tam paratum filio
Scio eſſe, quàm me hunc ſcipionem contui.
Sed quid ego ceſſo ire ad forum, quo incœperam?
Atq; ibi manebo apud argentarium.

ARGYRIPPVS, adoleſcens.

SIccine hoc fit, foras ædibus me eÿci?
Promerenti optume hoccine preciÿ redditur?
Bene merenti mala es, male merenti bona es?
At malo cum tuo: nam iam ex hoc loco
Ibo ego ad Treſuiros, ueſtraq; ibi nomina
Faxo erunt capitis. te perdam ego & filiam,
PERLECEBRAE, PERNICIES, adoleſcentum exitium,
Nam mare, haud eſt mare, uos mare acerrumum.
Nam in mari repperi, hic claui bonis.

Ingrata,

Ingrata, atq; irrita eſſe omnia intellego
Quæ dedi, & quod benefeci. at poſthac tibi
Male quod potero facere, faciam, meritoq́; id faciam tuo.
Ego pol te redigam, unde orta es, ad ægeſtatis terminos:
Ego pol te faciam, ut quæ ſis nunc, & quæ fueris, ſcias:
Quæ priuſquam iſtã adij, atq; amãs ego animũ meum iſti dedi,
Sordido uitam oblectabas pane, in panis inopia:
Atq; ea ſi erant, magnas habebas omnibus dis gratias.
Eadem, quom eſt melius, me quoius opera'ſt, ignoras mala.
Reddam ego te ex fera fame manſuetem, me ſpecta modo.
Nam iſti quid ſucceenſeam ipſi, nihil eſt, nihil quicquam meret:
Iuſſa facit, tuo imperio paret, mater, eadem hera es. (res.
Te pol ego ulciſcar, te ego, ut digna es, perdã, atq; ut de me me-
At ſceleſta, uiden' ut ne id quidem me dignum eſſe exiſtumat
Quem adeat? quem colloquatur? quoiq́; irato ſupplicet?
Atq; eccam illecebra exit tandem. opinor hic ante oſtium
Meo modo loquar, quæ uolam, quom intus non licitu'ſt mihi.

CLERETA, *lena.* ARGYRIPPVS, *adoleſcens.*

C. *VNum iſtorum quodq; uerbum nummis Philippeis aureis*
Non poteſt auferre hinc à me, ſi quis emptor uenerit.
Hæc rectè, quæ tu in nos dicis, aurum, atq; argentũ me-
Fixus hic apud nos eſt animus tuus clauo Cupidinis: (ru'ſt:
Remigio, ueloq́; quantum poteris, feſtina & fuge:
Quàm magis te in altũ capeßis, tam æſtus te in portum referet.
A. *Ego pol iſtum portitorem priuabo portorio:*
Ego te dehinc, ut merita es de me, & re mea, tractare exequar,
Quom tu me, ut meritus ſum, non tractas, quem eijcis domo.
C. *Magis iſtuc percipimus lingua dici, quàm factis fore.*
A. *Solus ſolitudine ego te, atq; ab egeſtate abſtuli:*
Solus ſi ductem, referre gratiam nunquam potes.
C. *Solus ductato, ſi ſemper ſolus, quæ poſcam, dabis.*
Semper tibi promiſſum habeto hac lege, dum ſuperes datis.
A. *Qui modu'ſt dandi? nam nunquam tu quidem expleri potes.*
Modo quũ accepiſti, haud multo poſt aliquid, quod poſcas, paras.

Quid

C. Quid modi'ſt? ductando, amando, nunquámne expleri potes?
Modo remiſiſti: continuo iam, ut remittam ad te, rogas.
A. Dedi equidē, quod mecum egiſti. C. & tibi ego miſi mulierem:
PAR PARI DATVM hoſtimentu'ſt, opera pro pecunia.
A. Male agis mecum. C. quid me accuſas, ſi facio officium meum?
Nam neq; uſquam fictum, nec pictum, neq; ſcriptū in poëmatis,
Vbi lena bene agat cum quiſquam amante, quæ frugi eſſe uolt.
A. Mihi quidem te parcere æquom'ſt tandem, ut tibi durem diu.
C. Non tu ſcis, quæ amanti parcet, eadem ſibi parcet parum?
QVASI PISCIS, itidē amator lenæ: nequam eſt niſi recens:
Is habet ſuccum, is ſuauitatem, cum quouis pacto condias,
Vel patinarium, uel aſſum uorſes, quo pacto lubet: (tur,
Is dare uolt, iſſe aliquid poſci. NAM VBI DE PLENO promi
Neſcit quid det, quid damni faciat: illi rei ſtudet:
Volt placere ſeſe amicæ, uolt mihi, uolt pediſequæ,
Volt famulis, uolt etiam ancillis, & quoq; catulo meo
Subblanditur nouos amator, ſe ut quom uideat gaudeat.
Vera dico, AD SVVM QVENQVE hominem quæſtum eſſe æquom'ſt callidum.
A. Perdidici iſtæc eſſe uera damno cum magno meo.
C. Si ecaſtor nunc habeas quod des, alia uerba perhibeas.
Nunc, quia nihil habes, maledictis ductare eam poſtulas.
A. Nō meum eſt. C. nec meū quidem ædepol, ad te ut mittā gratis.
Verum ætatis, atq; honoris gratia hoc fiet tui,
Quia nobis lucro fuiſti potius, quàm decori tibi:
Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum,
Hanc tibi noctem honoris cauſſa gratis dono dabo.
A. Quid ſi non eſt? C. tibi non eſſe credam? illa aliò ibit tamen.
A. Vbi quæ dedi ante? C. abuſa. nam ſi ea durarent mihi,
Mulier mitteretur ad te, nunquam quicquam poſcerem.
Diem, aquam, ſolem, lunam, noctem, hæc argento non emo:
Cætera quæ uolumus uti, GRAECA MERCAMVR FIDE.
Quom à piſtore panem petimus, uinum ex œnopolio,
Si æs habent, dant mercem: eadem nos diſciplina utimur:

Semper

Semper OCVLATAE NOSTRAE ſunt manus: credũt, quod (uident.
Vetus eſt, NIHILI COAXATIO. A. quoius?
C. non dico amplius.

A. Aliam nunc mihi orationem deſpoliato prædicas:
Longe aliam inquam præbes nunc, atq; olim quom dabam:
Aliam atque olim quom illiciebas blandè ad te, benedicè:
Tum mihi ædes quoq; arridebant, quom ad te ueniebam, tuæ:
Me unice unum ex omnibus te, atq; illam amare aiebas mihi.
Vbi quid dederam, quaſi columbæ pulli in ore ambæ meo
Vſque eratis: meo de ſtudio ſtudia erant uoſtra omnia:
Vſque adhærebatis: quod ego iuſſeram, quod uolueram
Faciebatis: quod nolebam, ac uetueram de induſtria,
Fugiebatis, neque conari id facere audebatis prius.
Nunc neque quid uelim, neque nolim facitis magni peſſumæ.

C. Non tu ſcis? hic noſter quæſtus aucupij ſimillimu'ſt.
Auceps quandò concinnauit aream, effundit cibum, aues
Aſſueſcunt: NECESSE'ST FACERE SVMPTVM, qui quærit lucrum.
Sæpe edunt: ſemel ſi ſunt captæ, rem ſoluont aucupi.
Itidem apud nos, ædis nobis area'ſt, auceps ſum ego:
Eſca eſt meretrix: lectus illix eſt: amatores, aues.
Bene ſalutando, conſueſcunt, compellando blanditer,
Oſculando oratione uinula, uenuſtula.
Si papillam pertractabit, haud eſt abs re aucupis.
Suauium ſi ſumpſit, ſumere eum licet ſine retibus.
Hæccine te eſſe oblitum, in ludo qui fuiſti tam diu?

A. Culpa tua iſthæc, quæ diſcipulum ſemidoctum abs te ſemoues.

C. Remeato audacter, mercedem ſi eris nactus. nunc abi.

A. Mane mane, audi, dic, quid me æquom cenſes tibi dare,
Annum hunc ne cum quiquam alio ſit? C. tune? uiginti minas:
Atque ea lege, ſi alius ad me prius attulerit, tu uale.

A. At ego etiam prius, quàm abis, uolo loqui. C. dic quod lubet.

A. Non omnino iam perij, eſt reliquom quod peream magis:
Habeo unde iſtuc tibi, quod poſcis, dem: ſed in leges meas

Dabo,

Dabo,ut.ſcire poßis,perpetuum annum hunc mihi uti ſeruiat:
Nec quenquam interea aliũ admittat prorſus,q̃ me,ad ſe uirum.
C. Quin ſi tu uoles,domi ſerui qui ſunt,caſtrabo uiros.
Poſtremo,ut uoles nos eſſe,ſyngrapham facito afferas:
Vt uoles,ut tibi lubebit,nobis legem imponito.
Modò tecum unà argentum afferto,facilè patiar cætera.
A. PORTITORVM ſimillumæ ſunt ianuæ lenoniæ.
Si affers,tum patent:ſi non eſt,quod des,ædes non patent.
Interij,ſi non ego inuenio illas uiginti minas:
Et profecto ni illud perdo argentum,pereundu'ſt mihi,
Nunc pergam ad forum,atq; experiar opibus,omni copia,
Supplicabo,exobſecrabo,ut quenq; amicum uidero.
Dignos,indignos abire,atq; experire certu'ſt mihi.
Nam ſi mutuas non potero,certu'ſt ſumam fœnore.

ACTVS SECVNDVS.

LITANVS.

HErcle uerò Litane,non te meliu'ſt,uel expergiſcier,
Atq; argento comparando fingere fallaciam?
Iam diu factu'ſt,quò diſceſti ab hero,atq; abiſti ad forũ
Igitur,inueniundo argento ut fingeres fallaciam:
Ibi tu ad hoc diei tempus dormitaſti in otio.
Quin tu ſecordiam omnem abs te reijce,& ſegnitiem amoue:
Atque ad ingenium uetus uerſutum te recipis tuum?
Sefua herum.caue tu idem faxis,alij quod ſerui ſolent,
Qui ad heri fraudationem callidum ingenium gerunt.
Vnde ſumam? quem interuortam? quò hanc celocem conferam?
Impetritum,inauguratu'ſt,quæuis admittunt aues.
Picus,& cornix eſt ab læua,coruos porrò ab dextera.
Conſuadent.certum hercle'ſt uoſtram conſequi ſententiam.
Sed quid hoc quòd picus ulmum tondit? haud temerarium'ſt.
Certe hercle,ego quantum ex augurio auſpicij intellego,
Aut mihi in mundo ſunt uirgæ,aut Atrienſi Sauriæ.
Sed quid illuc,quòd exanimatus currit huc Leonida?
Metuo ne ille obſcœnauit meæ falſæ fallaciæ.

LEO-

LEONIDA, & LITANVS, ſerui.

LE. VBi ego nunc Litanum requiram, aut familiarem filium,
Vt ego illos lubentiores faciam, quàm Lubentia eſt?
Maxumã prædam, & triumphũ eis affero aduẽtu meo.
Quandò mecum pariter potant, pariter ſcortari ſolent:
Hanc quidem, quam nactus prædam, pariter cum illis partiam.
LI. Illic homo ædeis compilauit, ſi more fecit ſuo.
Væ illi, qui tam indiligenter obſeruauit ianuam.
LE. Aetatem uelim ſeruire, Litanum ut conueniam modo.
LI. Mea quidem hercle opera liber nunquam fias ocyus.
LE. Etiam de tergo ducentas plagas prægnanteis dabo.
LI. Largitur peculium omne, in tergo theſaurum gerit.
LE. Nam ſi huic occaſioni tempus ſe ſubterduxerit,
Nunquam pol indipiſcet QVADRIGIS ALBIS poſtea:
Herum in obſidione linquet, inimicûm animos auxerit.
Sed ſi mecum occaſionem opprimere hanc, quæ obuenit, ſtudet,
Maxumas optumitates, gaudioq; offertiſsumas
Suis heris ille unà mecum pariet, gnatoq;, & patri:
Adeò ut ætatem ambo, ambobus nobis ſint obnoxij,
Noſtro deuincti beneficio. LI. uinctos neſcio quos ait,
Non placet. metuo in commune ne quam fraudem frauſus ſiet.
LE. Perij ego oppidò, niſi Litanum inuenio iam, ubiubi eſt gentium.
LI. Hic homo ſocium ad malam rem quærit, quem adiungat ſibi.
Non placet, PRO MONSTRO extemplò eſt, quandò qui ſudat, tremit.
LE. Sed quid ego hic properans conceſſo pedibus lingua largior?
Quin ego hanc iubeo tacere, quæ loquens lacerat diem?
LI. Aedepol hominem infelicem, qui patronam comprimat.
Nam ſi quid ſceleſtè fecit, lingua pro illo peierat.
LE. Approperabo: ne poſt tempus, prædæ præſidium parem.
LI. Quæ illæc præda eſt? ibo aduorſum, atq; electabo quicquid eſt.
Iubeo te ſaluere uoce ſumma, quoad uires ualent.
LE. Gymnaſium flagri, ſalueto. LI. quid ais cuſtos carceris?
LE. O catenarum colone. LI. ô uirgarum laſciuia.

LE. Quot pondo te eſſe cenſes nudum? LI. non ædepol ſcio.
LE. Scibam ego te neſcire: at pol ego, qui te expendi, ſcio:
Nudus uinctus centum pondo es, quando pendes per pedes.
LI. Quo argumẽto iſtuc? LE. ego dicã quo argumẽto, & quomodo.
Ad pedes quando alligatus es, æquom centupondium.
Vbi manus manicæ complexæ ſunt, atque adductæ ad trabem,
Nec dependes nec propendes, quin malus, nequamq; ſis.
LI. Væ tibi. LE. hoc teſtamento ſeruitus legat tibi.
LI. Verbis uelitationem fieri compendio uolo.
Quid iſtuc negocij'st? LE. certu'st credere: audacter licet
Sis amanti ſubuenire familiari filio,
Tantum adeſt boni de improuiſo, uerum commiſtum malo.
Omnes de nobis carnuficum concelebrabuntur dies.
Litanc nunc audacia uſu'st nobis inuenta, & dolis.
Tantum facinus modo inuenio ego, ut nos dicamur duo
Omnium digniſſumi eſſe, quò cruciatus confluant.
LI. Ergo mirabar, quòd dudum ſcapulæ geſtibant mihi,
Hariolariq; occœperunt ſibi eſſe in mundo malum.
Quicquid eſt eloquere. LE. magna eſt præda cum magno malo.
LI. Siquidem omnes coniuratim cruciamenta conferant,
Habeo opinor familiare tergum, ne quæram foris.
LE. Si iſtam animi firmitudinem obtines, ſalui ſumus.
LI. Quin ſi tergo res ſoluenda'st, rapere cupio publicum,
Pernegabo: atque obdurabo, periurabo denique.
LE. Hem iſta uirtus eſt, quandò uſu'st, qui malum fers fortiter.
FORTITER malum qui patitur, idem pòſt potitur bonum.
LI. Quin rem actûtum ediſſeris? cupio malum nanciſcier.
LE. Placide ergò unumquodq; derogita, ut acquieſcam. non uides
Me excurſura anhelitum etiam ducere? LI. age age manſero
Tuo arbitratu, uel adeouſq; dum peris. LE. Vbinam eſt herus?
LI. Maior apud foru'st, minor hic eſt intus. LE. iam ſatis eſt mihi.
LI. Tum igitur tu diues es factus. LE. mitte ridicularia.
LI. Mitto, iſtuc iam quod affers, aures expectant meæ.
LE. Animum aduorte, ut æquè mecum hæc ſcias. LI. taceo. LE. beat.

Memi-

Meminiſti aſinos Arcadicos mercatori Pellæo
Noſtrum uendere Atrienſem? LI. memini., quid tum poſtea?
LE. Hem ergo is argentum huc remiſit, quod daretur Sauriæ
Pro aſinis: adoleſcens uenit modo, qui argentum attulit.
LI. Vbi is homo'ſt? LE. iam deuorandum cenſes ſi conſpexeris.
LI. Ita enimuero: ſed tamen tu inepte eos aſinos prædicas,
Vetulos, claudos, quibus ſubtritæ ad femina iam erant ungulæ?
LE. Ipſos, qui tibi ſubuectabant rure huc uirgas ulmeas. (probè.
LI. Teneo, atque iidem te hinc uexerunt uinctum rus. LE. memor es
Verum in tonſtrina ut ſedebam, me infit percontarier,
Ecquem filium Stratônis nouerim Demænetum?
Dico me nouiſſe extemplo, & me eius ſeruom prædico
Eſſe, & ædeis demonſtraui noſtras. LI. quid tum poſtea?
LE. Ait ſe ob aſinos ferre argentum Atrienſi Sauriæ,
Viginti minas, ſed eum ſe non noſſe hominem, qui ſiet,
Quom ille eloquutus hæc ſit. LI. quid tum? LE. auſculta ergo, ſcies.
Ipſum uerò ſe nouiſſe callide Demænetum,
Extemplo facio facetum me, atq; magnificum uirum:
Dico me eſſe Atrienſem, ſic hoc reſpondit mihi,
Ego Pol Sauriam non noui, neque qua facie ſit ſcio.
Te non æquom'ſt ſuccenſere, ſi herum uis Demænetum,
Quem ego noui, adduce, argentum non morabor, quin feras.
Ego me dixeram adducturum, & me domi præſto fore.
Ille in balneas ituru'ſt, inde huc ueniet poſtea.
Quid nunc conſilij captandum cenſes? dic. LI. hem iſtuc ago,
Quo modo argentum interuortam, & aduectorem, & Sauriam.
Iam hoc opus eſt exaſciatum. nam ſi ille argentum prius
Hoſpes huc affert, continuo nos ambo excluſi ſumus.
Nam me hodie ſenex ſeduxit ſolum ſeorſum ab ædibus,
Mihi, tibiq; interminatus eſt, nos futuros ulmeos,
Ni hodie Argyrippo eſſent uiginti argenti minæ:
Iuſſit uel nos Atrienſem, uel nos uxorem ſuam
Defraudare: dixit ſeſe operam promiſſam dare.
Nunc tu abi ad forũ ad herũ, & narra hæc, ut nos acturi ſumus:

Te ex Leonida futurum eſſe Atrienſem Sauriam,
Dum argentum afferat mercator pro aſinis. LE. faciã ut iubes.
LI. Illum ego interea hic oblectabo prius ſi forte aduenerit.
LE Quid ais? LI. quid uis? LE. pugno malam ſi tibi percuſſero,
Mox quom Sauriam imitabor, caueto ne ſuccenſeas.
LI. Hercle uerò tu cauebis, ne me attingas ſi ſapis,
Ne hodie malo cum auſpicio nomen commutaueris.
LE. Quæſo æquo animo patitor. LI. patitor, te itẽ quõ ego referiã.
LE. Dico ut uſu'ſt fieri. LI. dico hercle ego quoq;, ut facturus ſum.
LE. Ne nega. LI. quin promitto inquam hoſtire contrà, ut merueris.
LE. Ego abeo, tu iam ſcio patiere. ſed quis hic eſt? is eſt,
Ille eſt ipſus. iam ego recurro huc, tu hunc interea hic tene:
Volo ſeni narrare. LI. quin tuum officium facies ergo, ac fugis?

MERCATOR, LITANVS.

M. VT demonſtratæ ſunt mihi, haſce ædeis eſſe oportet,
Demænetus ubi dicitur habitare. i, puere, pulta,
Atq; Atrienſem Sauriam, ſi eſt intus, euocato huc.
L. Quis noſtras ſic frangit foreis? ohè inquam ſi quid audis?
M. Nemo etiam tetigit: ſanus ne es? L. at cenſebam attigiſſe,
Propterea huc quòd iter habebas: nolo ego foreis cõſeruas meas
A' te uerberarier: ſanè ego ſum amicus noſtris ædibus.
M. Pol haud periclum eſt cardines ne foribus effringantur,
Si iſtoc exemplo omnibus, qui quærunt, reſpondebis.
L. Ita hæc morata ianua'ſt, éxtemplo ianitorem
Clamat, procul ſi quem uidet ire ad ſe calcitronem.
Sed quid uenis? quid quæritas? M. Demænetum uolebam.
L. Si ſit domi, dicam tibi. non eſt. M. quid? eius Atrienſis?
L. Nihilo magis intus eſt. M. ubi'ſt? L. ad tonſorem ire dixit.
M. Quom iuiſſet, pòſt non redijt? L. non ædepol. quid uolebas?
M. Argenti uiginti minas, ſi adeſſet, accepiſſet.
L. Qui pro iſtuc? M. aſinos uendidit Pellæo mercatori
Mercatu. L. ſcio, tu id nunc refers: iam hic credo cũ affuturum.
M. Qua facie uoſter Sauria'ſt? ſi is eſt, iam ſcire potero.
L. Macilentis malis, ruffulus, aliquantum uentrioſus,

Trucu-

Truculentis oculis, commoda ſtatura, triſti fronte.

M. Non potuit pictor rectius deſcribere eius formam.
Atq; hercle ipſum adeò contuor, quaſſanti capite incedit.

L. Quiſquis obuiam huic occeſſerit irato, uapulabit.

M. Siquidem hercle Aeacidinis minis, animisq; expletus incedit.
Si me iratus tetigerit, iratus uapulabit.

LEONIDA, MERCATOR, LITANVS.

LE. Quid hoc ſit negoci, neminem meũ magnifacere dictum?
Litanum in tonſtrinam ut iuſſerã uenire, is nullus uenit.
Næ ille ædepol tergo, & cruribus cõſuluit haud decorè.

ME. Nimis imperioſus eſt. LI. uæ mihi hodie. LE. ſaluere iuſsi
Litanum libertum, iam manu emiſſus? LI. obſecro te.

LE. Næ tu hercle cum magno malo mihi obuiam occeſsiſti.
Cur nõ ueniſti ut iuſſerã, in tonſtrinam? LI. hic me remoratu'ſt.

LE. Si quidem hercle nunc ſummum Iouem te dicas detinuiſſe,
Atq; is precator adſiet, malam rem effugies nunquam,
Tu uerbero, imperium meum contempſiſti? LI. perij hoſpes.

ME. Quæſo hercle noli Sauria, mea cauſſa hunc uerberare.

LE. Vtinam nunc ſtimulus in manu mihi ſit. M. quieſce quæſo.

LE. Qui latera conteram tua, quæ occalluere plagis.
Abſcede hâc, ſine me hunc perdere, qui ſemper me ira incendit:
Quoi nunquam rem me licet ſemel præcipere furi,
Quin centies eadem imperem, atq; oggarriã. itaq; iam hercle
Clamore, ac ſtomãcho non queo labori ſuppeditare,
Juſsin' ſceleſte ab ianua hoc ſtercus hinc auferri?
Iuſsin' columnis deijci operas aranearum?
Iuſsin' in ſplendorem dari bullas has foribus noſtris?
Nihil eſt. tanquam ſi claudus ſim, cum fuſte'ſt ambulandum.
Quia triduum hoc unum modo, foro operã aſsiduam dederim,
Dum reperiam qui quæritem argentum in fœnus, hic uos
Dormitis interea domi, at herus in hara, haud ædibus habitat.
Hẽ ergo hoc tibi. LI. hoſpes, te obſecro, defende. M. Sauria oro
Mea cauſſa, ut mittas. LE. ehò, ecquis pro uectura oliui
Reſoluit? LI. ſoluit. LE. quoi datu'ſt? LI. Sticho uicario ipſi

Tuo. LE. uah delenire apparas: mihi ſcio uicarium eſſe,
Neque eſſe ſeruom in heri ædibus, qui ſit pluris, quàm ille eſt.
Sed uina quæ heri uendidi uinario Exærambo,
Iam pro ijs ſatisfecit Sticho? LI. feciſſe ſatis opinor:
Nam uidi hunc ipſum adducere, & rapere in ius Exærambum.
LE. Sic obſecro? quàm credidi, uix anno poſt exegi.
LI. Nunc ſatagit, adducit domum etiam ultro, & ſcribit nummos.
LE. Dromo mercedem retulit? LI. dimidio minus opinor.
LE. Quid reliquom? LI. aiebat reddere, q̃ extẽplò ſibi redditũ eſſet:
Nam retineri, ut quod ſit operis ſibi locatum, efficeret.
ME. Scyphos, quos utendos dedi Philodamo, retulitne?
LI. Non etiam. LE. hem nunc, ſi uelis da commoda homini amico.
ME. Perij hercle: iam hic me abegerit ſuo odio. LI. heus iam ſatis tu.
Audin' quæ loquitur? LE. audio, & quieſco. ME. tandem opinor.
Conticuit: nunc adeam, optimu'ſt priuſquàm incipit tinnire.
Quàm mox mihi operam das? LE. hem optume, quám dudum tu aduenisti?
Non hercle te præuideram, quæſo ne uitio uortas,
Ita iracundia obſtitit oculis. ME. non mirum factu'ſt.
Sed ſi domi'ſt, Demænetum uolebam. LE. negat eſſe intus.
Verum iſtuc argentum tamen mihi ſi uis denumerare,
Repromittam iſthoc nomine ſolutam rem futuram.
ME. Sic potius, ut Demæneto tibi hero præſente reddam.
LI. Herus iſtũc nouit, atq; herũ hic. ME. hero huic præſente reddã.
LI. Da modo meo periculo, rem ſaluam ego exhibebo.
Nam ſi ſciat noſter ſenex fidem non eſſe huic habitam,
Succenſeat, quoi omnium rerum ipſus ſummam credidit.
LE. Non magnipendo ne duit: ſi non uolt, ſic ſine adſtet.
LI. Da inquam: uah formido miſer, ne hic me tibi arbitretur
Suaſiſſe ſibi ne crederes: da quæſo, ac ne formida,
Saluom hercle erit. ME. credam fore, dum quidem ipſe in manu habeo.
Peregrinus ego ſum, Sauriam non noui. LI. at noſce ſanè.
ME. Sit, non ſit, non ædepol ſcio. ſi is eſt, eum eſſe oportet:
Ego certè me incerto ſcio hoc daturum nemini homini.

Hercle

LE. Hercle iſtum di omnes perdunt, uerbo caue ſupplicaſſis:
Ferox eſt, uiginti minas meas tractare ſeſe.
Nemo accipit, aufer te domum, abſcede hinc, moleſtus ne ſis.
ME. Nimis iracunde, NON DECET ſuperbum eſſe hominem ſeruom.
LI. Malo hercle iam magno tuo nunc iſti ne recte dicis:
Impurè, nihili, non uides iraſci? LE. perge porrò.
LI. Flagitium hominis, da obſecro argentū huic, ne male loquatur.
ME. Malum hercle uobis quæritis. LE. crura hercle diffringemur.
Age impudice, ni iſtum impudicum percuties. LI. perij hercle
Sceleſte, non audes mihi ſceleſte ſubuenire?
LE. Pergin' precari peſſumo? ME. quæ res? tun' libero homini
Malè ſeruos loquere? LE. uapula. ME. id quidem tibi hercle fiet.
Vt uapules, Demænctum ſimul ac conſpexero. hodie
In ius uoco te. LE. non eo. ME. non is? memento. LE. memini.
ME. Dabitur pol ſupplicium mihi de tergo uoſtro. LE. uæ te.
Tibi quidem ſupplicium carnufex de nobis detur?
ME. Atque etiam pro iſtis maledictis pœnæ pendentur mihi hodie.
LE. Quid uerbero? ain' tu furcifer? herum noſmet fugitare cenſes?
I nunc iam ad herum, quò uocas iamdudum, quo uolebas.
ME. Nunc demū? tamen nunquam hinc feres argenti nummū, niſi me
Dare iuſſerit Demænctus. LE. ita facito, age ambula ergo:
Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?
Tam ego homo ſum, quàm tu. ME. ſcilicet ita res eſt. LE. ſequere
Proficiſcin' hoc dixerimus. nemo etiam me accuſauit (hâc ergo.
Merito meo, neque me Athenis alter hodie'ſt quiſquam,
Quoi credi rectè æquè putent. ME. fortaſſis, ſed tamen me
Nunquam hodie induces: ut tibi credam hoc argentum ignoto.
LVPVS EST HOMO HOMINI, non homo, quom qualis ſit, non nouit.
LE. Iam nunc ſecunda mihi facis, ſcibam hoc te capitulo hodie
Facturum ſatis pro iniuria: quanquam ego ſum ſordidatus,
Frugi tamen ſum, nec poteſt peculium enumerari.
ME. Fortaſſe. LE. etiam nunc dico, Periphanes Rhodius mercator

Diues abſente hero ſolus mihi talentum argenti ſoli
Adnumerauit, & mihi credidit, neq; deceptus in eo.
ME. Fortaſſe. LE. atque etiam tu quoq; ipſe, ſi eſſes percunctatus
Me ex alijs, ſcio pol crederes, nũc quod fers. ME. haud negaßim.

ACTVS TERTIVS.

CLERETA, lena. PHILENIVM, meretrix.

CL. NEque on' ego te interdictis facere manſuetam meis?
An ita es animata, ut quæ matris expers imperij ſies?
PH. Vbi piem pietatem, ſi iſto more moratam tibi
Poſtulem placere? mater mihi quo pacto præcipis?
CL. An decorum eſt, aduerſari meis te præceptis? quid eſt?
Hoccine eſt pietatem colere, imperium matris minuere?
PH. Neq; quæ recte faciunt culpo, neq; quæ delinquont amo.
CL. Satis dicacula es amatrix. PH. mater, is quæſtus mihi 'ſt,
Lingua poſcit, corpus quærit, animus orat, res monet.
CL. Ego te uolui caſtigare, tu mihi accuſatrix ades.
PH. Neque pol te accuſo, neque id me facere fas exiſtumo:
Verum ego meas queror fortunas, quom eo, quẽ amo prohibeor.
CL. Ergo una orationis pars de die dabitur mihi?
PH. Et meam partem loquendi, & tuam trado tibi:
Ad loquendum, atque ad tacendum tute habeas portiſculum.
Quin pol ſi repoſui remum, ſola ego in caſteria
Vbi quieſco, omnis familiæ cauſſa conſiſtit tibi.
CL. Quid ais tu, quam unam uidi mulierem audaciſsumam?
Quoties te uetui Argyrippum filium Demæneti
Compeliare, aut contrectare, colloquiue, aut contui?
Quid dedit? quid deportari iußit ad nos? an tu tibi
Verba blanda eſſe aurum rere? dicta docta pro datis?
Vltro amas, ultro expeteßis, ultro ad te accerſi iubes.
Qui dant, eos derides: qui deludunt, dederis.
Ante te id expectare oportet, ſi quis promittat tibi,
Te facturum diuitem eſſe ſi moriatur mater ſua?
Ecaſtor nobis periculum, & familiæ portenditur.
Dum eius expectamus mortem, ne moriamur fame.

Nunc adeò niſi mihi huc argenti affert uiginti minas:
Næ ille ecaſtor hinc trudetur largus lachrumarum foras.
Hic dies ſummu'ſt apud me inopiæ excuſatio.
PH. Patiar, ſi cibo carere me iubeas mater mea.
CL. Non ueto te amare qui dant, qua amentur gratia.
PH. Quid ſi hic animus occupatu'ſt mater? quid faciã? mone. C. hẽ,
Meum caput contemples, ſiquidem ex re conſultas tua.
PH. ETIAM OPILIO, qui paſcit mater alienas oueis,
Aliquam habet peculiarem qui ſpem ſoletur ſuam.
Sine me amare hunc unũ Argyrippum animi cauſſa, quem uolo.
CL. Intrò abi. nam te quidem ædepol nihil eſt impudentius.
PH. Audientem dicto mater produxiſti filiam.

LEONIDA, & LITANVS, ſerui.

LE. PErfidiæ laudes, gratiasq; habemus merito dis magnas.
Quom noſtris ſycophantijs, dolis, aſtutijsq;,
Scapularum confidentia, uirtute ulmorum freti,
Aduorſum ſtimulos, laminas, crucesq;, compedesq;,
Neruos, catenas, carcerẽs, numellas, pedicas, boias,
Tortoresq; acerrumos, gnarosq; noſtri tergi,
Qui ſæpe antè in noſtras ſcapulas cicatrices indiderunt.
Eas nunc legiones, copias, exercitusq; furum
Vi pugnando periurijs noſtris euge potiti,
Id uirtute huius collegæ, meaq; comitate
Factu'ſt. LI. qui me uir eſt fortior ad ſufferendas plagas?
LE. Aedepol uirtutes qui tuas nunc poßit collaudare,
Sicut ego poſſum, quæ domi, duelliq; male feciſti?
Næ illa ædepol pro merito tuo nunc memorari multa poſſunt:
Vbi fidentem fraudaueris, ubi hero infidelis fueris,
Vbi uerbis conceptis ſciens libenter periuraris,
Vbi parietes perfoderis, in furto ubi ſis deprehenſus,
Vbi ſæpe cauſſam dixeris pendens aduerſus octo
Aſtutos, audaceis uiros, ualenteis uirgatores.
LI. Fateor profecto, ut prædicas Leonida, eſſe uera.
Verùm ædepol næ & tua quoq; malefacta iterari multa

Et uero poſſunt, ubi ſciens fideli infidus fueris,
Vbi prehenſus in furto ſies, & manifeſtò uerberatus,
Vbi periuraris, ubi ſacro manus ſis admolitus,
Vbi heris damno, moleſtiæ, & dedecori ſæpe fueris.
Vbi creditum tibi quod ſit, tibi datum eſſe pernegaris,
Vbi amicæ, quàm amico tuo fueris magis fidelis,
Vbi ſæpe ad languorem tua duritia dederis octo
Validos lictores ulmeis affectos lentis uirgis:
Num male relata eſt gratia? collegam collaudaui?
Vt meq; teq; maxume, atque ingenio noſtro decuit.
LI. *Iam omitte iſta, atq; hoc, quod rogo reſponde.* LE. *rogita quod*
LI. *Argenti uiginti minas habésne?* LE. *hariolare.* *(uis.*
Aedepol ſenem Demænetum lepidum fuiſſe nobis:
Vt aßimulabat Sauriam me eſſe, quàm facete?
Nimis ægre riſum continui, ubi hoſpitem inclamauit.
Quòd ſe abſente mihi fidem habere noluiſſet.
Vbi memoriter me Sauriam uocabat Atrienſem?
LI. *Mane dũ.* LE. *quid eſt?* LI. *Philænium éſtne hæc, quæ intus exit,*
Atque Argyrippus unà? LE. *opprime os, is eſt, ſi hauſcultemus.*
Lachrumantem lacinia tenet lachrumans. quid nam eſſe dicam?
LI. *Tacite auſcultemus.* LE. *atat modo hercle in mentem uenit:*
Nimis uellem habere perticã. LI. *quoi rei?* LE. *qui uerberarem*
Aſinos, ſi forte occœperint clamare hinc ex crumena.

ARGYRIPPVS, PHILAENIVM,
LITANVS, LEONIDA.

AR. *CVr me retentas?* PH. *quia tui amans abeuntis egeo.*
AR. *Vale.* PH. *ah quanto amplius ualerem, ſi hic maneres.*
AR. *Salue.* PH. *ſaluere me iubes, quoi tu abiens affers moi bũ.*
AR. *Mater ſupremum mihi tua dixit, domum ire iußit.*
PH. *Acerbum funus filiæ faciet, ſi te carendum eſt.* *(quæſo.*
LI. *Homo hercle hinc excluſus eſt foras.* LE. *ita res eſt.* AR. *mitte*
PH. *Quò nunc abis? quin tu hic manes?* AR. *mox, ſi uoles, manebo.*
LI. *Audin' hunc, opera ut largus eſt nocturna? nunc enim eſt*
Negocioſus interdius: uidelicet Solon eſt,

Leges

Leges ut conſcribat, quibus ſe populus teneat: gerræ.
Qui ſeſe parere apparent huius legibus, profecto
Nunquam bonæ frugi ſient, dies noctesq; potent.
LE. Næ iſte hercle ab iſta non pedem diſcedat, ſiliceſcit,
Qui nunc feſtinat, atq; ab hac minatur ſeſe abire.
LI. Sermoni iam finem face tuo, huius ſermonem accipiam.
AR. Vale. PH. quò properas? AR. bene uale: apud horcũ te uidebo.
Nam equidem me iam, quantum poteſt, à uita abiudicabo.
PH. Cur tu obſecro immerito meo me morti dedere optas?
AR. Ego te? quam ſi intellegam deficere uita, iam ipſe
Vitam meam tibi largiar, & de mea ad tuam addam.
PH. Cur ergo minitaris tibi, te uitam eſſe amiſſurum?
Nam quid me facturam putas, ſi iſtuc quod dicis faxis?
Mihi certũ'ſt efficere in me omnia eadem, quæ tu in te faxis.
AR. O melle dulci dulcior mihi. PH. certe tu uita mihi,
Complectere. AR. facio lubens. PH. utinam ſic efferamur.
LE. OLitane, VT MISER eſt homo, qui amat? LI. imò hercle uerò
Qui pendet, multo eſt miſerior. LE. ſcio, qui periculum feci.
Circumſiſtamus, alter hinc, hinc alter appellemus.
LI. Here ſalue. ſed num fumus eſt hæc mulier, quam amplexare?
AR. Quî dum? LI. quia oculi ſunt tibi lacrumantes, ego rogaui.
AR. Patronus qui uobis fuit futurus, perdidiſtis.
LI. Equidem hercle nullum perdidi, ideo quia nũquam ullum habui.
LE. Philænium ſalue. PH. dabunt di, quæ uelitis, uobis.
LI. Noctem tuam, & uini cadum uelim, ſi optata fiant.
AR. Verbum caue faxis uerbero. LI. tibi equidem, non mihi opto.
AR. Tum tu igitur loquere quod lubet. LI. hunc hercle uerberare.
LE. Quiſnam iſtuc tibi adcredat cinæde calamiſtrate?
Tun' uerberes, qui pro cibo habeas, te uerberari?
AR. Vt uoſtræ fortunæ meis præcedunt Litane longe,
Qui hodie nunquam ad ueſperũ uiuam. LI. quapropter quæſo?
AR. Quia ego hanc amo, & hæc me amat: huic quod dem, nuſquam (quicquã'ſt:
Hinc me clamantẽ ex ædibus abegit huius mater.
AR. Argenti uiginti minæ me ad mortem appulerunt,

Quas

Quas hodie adoleſcens Diabolus daturum ipſi ſe dixit,
Vt hanc ne quôquam mitteret, niſi ad ſe, hunc annum totum.
Videtin' uiginti minæ quid pollent, quidue poſſunt?
Ille qui illas perdit, ſaluos eſt: ego qui non perdo, pereo.

LI. *Iã dedit argentũ?* AR. *nõ dedit.* LI. *bono animo es, ne formida.*

LE. *Secede huc Litane, te uolo.* LI. *ſi quid uis.* AR. *obſecro uos*
Eadem iſtac opera ſuauius eſt complexos fabulari.

LE. NON EADEM OMNIA *æque omnibus here ſuauia eſſe ſcito.*
Vobis eſt ſuaue amantibus complexos fabulari,
Ego complexum huius nihil moror, meũ autem hic aſpernatur.
Proinde iſtuc facias ipſe, quod faciamus, nobis ſuades.

AR. *Ego uerò, & quidem ædepol lubens. interea, ſi uidetur,*
Concedite iſtuc. LE. *uin' herum deludi?* LI. *dignu'ſt ſanè.*

LE. *Vin' faciam, ut me Philænium præſente hoc amplexetur?*

LI. *Cupio hercle.* LE. *ſequere hâc.* AR. *ecquid ſalutis locuti?*

LE. *Auſcultate, atq; operam date, & mea dicta deuorate.*
Primum omnium, ſeruos tuos nos eſſe, non negamus:
Sed ſi tibi uiginti minæ argenti proferemur,
Quo nos uocabis nomine? AR. *libertos.* LE. *at non patronos?*

AR. *Id potius.* LE. *uiginti minæ hic inſunt in crumena:*
Has ego ſi uis, tibi dabo. AR. *di te ſeruaßint ſemper*
Custos herilis, decus populi, theſaurus copiarum:
Salus interioris corporis, amorisq; imperator.
Hic pone, hic iſtam colloca crumenam in collo planè.

LE. *Nolo ego te, qui herus ſis mihi, onus iſtuc ſuſtinere.*

AR. *Quin tu labore liberas te, atq; iſtam imponis in me?*

LE. *Ego baiulabo. tu, ut decet dominum, ante me ito inanis.*

AR. *Quid nunc? quid eſt? quin tradis hac crumena preſſatum herum?*

LE. *Hanc quoi daturus, hanc iube petere, atq; orare mecum.*
Nam iſtuc procliue eſt, quod iubes plane collocare.

PH. *Da meus ocellus, mea roſa, mi anime, mea uoluptas*
Leonida argentum mihi, ne nos deiunge amanteis.

LE. *Dic igitur me tuum paſſerculum, gallinam, coturnicem,*
Agnellum, hœdillum, me tuum dic eſſe uel uitellum:

Pre-

Prehende auriculas,compara labella cum labellis.
AR. Ten' oſculetur uerbero? LE.quàm uerò indignum uiſum eſt?
Atqui pol hodie non feres,ni genua confricantur.
AR. Quid uis? egeſtas imperat,fricentur,da nunc quod oro.
PH. Age mi Leonida,obſecro fer amanti hero ſalutem:
Redime iſtoc beneficio te ab hoc,& tibi eme hunc iſto argento.
LE. Nimis bella es,atque amabilis:& ſi hoc eſſet meum,hodie
Nunquam remorarem,quin darem:illum te orare meliu'ſt.
Illic hanc mihi ſeruandam dedit,& ſanè bella belle.
Cape hoc ſis Litane. AR. furcifer,etiam me deluſiſti?
LE. Nunquam hercle facerem,genua ni tam nequiter fricares.
Ageſis tu in partē nunc iam hunc delude, atq; amplexare hanc.
LI. Taceas,me ſpectes. AR. quin adhuc,Philænium, aggredimur
Virum quidem pol optumum,& non ſimilem furis huius?
LI. Inambulandum eſt,nunc mihi uiciſsim ſupplicabunt.
AR. Quæſo hercle Litane,ſcis herum tuis factis ſoſpitari:
Da mihi iſtas uiginti minas,uides me amantem egere.
LI. Videbitur.factum uolo.redito huc conticinio.
Nunc iſtanc tantiſper iube petere,atque orare mecum.
PH. Amandone exorarier uis te,an oſculando?
LI. Enimuero utrunq;.PH.ego obſecro, & tu utrunq; noſtrū ſerua.
AR. O Litane mihi patrone, mihi trade iſtuc. LI. magis decorū'ſt
Libertum potius,quàm patronum onus in uia portare.
PH. O Litane ocellus aureus,donum,decusq; amoris,
Amabo,faciam quod uoles,da iſtuc argentum nobis.
LI. Dic igitur me te anaticulam,columbam,uel catellum,
Hirundinem,monedulam,pitillum paſſerculum:
Fac proſerpentem beſtiam,duplicem ut habeam linguam:
Circundato me brachijs,meumq; collum circumplecte.
AR. Ten' complectatur carnufex? LI. quàm uerò indignus uideor,
Næ iſtuc nequicquam dixeris tam indignum in me dictum:
Vehes pol hodie me,ſiquidem hoc argentum ferre ſperes.
AR. Ten' ego ueham? LI. tun'hoc feras argentum aliter à me?
AR. Peri hercle:uerùm ſi decorū'ſt quidem, herum uehere ſeruom,

Inſcen-

Inſcende. LI. ſic iſtic ſolent ſuperbi ſubdomari.
Aſta igitur, ut conſuetus es puer olim: ſcis ut dicam.
Hem ſic: abi: laudo: nec te equo magis eſt equos ullus ſapiens.
AR. Inſcende actûtum. LI. ego fecero. hem quid iſtuc? ut tu uideis?
Demam hercle iam de hordeo, tollutim ni badizas.
AR. Amabo Litane iam ſat eſt. LI. nunquàm hercle hodie exorabis.
Nam iam calcari quadrupedem agitabo aduorſum cliuom:
Poſtea ad piſtores dabo, ut ibi cruciere curriens.
Aſta, ut deſcendam nunc iam in procliui, quanquam nequam es.
PH. Quid nunc, quoniam ambo, ut eſt lubitum, nos deluſiſtis,
Datisne argentum? LI. ſiquidem mihi ſtatuam, & aram ſtatuis,
Atque ut deo mihi hic immolas bouem: nam ego tibi ſalus ſum.
LE. Etiam tu here iſtunc amoues abs te, atque ipſe me aggredere:
Atque illa ſibi, quæ hic iuſſerat, mihi ſtatuis, ſupplicasq;.
AR. Quē te autem deum nominē? LE. Fortunam, atq; Obſequelam.
AR. Iam iſtoc es melior. LI. an quid eſt homini Salute melius?
AR. Licet laudem Fortunam, tamen ut ne Salutem culpem.
PH. Ecaſtor ambæ ſunt bonæ. AR. ſciam, ubi boni quid dederint.
LE. Opta id, quod ut cōtingat tibi uis. A. qd ſi optaro? LE. eueniet.
AR. Opto annum hunc perpetuū mihi huius operas. LE. impetraſti.
AR. Ain' uero? LE. certe inquā. LI. ad me adi uiciſſim, atq; experire.
Exopta id, quod uis maxume tibi euenire, fiet.
AR. Quid ego aliud exoptem amplius, niſi, quoius inopia'ſt,
Viginti argenti commodas minas, huius quidem matri?
LI. Dabuntur: animo ſis bono, facile exoptata obtingent.
AR. Vt conſueuere, HOMINES SALVS fruſtratur, & Fortuna.
LE. Ego caput huic argento fui hodie reperiundo.
LI. Ego pes fui. AR. quin nec caput, nec pes ſermonis apparet:
Nec quid dicatis, nec me cur ludatis, ſcire poſſum.
LI. Satis iam deluſum cenſeo: nunc rem, ut eſt, eloquamur.
Animum Argyrippe aduorte ſis, pater nos ferre hoc iuſſit
Argentum ad te. AR. ut tempore, opportuneq; attuliſtis.
LI. Hinc inerunt uiginti minæ bonæ, mala opera partæ:
Has tibi nos pactis legibus dare iuſſit. AR. quid id eſt quæſo?

Noctem

LI. Noctem huius, & cœnã ſibi ut dares. AR. iube aduenire quæſo,
Meritiſsimo eius quæ uolet, faciemus, qui hoſce amores
Noſtros diſpulſos compulit. LE. patieris Argyrippe
Patrem hanc amplexari tuum? AR. hæc faciet facile ut patiar
Leonida. curre obſecro, patrem huc orato ut ueniat.
LE. Iamdudum eſt intus. hâc quidem non uenit angiporto.
Illâc per hortum circuit clàm, ne quis ſe uideret
Huc ire familiarium: ne uxor reſciſcat, metuit.
De argento ni mater tua ſciat, ut factum ſit. AR. eia,
Benedicite: ite intrò citò. ualete. LE. & uos amate.

ACTVS QVARTVS.

DIABOLVS, adoleſcens, & PARASITVS.

DI. AGedum iſtum oſtende, quem conſcripſiſti ſyngraphum
Inter me, & amicam, & lenam. leges pellege,
Nam tu poëta es prorſus ad eam rem unicus.
PA. Horreſcet ſaxo lena, leges quom audiet.
DI. Age quæſo mihi hercle translege. PA. Audin'? DI. audio.
PA. Diabolus Niclauci filius Cleretæ
Lenæ dedit dono argenti uiginti minas,
Philænium ut ſecum eſſet noctes & dies,
Hunc annum totum. DI. neq; cum quiquam alio quidem.
PA. Addone? DI. adde, ut ſcribas uide planè, & probe.
DI. Alienum hominum intromittat neminem
Quod illa aut amicum, aut patronum nominet,
Aut quod illa amica amatorem prædicet.
Fores occluſæ omnibus ſint, niſi tibi,
In foribus ſcribat occupatam eſſe ſe.
Aut quod illa dicat peregre allatam epiſtolam:
Ne epiſtola quidem ulla ſit in ædibus:
Nec cerata adeò tabula. & ſi qua inutilis
Pictura ſit, eam uendat, ni quatriduo
Abalienarit, quo ex te argentum acceperit:
Tuus arbitratus ſit: comburas, ſi uelis.
Ne ulla ſit cera, ubi facere poſſit literas.

Vocet

Vocet conuiuam neminem: illam tu voces.
Ad ſociûm nequem oculos adijciat ſuos.
Si quem alium aſpexit, cæca continuò ſiet.
Tecum unà poſtea æquè pocula potitet,
Adſtet, accipiat, tibi propinet, tu bibas.
Ne illa minus, aut plus, quàm tu, ſapiat. DI. ſatis placet.
PA. Suſpiciones omnes ab ſe ſegreget.
Neque illhæc ulli pede pedem homini premat,
Quom ſurget, neque in lectum inſcendat proxumum.
Neque quom diſcedet inde, det quoiquam manum.
Spectandum ne quoiquam anulum det, neque roget.
Talos ne quoiquam homini admoueat, niſi tibi.
Quom iaciat, te ne dicat, nomen nominet.
Deam ſibi inuocet, quam lubet propiciam,
Deum nullum. ſi magis religioſa fuerit,
Tibi dicat: tu pro illa ores, ut ſit propicius.
Neque illa ulli homini nutet, nictet, annuat.
Poſt id, ſi lucerna extincta ſit, ne quid ſui
Membri commoueat quicquam in tenebris. DI. optumu'ſt
Ita ſcilicet facturam. uerum in cubiculo
Deme iſtuc. equidem illam moueri geſtio:
Nolo habere illam cauſſam, & uotitam dicere.
PA. Scio, captiones metuis. DI. uerum. PA. ergo ut iubes,
Tollam. DI. quid ni? PA. audi reliqua. DI. loquere, audio.
PA. Neque ullum uerbum faciat perplexabile,
Neque ulla lingua ſciat loqui, niſi Attica.
Forte ſi tuſsire occepſit, ne ſic tuſsiat,
Vt quoiquam linguam in tuſsiendo proferat.
Quod illa autem ſimulet, quaſi grauedo profluat.
Hoc ne ſic faciat, tu labellum abſtergeas
Potius, quam quoiquam illa ſuauium faciat palàm.
Nec mater lena ad uinum accedat interim.
Nec illi uerbo maledicat: ſi dixerit,
Hæc mulcta ei eſto, uino uiginti dies

Vt careat. DI. pulchre ſcripſti:ſcitum ſyngraphum.
PA. Tum ſi coronas,ſerta,unguenta iuſſerit
Ancillam ferre Veneri,aut Cupidini:
Tuus obſeruet Veneri ne eas det,an uiro.
Si forte puras uelle habere dixerit,
Tot noctes reddat ſpurcas,quot puras habuerit.
Hæc ſunt non nugæ,non enim mortualia.
DI. Placent profectò leges:ſequere intrò. PA. ſequor.

DIABOLVS, & PARASITVS.

DI. SEquere hac:egóne hæc patiar?aut taceam?emori
Me malim,quàm hæc non eius uxori indicem.
Ain' tu,apud amicam munus adoleſcentuli
Fungare?uxori excuſes te,& dicas ſenem?
Præripias ſcortum amanti,atque argentum obijcias
Lenæ?ſuppiles clàm domi uxorem tuam?
Suppendas potius me,quàm tacita hæc auferas.
Iam quidem hercle ad illam hinc ibo,quam tu propédiem,
(Niſi quidem illa ante occupaſſit te)effliges ſcio,
Luxuriæ ſumptus ſuppeditare ut poſſies.
PA. Ego ſic faciundum cenſeo:me honeſtiu'ſt,
Quàm te,palàm hanc rem facere:ne illa exiſtumet
Amoris cauſſa percitum id feciſſe te
Magis,quàm ſua cauſſa. DI. at pol quin dixti rectius.
Tu ergo face ut illi turbas,lites concias:
Cum ſuo ſibi gnato unà ad amicam de die
Hunc potitare,illam expilare,iam emone.
PA. Eſto,iſtud curabo. DI. at ego te opperiar domì.

ACTVS QVINTVS.

ARGYRIPPVS, DEMAENETVS.

AR. AGedum decumbamus ſis pater. DE. ut iuſſeris
Mi gnate,ita fiet. AR. pueri,menſam apponite. (bat?
DE. Nunquid nā tibi moleſtu'ſt mi gnate,ſi hæc mecū accu-
AR. Pietas pater oculis dolorem prohibet.quanq̃ ego iſtanc amo,
Poſſum equidē inducere animū,ne ægre patiar,q̃ tecū accubat.

DE. DECET VERECVNDVM ESSE adoleſcentem Argyrip pe. AR. ædepol pater
Merito tuo facere poßum. DE. age ergo, hoc agitemus conuiuiũ
Vino, & ſermone ſuaui, nolo ego metui, amari mauolo
Mi gnate me abs te. AR. pol ego utrũq; facio, ut æquom'ſt filiũ.
DE. Credã iſtoc, ſi eſſe te hilarẽ uidero. AR. an tu eẽ me triſtẽ putas?
DE. Putẽ ego, quem uideã æque eſſe mœſtũ, ut quaſi dies ſi dicta ſit?
AR. Ne dixis iſtuc. DE. ne ſic fueris, illico ego non dixero.
AR. Hem aſpecta, rideo. DE. utinã male qui mihi uolunt, ſic rideant.
AR. Scio equidem quamobrem me pater triſtem credas nunc tibi:
Quia iſtæc eſt tecũ. atq; ego quidẽ hercle ut uerũ tibi dicã pater
Ea res me male habet: ac nõ eò, quin tibi non cupiam, quæ uelis:
Verùm iſtã amo, aliam tecũ eſſe equidem facile poſſum perpeti.
DE. At ego hanc uolo. AR. ergo ſunt, quæ exoptas. DE. mihi quæ ego exoptem, uolo.
Vnum hunc diem perpetere, quoniam tibi poteſtatem dedi
Cum hac annum ut eſſes, atq; amanti argenti feci copiam.
AR. Hẽ iſtoc me facto tibi deuinxiſti. DE. qn te ergo hilarẽ das mihi?

ARTEMONA, mulier. PARASITVS, DEMAENETVS. ARGYRIPPVS. PHILAENIVM, meretrix.

Art. An tu meum uirum hic potare obſecro cum filio?
Et ad amicam detuliſſe argenti uiginti minas?
Meoq; ſciente filio id facere flagitium patrem?
PA. Neq; diuini, neq; mihi humani quicquam accreduas
Artemona, ſi huius rei eſſe mendacem inueneris.
Art. Ah ſceleſta, ego, præter alios meum uirum fui rata
Siccum, frugi, continentem, amantem uxoris maxumè.
PA. At nunc dehinc ſcito illum ante omnes minimi mortales precij,
Madidum, nihili, incontinentem, atq; oſorem uxoris ſuæ.
Art. Pol ni uera iſta eſſent, nunquam faceret ea, quæ nunc facit.
PA. Ego quoq; hercle illũ antehac hominẽ ſemper ſum frugi ratus
Verùm hoc facto ſeſe oſtendit, qui quidem cum filio
Potet unà, atq; unam amicam ductet decrepitus ſenex.
Art. Hoc ecaſtor eſt, quòd ille it ad cœnam quotidie.

Ait ſeſe ire ad Archidemum,Chercam,Chereſtratum,
Chreſtum,Chremem,Cratinum,Cliniam,Demoſthenem:
Is apud ſcortum,corruptelæ,& liberis luſtris ſtudet.
PA. Quin tu illum iubes ancillas rapere ſublimem domum?
Art. Tace modo:næ illum ecaſtor miſerũ habebo. PA.ego iſtuc ſcio
Ita fore illi,dum quidem cum illo nupta eris. ART.ego cenſeo
Eum etiam hominem ſenatui dare operam,aut clientibus,
Ibi labore delaſſatum noctem totam ſtertere.
Ille opere foris faciundo laſſus,domum noctu aduenit.
FVNDVM ALIENVM ARAT,incultum familiarem deſerit.
Is etiam corruptus,porro ſuum corrumpit filium. (mas.
PA. Sequere hâc me modo, iã faxo ipſum hominẽ manifeſto oppri-
Art. Nihil ecaſtor eſt,quod facere mauelim. PA.manedũ. ART.quid
PA. Poßis,ſi forte accubantem tuum uirum conſpexeris, (eſt?
Cum corona amplexum amicam ſi uideas,cognoſcere?
Art. Poſſum ecaſtor. PA. hem tibi hominẽ. ART. perij. PA.pauli-
Aucupemus ex inſidijs clanculũ quam rem gerant. (ſper mane,
Arg. Quid modi pater amplexandi facies? DE. fateor gnate mi.
Arg. Quid fatêre? DE. me ex amore huius corruptum oppidò.
PA. Audin' quid ait? ART. audio. DE. egon' ut nõ domi uxori meæ
Surripiam in delicijs pallam, quam habet,atq; ad te deferam?
Non ædepol conduci poſſum uita uxoris annua.
PA. Cenſén tu illum hodie primum ire aſſuetum in ganeum?
Art. Ille ecaſtor ſuppilabat me,quod ancillas meas
Suſpicabar,atq; inſonteis miſeras cruciabam. ARG.pater
Iube dare uinum,iamdudum factu'ſt quom primum bibi.
DE. Da puere ab ſummo. age tu interibi ab infimo da ſuauium.
Art. Perij miſera,ut oſculatur carnufex capuli decus.
DE. Animam ædepol ſuauiorem aliquantò,quàm uxoris meæ.
PH. Dic ámabo,an fœtet anima uxori tuæ? DE. nauteam
Bibere malim ſi neceſſum eſt,quàm illam oſcularier.
Art. Miſer ecaſtor es. PA. ecaſtor dignus eſt. ARG. quid ais pater?
Art. Ain' tandem? næ tu iſtuc cum magno malo tuo
Dixiſti in me: ſine uenias modo domum,faxo ut ſcias

Quid pericli ſit dotatæ uxori conuicium dicere.

Arg. Ecquid matrē amas? ME. egone? illā nunc amo quia non adeſt.

Arg. Quid quom adeſt? DE. peryſſe cupio. PA. amat homo te hic, ut

Art. Næ ille ecaſtor fœnerato funditat. nam ſi domum (prædicat.

Redierit hodie, oſculando ego ulciſcar potiſſumum.

Arg. Iace pater talos, ut porrò nos iaciamus. DE. maxume,

Te Philænium mihi, atq; uxori mortem. hoc Venerium eſt.

Pueri plaudite, & mihi ob iactum, camharo mulſum date.

Art. Non queo durare. PA. ſi non didiciſti fullonicam,

Non mirandu'ſt, in oculos inuadere optumum eſt.

Art. Ego pol uiuam, & tu is hæc hodie cum tuo magno malo

Inuocaſti. PA. ecquis currit pollinctorem accerſere?

Arg. Mater ſalue. ART. ſic ſalutas? PA. mortuus eſt Demænetus:

Tempus eſt ſubducere hinc me. pulchrè hoc gliſcit prælium.

Ibo ad Diabolum, mandata dicam facta, ut uoluerit:

Atq; interea ut decumbamus ſuadebo, hi dum litigant.

Pòſt demum huc. cras adducam ad lenam, ut uiginti minas

Ei det, in parte hâc amanti ut liceat potirier.

Argyrippus exorari ſpero poterit, ut ſinat

Seſe alternas cum illo nocteis hanc frui. nam ni impetro,

Regem perdidi, ex amore tantum eſt homini incendium.

Art. Quid tibi huc receptio ad te eſt meum uirū? PH. pol me quidem

Miſeram hodie enicabit. ART. ſurge amator, i domum.

DE. Nullus ſum. ART. Imò es, ne negato, omnium pol nequiſſumus:

At etiam cubat cuculus: ſurge amator, i domum.

DE. Væ mihi. ART. uera hariolare: ſurge amator, i domum.

DE. Abſcede ergo paululum iſtinc. ART. ſurge amator, i domum.

DE. Iam obſecro uxor. ART. nunc uxorem me eſſe meminiſti tuam?

Modo quom dicta in me ingerebas, odium, non uxor eram.

DE. Totus perij. ART. quid tandem? anima fœtétne uxoris tuæ?

DE. Myrrham olet. ART. iam ſurripuiſti pallā, quam ſcorto dares?

Arg. Ecaſtor, qui ſurrepturum pallam promiſit tibi.

Art. Non taces? ARG. ego diſſuadebam mater. ART. bellum filium:

Iſtoſcine patrem æquom'ſt mores liberis largirier?

Nihil

Nihil'ne te pudet? DE. pol ſi nihil aliud ſit, tui me uxor pudet.
Art. Cano capite te cuculum uxor ex luſtris rapit.
DE. Non licet manere, cœna coquitur, dum cœnem modo?
Art. Ecaſtor cœnabis hodie, ut dignum eſt, magnum malum.
DE. Male cubandum eſt, indicatum me uxor adducit domum.
Arg. Dicebam pater, ne matri conſuleres male.
PH. De palla memento amabo. DE. iuben' hanc hinc abſcedere?
Art. Imò intus potius: ſequere me hâc. DE. ego uerò ſequor.
Art. Ite domũ. PH. da ſuauium etiã prius, quàm abis. DE. i in crucẽ.

GREX.

Hic ſenex ſi quid clam uxore, ſuo animo fecit uolup,
Neq; nouom, neq; mirum fecit, nec ſecus, quàm alij ſolẽt.
NEC QVISQVA'ST tam ingenio duro, nec tam firmo pe(ctore
Quin ubi quicquam occaſionis ſit, ſibi faciat bene.
Nunc ſi uoltis deprecari huic ſeni, ne uapulet,
Remur impetrari poſſe, ſi plauſum ſic clarum datis.

ANNOTATIONES IN ASINARIAM.

De nomine Comœdię.

ASinaria appellata eſt Latinè, à Græcis ὀναγρος, ut poëta ipſe teſtatur prologo. Græcus autem titulus longe uenuſtior (quamuis utraq; inſcriptio à facto deducta ſit) fuiſſe mihi apparet. non enim ab onagro, hoc eſt ſylueſtri aſino, uerum ἀπὸ τοῦ ἀγρεύειν τοὺς ὄνους, id eſt à uenãdis aſinis (erat autem Græcis ὄνος denarij genus non exigui) nomen inuenit. Tenuia fortaſſis hæc uidebuntur, uerũ quis ſatis exacte noſſe poteſt, quorſum reſpexerit antiqtas.

Dramatis perſonæ.

In hac Litanus primas partes obtinet, huic poëta nomẽ dediſſe uidetur, ἀπὸ τοῦ λιτανεύειν, quod eſt ſuppliciter orare, & precari, quòd propemodum precibus perpulerit Mercatorem, ut Leonidæ pro Sauria argentum traderet.

DEMAENETVS Senis è Græca comœdia nomen, ἀπὸ τοῦ αἰτιᾶσθαι τὸν δῆμον, quòd ſenes apud quoslibet de fortu-

nis ſuis nunquàm conqueri deſinant.

ARGYRIPPVS adoleſcens amator ἀπὸ τοῦ ἱππεύεσθαι ὑπὸ ἀργύρου, quod ob auri cupiditatem & deſiderium ſeruulo ſuo Litano ſe inſtar equi ſummiſerit.

CLERETA, ἀπὸ τοῦ κληρῶσθαι, referunt enim ex amoribus lenæ ſuas quoque partes & lucra. Niſi malis deductum nomen ἀπὸ τοῦ κλήρου uermiculi genere, qui frumenta depaſcitur, & ab aucupibus in eſcam auium captari ſolet.

LEONIDAS. Ex facinoris aggreſſione & audacia, nomen commodum obtinet.

PHILAENIVM meretrix ἀπὸ τοῦ αἰνεῖσθαι ἐν τῷ φιλεῖν, ab amando. Sic enim Græci ſcribunt cum diphthongo αι, non ut nos Philenium.

DIABOLVS adoleſcẽs, Latinis calumniator poſſet uocari, patri enim & filio riualibus per paraſitum ſuum calumnias magnas ſtruxit, delatis ſcilicet ad Artemonam amatorum nominibus, qui cum Philenio genio ſuo benefaciebant.

ARTEMONA. Demæneti hæc uxor eſt, quæ ſcilicet adeo hinc nomen habet, quod totius familiæ cura eius humeris impendebat, ab artemone notiſſimo ueli genere. Aut ob id fortaſſis Artemona dicta eſt, quòd ſenis flagitium caſtigauerit & correxerit, nam & id aliquando ἀρτάειν Græca uox ſignificat.

SAVRIA. Atrienſis ſeruus Sauria appellatur, fortaſſis à fidelitate & cura erga patronos. Nomen id omnino à Græco Sauro, quod lacertum ſignificat expreſſum eſt. Hieroglyphici autem quoties fidem alicuius & curã erga ſuos ſignificare uolunt lacertum depingunt. Poteſt & ob id lacertus dici, quod ueteres ab animalibus ſeruos ſuos appellabant, ſic & quidam Mures, & Caninij dicti ſunt, quam rem & Donatus uidetur annotaſſe.

IN PROLOGVM.

Et dominis & conductoribus.) Præfectos ſpectaculorum per aſſentationem dominos appellat. Erant autem illi ædiles, ut ex ueterum monumentis apud omnes in confeſſo eſt. Conductores autem quos intelligat præter eos quos choragos Græci uocant non uideo. Solent enim præter reliqua quæ agebant choragi, etiam ornamenta perſonarum, ſcenarumq; ab ædilibus conducere, & hinc dicti ſunt conductores. Hinc apud Plautum in Perſa dicitur: πόθεν ornamenta? ab cho-

ab chorago ſumito. Qui omnia ſuppeditanda ſcenicis rede mit. Plura apud Budæum in annotationib. in pandectas.

Face iam nunc præco omnem auritum populum.) Qui præcones tantummodo tragœdiis adſcribunt, & id obnixe defendunt, illos moneo ut ex hac comœdia errorem ſuum caſtigent. Erat autem præconum officium, populum deſidem & minime ad audiendum promptum reddere attentiorem, preterea ſtrepitũ, ca chinnos, & murmura ſedare.

Caue modo ne graxis.) Præconem alloquitur, cuius garrulitatem (ſolet enim hoc hominum genus, ubi ſemel inceperint, à blaterando minime ſuperſedere) ut & aliâs, notaſſe uidetur.

Demophilus ſcripſit.) Varie legitur hoc carmen apud diuerſos. Sunt enim exemplaria quę in hunc modum habent. Dephilus ſcripſit, Marcus uertit Barbarus. Manuſcriptum pro Dephilus habet Diphillus, quam equidem lectionem præ cæteris arripiendam eſſe autumo, primum quod Diphilus comœdiarum ſcriptor fuiſſe legatur, ut clarius apud Ariſtophanis interpretem patet, qui plæraſq; illius comœdias citat, deinde quod huius poëtæ nomine onagros paſſim à Polluce allegetur. Nam quod geminata l. litera Diphillus pro Diphilus ſcriptum reperias, nihil eſt quod te mouere debeat, cum hanc licentiam frequẽtiſſime etiam poëtę gratia carminis uſurpent. Alioquin & apud Homerum iterum atq; iterum φίλος priore longa cognoſcitur.

Marcus uortit Barbare.) Pilades poëtę interpres barbare ad grammaticam figuram Barbariſmum ſcilicet generis refert. Nam cum Græcè dicatur onagros genere maſculino, Plautus fœminino genere Aſinariam dicere maluit. Frigidum hoc commentum eſt, & omnino inutile. Longe autem melius locum iſtum interpretati ſunt, qui Latinę linguæ proprietatem obſeruare paulo diligentius uidentur. Durauit enim uſq; ad Catonis Cenſorij tempora conſuetudo, ut Romani ſcriptores, ſi quando ſe cum Grecis conferrent, barbari appellatione magis quàm alia gauderent. Cũ alioqui & Græci Romanos cum reliquis omnibus nationibus Barbaros cenſerent. Hinc & noſter poëta Neuium alibi Barbarum dixit. Poſſet etiam omnino ueriſimiliter Barbare à poëta dictum uideri, quo culpam inſolitæ & minus uenuſtę ex Græca Diphili comœdia tranſlationis deprecetur.

EX SCENA I. ACTVS I.

Sicut tuum uis gnatum unicum ſuperſtitem.) Fuit apud priſcos illos parentes maxima liberorum cura. Nam pro mox natorum etiam ſalute, & Ioui Gamelio, Iunoniq; Gameliæ eius uxori ſacra faciebant. In quibus hoc ſolum ut filius parentum hæres eſſet, & ſuperſtes illis funus faceret uſque ad ſuperſtitionem precabantur. Meminit eius rei in problematis Plutarchus. Saluſtius etiam in Iugurtha huc reſpexit: Neque quiſquàm parens liberis uti æterni forent optauit, magis uti boni honeſtiq; uitam exigerent. Sed & Cicero de natura deorum, ſuperſtitionem hinc deducit, & illos ait ſuperſtitioſos eſſe appellatos, qui totos dies precabantur & immolabant, ut ſibi ſui liberi ſuperſtites eſſent. Ne dicam interim Terentium quoque eandem cum Plauto ſententiam protuliſſe, in ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ: Ita mihi atque huic ſis ſuperſtes, ut ex me atq; hoc natus es, Quem locum interpres explicans, admonet antiquum aliquem parentum iurandi morem fuiſſe. Quod additur à poeta unicum ἐμφατικὸν eſt, & πρὸς δήλωσιν facit, quale hoc Heſiodi:

μουνογενὴς δὲ πάϊς σώζοι πατρώϊον οἶκον.

Atq; paterna domus nato ſeruetur ab uno.

Si quid me erga.) Mederga legendum antiquorum conſuetudine, ſed ſenſu & ſignificatione eiſdem.

Vt tibi ſuperſtes uxor.) Qui antiquitatis ſtudioſi eſſe cupierunt, teſtantur uiros id, in cõtrahendis matrimoniis tanquàm abominandum deprecari ſolitos fuiſſe.

Vbi flent nequam homines qui polentam pranſitant.) Quamuis ſingularia quædam exemplaria pinſitant legãt, non dubito tamen quin à Plauto pranſitant ſcriptum ſit, quo αἰνιγματωδέστερον ſit quod dicitur: alioqui prima fronte facile intellectum fuiſſet à Demęneto. Quod uero ait, flent Gręcorum eſt οἰμώζειν, quod rem malam habere ſignificat.

Num me illuc ducis, ubi lapis.) Non obſcure piſtrinam, ſeruorum ſupplicium deſcribit. Erant illic molę quas truſatiles uocant, quas cum peccaſſent grauius, manibus ducere cogebantur. Eſt autem apud comicos nominatiſſima ſeruorum iſta pœna. Sed & Lyſias excellens Græcię orator in apologia de Heratoſthenis cæde, ancillæ, cui uxoris ſuæ & Heratoſthenis adulterium cognitum erat, eodem ſupplicii genere minatur. σοὶ οὖν (inquit) ἔξεστι δυοῖν ὁπότερον βούλει ἑλέσθαι, ἢ μαστιγωθεῖσαν εἰς μύλωνα ἐμπεσεῖν, καὶ μηδέποτε παύσασθαι κακοῖς τοιούτοις συνεχομένην, ἢ κατειποῦσαν ἅπαντα τ᾽ ἀληθῆ μηδὲν

παθεῖν

παθεῖν κακὸν, ἀλλὰ συγγνώμης παρ᾽ ἐμοῦ τυχεῖν ἁμαρτημάτων. Hoc eſt, Itaq; integrum tibi nunc eſt, ut ex duobus, quod magis uelis eligas, an poſtquàm flagris cæſa ſis in piſtrinam, ubi nunquàm à continuis erumnis requies dabitur, iniici uelis, an omnia quę noui ſti, uere confeſſa, nihil omnino pati incommoditatis, & præterea peccatorum tuorum ueniam conſequi cupias.

Apud fuſtudinas ferricrepidinas inſulas.) Inſulas uocat molas, quod in mediis piſtrinæ locis collocatæ, ueluti inſulæ ſpeciem præbeant. Fuſtudinas uero, quod illic fuſtibus adigerentur ſeruuli ſi alicubi ceſſarent. Ferricrepidinas etiam, quod compedibus uincirentur, ne fugiendi daretur facultas.

Vbi uiuos homines.) Cædebantur (quod etiam nùm fit) peccantes ſerui flagellis ex tergore bouino confectis. Vide Cœlium lib. 8. cap. 7.

Vt quæ locutus deſpuas.) Metaphora ducta eſt ab iis qui rem ignominioſam, & quam faſtidiunt, ſpuendo ſignificãt ſe execrari & contemnere. Id Græci dicunt ἀποπτύειν. Eurypides, κακοὺς δ᾽ ἀποπτύομεν ὥσπερ ἄξιοι.

Rectam inſtas uiam.) Chiliades explicant.

Sed eum morbus inuaſit grauis.) Hoc eſt quod Demoſthenes dicere ſolebat, eos qui pecunia careant, neque inter uiuos neque inter mortuos eſſe, ſiquidem animam hominis pecuniam recte exiſtimari.

Dotalem ſeruom.) Dotalis ſeruus eſt qui marito cũ uxore ſimul cum dote datur προικῷον δοῦλον Græci appellant. Vergilius dotalia arua, & dotales Tyrios in 4.

Dotem accepi, imperium uendidi.) Ex Anaxymiride comico hæc tranſtulit:

ὅστις γαμεῖν βούλεται, οὐ βουλεύεται
ὀρθῶς, διότι βουλεύεται, κ᾽ οὕτω γαμεῖ.
πολλῶν κακῶν γὰρ ἐστιν ἀρχὴ τοῦ βίου,
ὁ γὰρ πένης ὢν τὴν γυναῖκα χρήματα
λαβὼν ἔχει δέσποιναν, οὐ γυναῖκ᾽ ἔτι
ἣ ἐστὶ δοῦλος καὶ πένης.

Viginti uſuſt filio.) Græciſmus eſt pro opus eſt, ſic enim Græci loqui ſolent χρείαν ἔχω, id eſt uſus habeo, pro opus. Viginti autem minę ualent plus minus ducentis coronatis.

Nudo detrahere ueſtimenta me iubes.)

Explicatur ab Eraſmo in Chiliadibus.

Defrudem ego te.) Ita Nonius habet. Eraſmus defraudem legit, ſecutus opinor uulgatam lectionem.

Ageſis ſine pennis uola.) Eandem ſententiam in Pœnulo, eadem ſane ratione uſurpauit. Sine pennis uolare haud facile eſt.

Iubeas una opera me piſcari in aëre.) Significat nulla ratione fieri poſſe, id quod conaris. extat apud Palladam epigrammatarium.

ἀέρι ὢν δὲ πλέκειν πολυμήχανα δίκτυα χαίρεις.

Venari autem iaculo apros.) Gemina lectio ſuos autores habet, uulgata enim retiaculo habent, recentiora reticulo. Eraſmus citat iaculo. Ne autem aliquis abſurdum exiſtimet quod reticulo ſcriptum ſit, nam & ſic quoque in Caſina & alibi inuenias.

Tibi optionem ſumito Leonidam.) μεταφορικῶς ſumpſit optionem, pro adiutore uidelicet & uicario, quaſiq; collega adoptato. Optio enim in re militari is appellatur, quem decurio, aut centurio optat ſibi rerum priuatarum miniſtrum, quo facilius obeat officia publica. Plura apud Feſtũ.

Tum redimes me ſi hoſtes.) Μεταφορὰ ab hoſtium conſuetudine ducta, ſic enim plærunq; inſidiatoribus, & exploratoribus uſu uenire ſolet. Cęſar in com. Mittuntur ad Cęſarẽ confeſtim à Cicerone literę magnis propoſitis pręmijs ſi pertuliſſent, obſeſſis omnibus uijs miſſi intercipiuntur.

Nempe in foro.) Argentarij ſiquidem & nummularij Romæ in foro publico tabernas conductas habebant. Terent. in Phormione: Sed tranſi ſodes ad forũ, atq; illud mihi argentum rurſus iube reſcribi Phormio. Sed de tabernis mox plura.

Ibi ſi quid opus fuerit.) Vel hoc ad ſeipſum, uel ad argentarium refertur. quaſi dicat, & hic quoque aliqua ratione conſilia tua exercere poteris.

SCENA II.

Ibo ego ad treſuiros.) Hij dicebantur capitales, quòd de maleficijs capitis pœna dignis iudicabant. Solent autem rei nomen apud magiſtratum ante accuſationem datis tabulis deferre, ut alibi latius à me dicetur.

Mare non eſt mare.) Recte lenam & meretricem mare uocat, tanquàm magnarum calamitatum concinnatrices. Mare autem inter elementa periculoſum admodum eſt, quam-

quamobrē Aeſchylus in Perſis, ἄμαχον κῦμα θαλάσσης dixit. At ſi fœminæ comparetur mare nō eſt mare. Extat lepidus apud Græcos ſenarius, qui mare ignem & fœminā tria mala eſſe aſſeuerat: θάλασσα καὶ πῦρ καὶ γυνὴ κακὰ τρία.

Sordide uitam oblectabas.) Sic apud Ariſtophanem Patrocles pauper quibuſuis erat contentus, diues autem factus, quæ antea ſumme concupiuerat contempſit.

Quem colloquatur.) Eclipſis præpoſitionis ad. Priſciano eſt ἀρχαϊσμός.

SCENA III.

Remigio ueloq́;.) Extat in Chiliadibus.

Hoſtimentum eſt pro pecunia.) Hoc eſt, neuter habet quod alteri exprobret. tu filiam meam amabas, miſſa eſt: ego pecuniam, tu dediſti. Hoſtimentum autem Feſtus Pompeius beneficij penſationem exponit. Nonius à priſco uerbo hoſtire, quod eſt paria facere deducit.

Quaſi piſcis itidem amator.) Manet etiamnum hoc uerbum apud omnes celebratiſſimum. Cæterum ſignificat poëta ſatietatem in omnibus ineſſe rebus, ac hoſpitem quantumuis primis horis gratum, fœtere tamen poſtea, & naribus obſordeſcere, non aliter ac piſces mortui. Quantum autem fuerit faſtidium Romæ mortuorum piſcium docere poteſt Seneca li. naturalium quæſtionum 3. cap. 18.

Condias.) Recte condias: piſcis enim niſi condiatur garo, & pigmentis, ita ſapit ut libentius abſtineas, quàm edas.

Catulo meo.) Melitæo ſcilicet, ſolet enim hoc genus hominum abſente amatore huiuſmodi ludicris ſeſe oblectare. A Melita catellos, μελιταίους, & ὑποκοριστικῶς μελιταιοκυνίδιον Græci appellant. cuius quidem opera in ſerijs nullius uſus erat, ſed tantum ut cum ocioſis matronis & meretriculis quibus continuum propter inertiam ociū placet, luderet.

Pol didici iſthæc eſſe.) Explicatur in Chiliadibus.

Abuſa.) Proprijſſime uſus uerbo hoc poëta, nimirum in uino, unguentis, pigmentis & eiuſcemodi ſumptibus. Nam id ſignificat abuti teſte Donato.

Diem aquam.) Hæc enim iuris naturalis ſunt, quę autem talia, omnibus communia cenſentur. Vnde apud Ouidium: Quid prohibetis aquas, uſus communis aquarum.

Græca mercamur fide.) Hoc eſt, ut ante dixit numerata pecunia in manum. Vide Chiliades Eraſmi. Græca fide.

Vinum ex œnopolio.) Legitur & thermopolium. Eſt autem

tem œnopolium taberna uinaria, ἀπὸ τοῦ οἴνου καὶ πωλεῖν.

Semper oculatæ manus.) Vide prouerbiorum Chiliades oculatę manus. &, oculis magis habēda fides q̃ auribus.

Vetus eſt nihili cotio.) Explicatur prouerbium ab Eraſmo, qui ueram lectionem non coactio, ſed cotio aſſerit. Cæterum Laberius apud Gellium lib. 16. cap. 7. cotionem ariolatorem dixit ſiue aruſpicem. Horum ars ob frequentia mēdacia ita deſpicatui eſt habita, ut in prouerbium abierit, Nihili cotio. quòd multa quidem promitterent in futurum, rem præſentem non exhibentes.

Quaſi columbę pulli.) Similitudo ab auis natura ducta, unde & uerbum columbare & columbatim apud Nonium in mimo, Columbatim conſerens labra labris.

Vinula.) Nonius uinnula uidetur legere & interpretatur illecebroſa. Feſtus uero Pompeius uinula habet, ac à uino deducit. interpretaturq́; uinnulus molliter ſe gerens, & minime quid uiriliter faciens.

ACTVS II. SCENA I.

Hercule.) Eiuſcemodi quoque conſultationem ſerui fingit Terentius in Andria.

Quò hanc celocem.) Metaphora à nautis ſed feſtiua admodum & lepida, qua ſignificat ſe dubitare quibus rationibus & qua celeritate nauem in portum ducat, hoc eſt rem ad optatum exitum perducat. Celox apud Nonium genus eſt nauigñ.

Impetritum in auguratuſt.) Omnia antiquos auſpicato feciſſe docet Donatus. Impetritum autem Feſtus impetratum exponit. Politianus uſurpauit pro impeditum. Eſt autem auguribus uerbum proprium.

Quouis admittunt aues.) Admittunt, id eſt addicunt.

Picus & cornix eſt ab leua.) Totus hic locus ex aruſpicum diſciplina ſumptus. Vide Ciceronem de diuinat. Et Plinium. Cornicis autem ſiniſtræ augurium Melibœus Vergilianus infauſtum oſtendit.

Sed quid hoc eſt quod picus ulmum tondit.) Augurium non hinc ducitur quod arborem roſtro tundit, ſed quia ulmum tundit arborem, ex qua uirgæ, quibus ſerui cædebantur ſolent componi.

Aut mihi in mundo ſunt.) In mundo in promptu, in procinctu. quemadmodum Græci quoque, quod præ manibus eſt in mundo eſſe dicunt, κεῖσθαι ἐν κόσμῳ.

Metuo

Metuo quod illic obſcœnauit.) Deductum uerbũ ab obſcœnis auibus, qui infauſti infelicisq́ ominis ſignum repræſentabant.

SCENA II. ACTVS II.

Aetatem uelim ſeruire.) Hyperbole prouerbium ſapiens pro tam diu quàm longa eſt ætas, teſte Marcello. Quo ſanè in loco Libanus ſcribitur non Litanus.

Albis quadrigis.) Chiliades albis æquis præcedere.

Aedepol hominem infelicem, qui patronam comprimat.) Quemadmodum patronam Plautus uocat linguam, ita apud Menandrum ſeruulus quiſpiam (ut Cœlius Rhodoginus refert) linguam ſibi aſpida eſſe dixit, quod ea ſe tanquàm ſcuto defenderet, è quibus duobus uerbis poſtea Menander unum conficiens, omnes ſeruos γλωσσάσπιδας uocauit metaphoricè.

Quot pondo.) Supplicium ſeruorum indicat, quod Latini fidiculum uocãt, Græci χονισμὸν, ſolent enim tortores manus, pedesq́ ſimul deuincire à tergo, & ſaxis ingentibus tanquàm funes extendere.

Verbis uelitationem.) Metaphora ab exemplo uelitaris pugnæ. Vide Nonium, & F. Pompeium.

Tantum adeſt boni de improuiſo, uerum commiſtu'ſt malo.) Conueniunt cum his quæ annotauimus in Amphitryonem: Voluptatis comes triſtitia eſt, addo quod in ὠσχοφορίᾳ Græcorum feſto, ſacrificantibus aſtantes conclamarent ἐλελεῦ ἰοὺ ἰού, Id eſt euge heu. qua lætitiam & bonum ſignificabant nunquam ſine malo eſſe. Et Ouidius: Et mala ſunt uicina bonis, dixit.

Habeo opinor familiare tergum.) Nonius legendum indicauit familiarem tergum. Nam hoc loco tergum maſculino genere legendum aſſerit.

Periurabo atque obdurabo.) Scribendum haud dubie obiurabo.

Fortiter malum qui patitur poſt potitur bonum.) ἐὰν μέλι ζητῇς κέντρων μελιττῶν φέρε. Vt Plutarchus ait. Apium ſtimulos feras neceſſe eſt, mel ſi petas, & Mimus in hanc ſententiam. Feras quod lædit, ut quod prodeſt perferas.

Meminiſti aſinos Arcadicos.) Plinius li 8. ca. 43. Arcadicos aſinos precipue à ueteribus quæſitos oſtendit, atq; in aſinis peregrinis ſolã Arcadiam patriã ſpectari. Hinc opinor eſt quòd Arcades ſtupidos & ignauos finxerit uetuſtas, ut

quorũ pecorum copia, & horũ quoq; moribus abundarent.

Mercatori Pellæo.) Hos mercatores famoſiſſimos fuiſſe facile eſt uidere apud Lucianum, in commentario, quo pacto quis cito rhetor &c.

Vetulos claudos.) Quales ſcilicet plerunq; ſunt. Nam (ut Plinius ait) uaria ſomnia concipiunt ictu pedum, qui niſi per inane emicuerit, repulſu durioris materiæ claudita tem illico adfert. Quod autem detritas ad femina ungulas dixit, non temere à poëta factum, ſed naturam huius animalis reſpexit, quod inter ſpinas & carduos, aliosq; duriores paſcatur frutices.

ACTVS II. SCENA III.

Quin promitto.) Superius in eo uerſu, Hoſtimentum eſt opera pro pecunia, ſatis declaratum eſt.

Aliquantum uentrioſus.) Nonius uentrioſus habet, alibi etiam uentricoſus, ſed Feſtus uentrioſus tantum. hos Ariſtophanes γαστρώδεις appellat.

Aeacidinis minis.) Pro maximis, & ſummopere euitandis, extat ἰλιάδ. α. ubi Achilles ſtricto gladio minatur plurima Agamemnoni.

Animisq;.) Id eſt, θύμοις, hoc eſt iris, & furoribus. Procul dubio Græcam hanc uocem Plautus tranſtulit, quæ & pro animo, & furore ſubito, iraq; ſumitur.

ACTVS II. SCENA IIII.

Saluere iuſſi Litanum libertum, iam manumiſſus es.) εἰρονικῶς, quaſi dicat, nondum is es in quem poteſtatem non habeam. Cœlius Ro. lib. 8. cap. 16.

Quæ occalluere plagis.) Hoc eſt, ſenſum mali aſſuetudine amiſere. alibi ad animũ tranſtulit, occalluit tibi animus

Quæ triduum hoc unum.) Dictum eſt ſuperius argentarios in foro Romano tabernas habuiſſe, imo etiam ut facile ex hoc loco colligere datur, & fœneratores in foro tabernas habuerunt. Nam & hij ut cæci, lucrum expectant, hominum frequentia. Quod hoc ſic ſe habeat, adducẽdum Ciceronis teſtimonium, qui æs fœneraticium, circunforaneum appellat, eius uerba ſic habent in epiſtolis ad Atticum. Tuſculanum & Pompeianum me ualde delectant, niſi quod me ipſum illum uindicem æris alieni, ære non Corinthio ſed hoc circunforaneo obruerunt. Teſtatur & Hermolaus Barbarus in annotationibus in Pliniũ, ubi etiam addicit Porphyrionem Horatij enarratorem ſuper illum uerſum

um: Poſtq̃ res mea Ianum Ad medium fracta eſt. teſtem. ¶ Ad Ianos, inquit, eos qui ſunt in regionem baſilicæ qua & Romę forum erat, fœneratores conſiſtunt ſub ueteribus ut Plautus ait &c.

Et ſcribit nummos.) Id eſt per ſcripturam reddit uel dat. Hic etiam ſermo ſumptus eſt à rationibus fœneratorum.

Scyphos quos utendos.) Hanc conſuetudinem foris rogandæ ſuppellectilis, quæ domi deſideraretur apud ueteres etiam fuiſſe facile eſt uidere ex Heſiodi Georgicis. Item in Aulularia Euclio iubet extingui ignẽ ne à uicinis auferatur.

Repromittam iſtoc nomine.) Id eſt, ſtipulatione à te cõcepta, me obſtringam. Sic Cicero in Bruto: Non mehercule repromittere iſthuc quidẽ auſus ſum, neminem amplius eo nomine petiturum. Et iſtoc nomine: id eſt hac ſyngrapha. Nomen enim pro ſyngrapha creditarum aut ſolutarum pecuniarum ſumi, iam omnibus innotuit.

In ius uoco te, Leonid. non eo. &c.) Quo pacto multabantur qui ius detractarent, uide Gellium.

Tu contumeliam.) Alluſit poëta procul dubio ad parœmiam cuius autor Heſiodus in ergis.

εἰ δὲ κακὸν εἴποις τάχα κ᾽ αὐτὸς μεῖζον ἀκούσαις.

Alluſit eodem Terent. *Si mihi pergit quæ uult dicere, quæ nõ uult audiet.* Alibi Plau. Contumeliã ſi dices audies.

Lupus homo homini quom qualis ſit non nouit.) Eraſmus in Chiliadibus. Habent plæraq; omnia exempla quĩ, ſic etiam Eraſmus legit.

Iam nunc ſecunda mihi facis.) ἔρδεις. Huic enim uerbo reſpondet apud Latinos facere, quod & θύειν, id eſt ſacrificare, & πράττειν, id eſt, agere ſignificat.

Quamq̃ ego ſum ſordidatus.) Interrogatus Diogenes Cynicus cur pallium lacerum & ſordidum circumferret, reſpondit, quoniam melius non habeo, alius excipiens hoc, atqui ſic latrones & ſycophantæ apud nos ueſtiuntur, animum reſpondit inſpice, quoniam hic ſanus & frugi eſt. Sordidatus autem hic ſignificat, qui ueſte obſoleta, obtritaq; utitur. id ex Antoniana ſecũda facile eſt uidere, ubi ſeruos uilibus indutos, ſordidata mancipia appellat Cicero.

Vbi piem pietatem.) Id eſt, colam cuſtodiam. Nonius.

Tute habeas portiſculum.) Egregiè hunc locum explicat Nonius Marcell. eſtq; doctiſſima metaphora à nautarum

rum moribus, cum nauclerus iubet aut quieſcere, aut operæ inſiſtere.

Sola ego in caſteria.) Explicat hunc locum Lactantius Placidius in 5. Statij his uerbis. Pertica eſt quædam in naui quam hortator remigum tenet, quam ſi incuſſerit, remiges non deſinunt, ſi depoſuerit quieſcunt, à labore, hanc caſteriam Plautus nominauit in Aſinaria. Hæc ille.

SCENA II. ACTVS III.

Aduerſum ſtimulos.) Vide Cœlium Rhodoginum li. 6. cap. 5. de generibus ſuppliciorum. Eſt autem imitatio Ariſtophanis, apud quem ſeruus tympana, cruces, cyphonasque deſpicit, ſi id conſequatur cuius ſpem conceperat.

Vbi uerbis conceptis ſciens libenter periuraris.) Conceptis uerbis periurare, eſt inexpiabili iuramento ſe contaminare. Budæus in annota. in pandectas. Sciendum autem eſt iuraturo formulam quandam & rationem certis notatam uerbis, in quam iurandum eſſet, proponi ſolitam, quod etiam noſtra tempeſtate fieri uidemus.

Vbi parietes perfoderis.) Hoc eſt muricidam egeris, nam hos alibi appellat muricidas, à ſcindendis muris, quos Græci τοιχωρύχους appellant. Vide quæ de hac uoce notauit Hermolaus in Plinium.

In furto ubi ſis deprehenſus.) Id eſt, ἐπ' αὐτοφόρῳ εἰλημμένος uel αὐτόφορος, id eſt, manifeſtario furto conuictus deprehenſus in facinore. Dignum ſcitu quod Suidas ait, ueteres non animaduertere ſolitos fuiſſe in fures, niſi φωραθέντας ἐπ' αὐτοφόρῳ, id eſt, niſi palàm in furto inuentos.

Pendens aduerſus octo.) Dictum eſt in Amphitruone.

Valentes uirgatores.) Cœlius lib. 6. cap. 5.

Vbi ſacro manus ſis admolitus.) ἱερόσυλος βωμόλογόςque (fueris.

Validos lictores.) ῥαβδούχους & μαστιγοφόρους & ῥαβδοφόρους. Datur ex Ariſtophanis interprete intelligere, ῥαβδούχους quandoque in ſcenam adductos cum heris, qui ſeruos inſolentiæ arguerent.

Lachrumantem lacinia tenet.) Cœlius Rhodog. lib. 9. cap. 51. Et Eraſmus in Chiliadibus, Lacinia tenere.

SCENA III. ACTVS III.

Mater ſupremum tua mihi dixit.) Ab hac loquendi conſuetudine manarunt ſuprema uoluntas, ſupremum agere, & in carmine Auguſti, ſuprema uox. Et ualedicimus etiam quibus male precamur.

Acer-

Acerbum funus.) Reſpexit poëta, quod amantes, in uiuo corpore mortuos fingunt.

Dies noctesq́ꝫ potent.) Explicatur in Chiliadibus.

Siliceſſit.) Malim legas ſi liceſſit q̃ Ciliceſſit cum Guarino Veronenſi. κιλικίζει, peruerſe agit, à Cilicum moribus.

Apud Horcũ te uidebo.) Cœlius Rhodoginus li. 6. ca. 18.

Abiudicabo.) μεταφορικῶς condemnabo, tractum à Iudicum conſuetudine, qui reos à uita abiudicant, & ad mortem adiudicant.

O melle dulci dulcior.) ὑπερβολικῶς: Sciendum eſt quod latini & Græci ſimul, ſolo mellis nomine dulcem quàmuis rem ſignificant. Quod autem poëtam carpunt, quaſi per pleonaſmũ adiecerit dulci, ſciant ex autoribus mella quoqꝫ amara pluribus in regionibus eſſe. Quale apud ueteres Corſicum & Bithynicum, & quod noſtra tempeſtate aromatarij Trapezontium uocant.

Efferamur.) Græcum eſt ἐκφερώμεθα funeribus educendis aptum uerbum.

Sed num fumus eſt hæc mulier.) Agathius epigrammatarius καπνὸς δ' ὀφθαλμοῖσι κάκιστος.

Cinæde calamiſtrate.) Calamiſtratus à calamiſtro dictus, id Græci uocant καλαμὶς, ornamentum comæ, id eſt, κόσμαριόν τι περὶ τοὺς πλοκάμους.

Salus interioris corporis.) Subeſſe aliud puto quàm uulgus commentatorum tractat. Videtur enim mihi poëta ſignificaſſe uim amoris, qui interiora corporis uſque ad oſſa depaſcere dicitur.

Tu ut decet dominum ante me ito.) Cœlius Rhodog. lib. 5. Seruatur adhuc conſuetudo hæc ut heros ſerui ſubſequantur. Ridiculum autem eſt quod Lucianus dicit ſeruos mox heros à tergo ſequi, ne moleſtiores ſint uentris crepitu & fœtore.

Atqui pol hodie non feres ni genua confricantur.) Vbique pro confricantur & fricantur, Romanum exemplar complicantur & plicantur habebat, genua autem precibus dicata & miſericordiæ uulgus nouit. unde & græci γονοπετεῖν uerbo deducto ἀπὸ τοῦ γόνυ καὶ πετεῖν, id eſt, à genubus & cadere ſignificant, ſupplicare obſecrare &c.

Nam ego tibi ſalus ſum.) Veteres enim prodeſſe hominibus, dei officium eſſe putabant, atqꝫ hinc eſt, cur uiros pro patria, aris, focis certantes θείους, id eſt, diuinos, quod com-

munem ſalutem defenderent appellarint.

Fac proſerpentem beſtiam.) αἰσχρολογία turpiſſima à natura ſerpentum, quibus lingua biſulca.

Quid eſt homini ſalute melius.) Iuxta græcum ſenarium notiſſimum. οὐκ ἔσθ' ὑγιείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ.

Ego caput huic argento.) Caput negotij aliquem uocamus, præcipuum autorem, perinde ut & fontem dicimus. Terentius in Andria: Illic eſt huic rei caput, id eſt, origo, & cauſa, & ſumma. Virgilius item: O Latio caput horum & cauſſa malorum.

ACTVS IIII. SCENA I.

Quod autem illa ſimulet quaſi grauedo profluat.) Grauedo, id eſt, κορύζα ſiue μύξα uiſcoſus ſcilicet craſſusq; humor in nareis deſidens. Paulus lib. 3. Ab hac dictione Plinius ſenes grauedinoſos appellauit.

Purcas.) Spurcas fere omnes legunt.

Mortualia.) Quæ cito abolentur, Cœlius Rhodoginus lib. 11. cap. 60.

ACTVS V. SCEA I.

Quaſi dies ſi dicta ſiet.) Quaſi certa dies accuſationis reo conſtituta ſit.

ACTVS V. SCENA II.

Ille opere foris faciundo.) Obſcœnior ſubeſt ſenſus quẽ Theognis diſticho apertius protulit.

ἐχθαίρω δὲ γυναῖκα περίδρομον ἄνδρα τε μαργὸν.
ὅσις ἀλλότριον βούλετ' ἄρουραν ἀροῦν.

Ducta autem metaphora eſt ab Agricolis. Sic & Lucretius libro 4.

Cum corona.) De hac quoque re ſatis in Amphitruone, propterea ceſſandum hic: ſi addiderim hæc Ariſtotelis tantum ςεφάνοις, inquit, ἐχρῶντο ἐν τοῖς συμποσίοις εὐετηρίαν καὶ ἀφθονίαν αἰνιττόμενοι τροφῶν.

Ille ecaſtor ſuppilabat me.) Budæus in annotationibus 2. Vbi animaduertendum, repeti ecaſtor, quemadmodum in Roma. exemplo.

Hoc uenereum eſt.) Feliciſſimus hic iactus habebatur, extat apud plures ſcriptores. Vide Leonici dialogum de talorum ludo.

Cantharo mulſum date.) Mulſum ſenibus ſuauiſſimus & ſaluberrimus potus. Multi enim, ut Plinius ait libro 22.

cap.

cap. 24. mulſi potu ſenectam longam produxere, neq; alia ullo cibo. Celebri Pollionis Romuli exemplo, quem centeſimum annum excedentem cum D. Auguſtus hoſpes interrogaret, quanam ratione uigorem illum maximè animi, corporiſq; cuſtodiſſet, ille reſpōdit: Intus mulſo, foris oleo.

Cubat cūculus.) Satis doctè Eraſ. in Chiliadibus.

Hic ſenex ſi quid clàm uxore, ſuo animo fecit uolupe.) Legēdum ex Nonio. Hic ſenex ſi quid clàm uxorem ſuam, animo fecit uolup. Nā & Donatus in Phormione ita legit.

M. ACTII PLAVTI

AVLVLARIA.

DRAMATIS PERSONAE.

LAR, *prologus.*
EVCLIO, *ſenex.*
STAPHYLA, *anus.*
EVNOMIA, *mulier.*
MEGADORVS, *ſenex.*
STROBILVS, *ſeruos.*
ANTHRAX, *coquus.*
CONGRIO, *coquus.*
PYTHODICVS, *ſeruos.*
STROPHYLVS, *ſeruos.*
LYCONIDES, *adoleſcens.*
PHAEDRA, *puella.*

ARGVMENTVM.

SEnex auarus uix ſibi credens Euclio,
Domi ſuæ defoſſam multis cum opibus
Aulam inuenit: rurſumq; penitus conditam
Exanguis, amens, ſeruat. eius filiam
Lyconides uitiarat. interea ſenex
Megadorus à ſorore ſuaſus ducere
Vxorem, auari gnatam depoſcit ſibi.
Durus ſenex uix promittit: atque aulæ timens,
Domo ſublatam uarijs abſtrudit locis.
Inſidias ſeruos facit huius Lyconides,
Qui uirginem uitiauerat, atq; ipſe obſecrat
Auonculum Megadorum ſibimet cedere
Vxorem amanti. per dolum mox Euclio

Quom perdidiſſet aulam, inſperatò inuenit,
Lætusq́; natam collocat Lyconidi.

ALIVD ARGVMENTVM.

AVlam repertam auri plenam domi Euclio,
Vi ſumma ſeruat, miſeris affectus modis.
Lyconides iſtius uitiat filiam.
Volt hanc Megadorus indotatam ducere,
Lubensq́; ut faciat, dat coquos cum obſonio,
Auro formidat Euclio, abſtrudit foris.
Re omni inſpecta, compreſſoris ſeruolus
Id ſurpit. illic Euclioni rem refert.
Ab eo donatur auro, uxore, & filio.

ALIVD.

AVarus ſenex non ſatis ſibi fidens Euclio, aulam auri plenam habet defoſſam domi, à qua Aulularia dicta eſt Comœdia. Huic erat unica filia uirgo nobilis, quam Lyconides adoleſcens ſtuprauerat Cereris uigilijs, hanc adoleſcentis mater Eunomia hortatur ſuum Megadorum fratrem, ut ducat uxorem indotatam uirginem, quam probis moribus ſciebat, & honeſtis ortam parentibus. Perſuaſus Megadorus Euclionem conuenit, illius petit filiam ſibi uxorem dari. diu ueritus Euclio, ne propter aurum affinitatem contrahat, rem differt: concedit tandem: parantur nuptiæ. Quæ cum reſciſſet Lyconides, Strophylum mittit ſeruum obſeruaturum ſingula. is dum ex occulto ſpectat, Euclionem è domo qui aſportarat aulam, uidet eam locare in templo Fidei, & cum ſe uiſum forte ſuſpicaretur, rurſus è Fidei phano defoſſam locare in Syluani luco. quam ubi ſeceſſit ille, Strophylus illico ſurripuit. Sed ille rediens ſurreptum ſibi ut nouiſſet aurum: clamitat, uociferatur, quenq; percunctatur obuium. interim queſiuerat per matrem Lyconides, ut confectas cum Megadoro nuptias, infectas redderet: factusq́; is Euclioni obuius, puellam ex ſe grauidam diuulgat: itidem ille ſibi ſurreptam aulam, quam ubi Strophylum abſtuliſſe reſciuit: aurum Euclioni redditur, uxorq́; filia traditur Lyconidi.

LAR, PROLOGVS.

NE Quis miretur qui ſim, paucis eloquar.
Ego LAR ſum FAMILIARIS ex hac familia,
Vnde exeūtem me aſpexiſtis. hanc domū
Iam multos annos eſt quom poſſideo, & colo:
Patriq́; auoq́; amicus huius, qui nunc hic habet.
Sed mihi auos huius obſecrans concredidit
Theſaurum auri: clam omneis in medio foco
Defodit, uenerans me, ut id ſeruarem ſibi.
Is quando moritur, ita * aduio ingenio fuit, * auido.
Nunquam indicare id filio uoluit ſuo:
Inopemq́; optauit potius eum relinquere,
Quàm eum theſaurum commonſtraret filio.
Agri reliquit ei non magnum modum,
Quò cum labore magno, & miſere uiueret.
Vbi is obijt mortem, qui mihi id aurum credidit,
Cœpi obſeruare, ecquid maiorem filius
Mihi honorem haberet, quàm eius habuiſſet pater.
Atque ille uerò minus, minuſq́; impendio
Curare, minuſq́; me impartire honoribus.
Item à me contrà factum eſt: nam item obijt diem,
Is ex ſe hunc reliquit, qui hic nunc habitat filium,
Pariter moratum, ut pater, auoſq́; huius fuit.
Huic filia una eſt. ea mihi quotidie
Aut ture, aut uino, aut aliquo ſemper ſupplicat:
Dat mihi coronas. eius honoris gratia
Feci theſaurum ut hic reperiret EVCLIO:
Quo eam facilius nuptum, ſi uellet, daret:
Nam compreſſit eam de ſummo adoleſcens loco.
Is ſcit adoleſcens quæ ſit, quam compreſſerit.
Illa illum neſcit, neque compreſſam autem pater.
Eam ego hodie faciam, ut hic ſenex de proximo

Sibi uxorem poſcat: id ea faciam gratia,
Quo ille eam facilius ducat, qui compreſſerat.
Et hic qui poſcet eam ſibi uxorem ſenex,
Is adoleſcentis illius eſt auonculus,
Qui illam ſtuprauit noctu, Cereris uigilijs.
Sed hic ſenex iam clamat intus, ut ſolet:
Anum foras extrudit, ne ſit conſcia:
Credo aurum inſpicere uolt, ne ſurreptum ſiet.

ACTVS PRIMVS.

EVCLIO, *ſenex.* STAPHYLA, *anus.*

E. *EXi inquam, age exi, exeundum hercle tibi hinc eſt foras*
Circumſpectatrix cum oculis emiſsicijs.
S. *Nam cur me miſeram uerberas?* E. *ut miſera ſis:*
Atque ut te dignam, mala malam ætatem exigas.
S. *Nam qua nunc cauſſa me extruſiſti ex ædibus?*
E. *Tibi ego rationem reddam ſtimulorum ſeges?*
Illuc regredere ab hoſtio, illuc ſis. uide ut
Incedit. at ſcin' quo modo tibi res ſe habet?
Si hodie hercle fuſtem cepero, aut ſtimulum in manum,
Teſtudineum iſtum tibi ego grandibo gradum.
S. *Vtinam me diui adaſsint ad ſuſpendium*
Potius quidem, quàm hoc pacto apud te ſeruiam.
E. *Vt ſceleſta ſola ſecum murmurat:*
Oculos hercle ego iſtos improba effodiam tibi,
Ne me obſeruare poſsis, quid rerum geram.
Abſcede hinc etiam nunc, etiam nunc, etiam, ohè
Iſtic adeſto. ſi hercle tu ex iſtoc loco
DIGITVM *tranſuorſum, aut unguem latum exceſſeris,*
Aut ſi reſpexis donec ego te iuſſero,
Continuo hercle ego te dedam diſcipulam cruci.
Sceleſtiorem me hac anu certe ſcio
Vidiſſe nunquam. nimisq; ego hanc metuo malè:
Ne mihi ex inſidijs uerba imprudenti duit,
Neu perſentiſcat, aurum ubi eſt abſconditum,

Quæ in occipitio quoque habet oculos peſſumæ.
Nunc ibo,ut uiſam,eſt ne ita aurum,ut condidi:
Quod me ſolicitat plurimis miſerum modis.
S. Nec nunc m' ecaſtor quid hero ego dicam meo
Malæ rei eueniſſe,quámue inſaniam
Queo comminiſci,ita me miſeram ad hunc modum
Decies die uno ſæpe extrudit ædibus.
Neſcio pol quæ illunc hominem intemperiæ tenent.
Peruigilat noctes totas:tum autem interdius
Quaſi claudus ſutor domi ſedet totos dies.
Neque iam quo pacto celem herilis filiæ
Probrum,propinqua partitudo quoi appetit,
Queo comminiſci:neque quicquam melius eſt mihi,
Vt opinor,quàm ex me ut unam faciam literam
Longam,laqueo collo quando obſtrinxero.

EVCLIO, ſenex. STAPHYLA, anus.

E. NVnc defecato demum animo egredior domo,
Poſtquam perſpexi ſalua eſſe intus omnia:
Redi nunc iam intrò,atque intus ſerua. S. quippe nil
Ego intus ſeruem. an,ne quis ædeis auferat?
Nam hic apud nos nihil eſt aliud quæſti furibus,
Ita inanijs ſunt oppletæ, atque araneis.
E. Mirum quin tua nunc me cauſſa faciat Iupiter
Philippum regem,aut Darium triueneſica.
Araneas mihi ego illas ſeruari uolo.
Pauper ſum,fateor:patior:quod di dant,fero.
Abi intrò,occlude ianuam. iam ego hic ero:
Caue quenquam alienum in ædeis intromiſeris.
S. Quid ſi quiſpiam ignem quærit? E. extingui uolo,
Ne cauſſæ quid ſit,quo te quiſquam quæritet.
Nam ſi ignis uiuet,tu extinguere extemplo,
Tum aquam aufugiſſe dicito,ſi quis petet.
Cultrum,ſecurim,piſtillum,mortarium,
Quæ utenda uaſa ſemper uicini rogant,

Fures ueniſſe, atq; abſtuliſſe dicito:
Profecto in ædibus meis me abſente, neminem
Volo intromitti. atq; etiam hoc prædico tibi,
Si bona fortuna ueniat, ne intromiſeris.
S. Pol ea ipſa credo, ne intromittatur, cauet.
Nam ad ædeis noſtras nuſquam adijt quaquam propè.
E. Tace, atq; abi intrò. S. taceo, atq; abeo. E. occlude ſis
Fores ambobus peſſulis, iam ego hic ero.
Diſcrucior animi, quia ab domo abeundum eſt mihi.
Nimis hercle inuitus abeo. ſed quid agam ſcio:
Nam noſter noſtræ qui eſt magiſter curiæ,
Diuidere argenti dixit nummos in uiros:
Id ſi relinquo, ac non peto, omnes illico
Me ſuſpicentur, credo, habere aurum domi.
Nam VERISIMILE NON EST hominem pauperem
Pauxillum paruifacere, qui numum petat.
Nam nunc, quom celo ſedulo, omnes ne ſciant:
Omnes uidentur ſcire: & me benignius
Omnes ſalutant, quàm ſalutabant prius:
Adeunt, conſiſtunt, copulantur dexteras:
Rogitant me ut ualeam, quid agam: quid rerum geram.
Nunc quò profectus ſum, ibo. poſt idem domum
Me rurſum quantum potero, tantum recipiam.

EVNOMIA, mulier. MEGADORVS, ſenex.

E. VElim te arbitrari me hæc uerba frater
Meæ fidei, tuæq; rei hoc uel hoc
Cauſſa facere, ut æquom'ſt germanam ſororem.
Quanquam haud falſa ſum, nos odioſas haberi.
NAM MVLTVM LOQVACES meritò omnes habemur
Nec mutam profecto repertam ullam eſſe
Hodie dicunt mulierem ullo in ſeculo.
Verum hoc frater cogitato unum tamen,
Tibi proxumam me, mihiq; item eſſe te,
Vt æquom eſt: quod in rem eſſe utriq; arbitremur,

Et mihi te,& tibi me conſulere,& moneri:
Neq; occultum id haberi,neq; per metum emuſſari,
Quin participem pariter ego te,& tu me ut facias.
Eò nunc te ſecretò huc foras ſeduxi:
Vt tuam rem ego tecum hic loquerer familiariter.
M. Da mihi optuma fœmina manum. E. ubi ea'st?
Quis ea nam est optuma? M. tu. E. túne ais? M. ſi negas,nego.
E. Decet te equidem uera proloqui . nã optuma nulla poteſt eligi.
Alia alia peior frater eſt. M. idem ego arbitror:nec tibi
Aduorſari certu'st de iſtac re unquam ſoror.quid uis?
E. Da mihi operã amabo. M. tua'st,utere atq; impera ſi quid uis.
E. Id quod in rẽ tuã optumũ eſſe arbitror,te id admonitũ aduento.
M. Soror,more tuo facis. E. facta uolo. M. quid eſt id ſoror?
E. Quod ſempiternum tibi ſalutare ſit procreandis liberis. M. ita di faxim.
E. Volo te uxorem domum ducere. M. heu occidi. E. quid ita?
M. Quia mihi miſero cerebrum excutiunt tua dicta ſoror: LAPIDES LOQVERIS.
E. Eia hoc face,quod te iubet ſoror. M. ſi iubeat,faciam.
E. In rem hoc tuam eſt. M. ut quidẽ emoriatur prius, quàm ducam
Quæ cras ueniet,perendie foras feratur ſoror.
His legibus quom tu dare uis,cedò,nuptias adorna.
E. Quàm maxumam tibi poſſum dare frater dotem.
Sed eſt grandior natu,media'st mulieris ætas:
Eam ſi iubes frater tibi me poſcere,poſcam.
M. Num non uis me interrogare te? E. imò quod uis roga.
M. Poſt mediam ætatem qui mediam ducit uxorem domum,
Si eam ſenex anum prægnantem fecerit fortuito,
Quid dubitas,quin ſiet paratum nomen puero,poſthumus?
Nunc ego iſtum ſoror laborem degam,& deminuam tibi.
Ego uirtute deûm & maiorum noſtrorum diues ſum ſatis.
ISTAS MAGNAS FACTIONES, animos,dotes dapſiles,
Clamores,imperia,eburata uehicula,pallas,purpuram,
Nihil moror,quæ in ſeruitutem ſumptibus redigunt uiros.

E. Dic mihi quæſo quis ea eſt, quã uis ducere uxorem? M. eloquar.
Nouiſtin' hunc ſenem Euclionem ex proxumo pauperculum?
E. Noui, hominem haud malum m' ecaſtor. M. eius cupio filiam
Virginem mihi deſponderi. nunc uerba ne facias ſoror.
Scio quid mihi dictura es, hanc eſſe pauperẽ. hæc pauper placet.
E. Di bene uortant. M. idẽ ego ſpero. E. quid me nunc uis? M. uale.
E. Et tu frater. M. ego conueniam Euclionem ſi domi'ſt.
Sed eccum: neſcio unde nunc ſeſe homo recipiat domum.

EVCLIO, & MEGADORVS, ſenes.

E. PRæſagibat mihi animus fruſtra ire me, quom exibã domo:
Itaque abibam inuitus. nam neque quiſquam curialium
Venit, neque magiſter, quem diuidere argentum oportuit.
Nunc domum properare propero: NAM EGOMET SVM HIC, animus domi'ſt.
M. Saluos, atque fortunatus Euclio ſemper ſies.
E. Di te ament Megadôre. M. quid tu? rectén', atq; ut uis, uales?
E. Non temerarium eſt, ubi diues blande appellat pauperem:
Iam illic aurum me ſcit habere, eò me ſalutat blandius.
M. Ain' tu ualere te? E. pol ego haud à pecunia perbene.
M. POL SI EST ANIMVS AEQVVS TIBI, ſatis habes qui bene uitam colas.
E. Anus hercle hoc indicium facit de auro, perſpicuè. palàm'ſt:
Quoi ego iam linguam præcîdam, atq; oculos effodiam domi.
M. Quid tu ſolus tecum loquere? E. pauperiem meam conqueror.
Virginem habeo grandem, dote caſſam, atque inlocabilem,
Neq; eam queo locare quoiquam. M. tace, bonum habe animum
Dabitur, adiuuabere à me: dic ſi quid opus eſt, impera. (Euclio:
E. Nunc petit, quom pollicetur, inhiat aurum ut deuoret.
ALTERA MANV FERT LAPIDEM, panem oſtentat altera.
Nemini credo, qui large blandu'ſt diues pauperi:
Vbi manum inijcit benignè, ibi onerat aliquam zamiam.
Ego iſtos noui POLYPOS, qui ubi quid tetigerunt, tenent.
M. Da mihi operam parumper, paucis eſt quod te uolo
De communi re appellare mea, & tua. E. hei miſero mihi,

Aurum

Aurum mihi intus harpagatum eſt. nunc hic eam rem uolt, ſcio,
Mecum adire ad pactionem: uerum interuiſam domi.

M. Quò nunc abis? E. iã ad te reuortor: nã eſt quod uiſam domum.

M. Credo hercle ubi mentionem ego fecero de filia,
Mihi ut deſpondeat, ſe à me derideri rebitur:
Neque illo quiſquàm eſt alter hodie ex paupertate parcior.

E. Di me ſeruant, ſalua res eſt: ſaluom eſt, ſi quid non perit.
Nimis male timui. prius, quàm intrò redij, exanimatus fui.
Redeo ad te Megadôre, ſi quid me uis. M. habeo gratiam.
Quæſo quod te percontabor, ne id te pigeat proloqui.

E. Dum quidem ne percontetis, quod mihi non libeat proloqui.

M. Dic mihi quali me arbitrare genere prognatum? E. bono.

M. Quid fide? E. bona. M. quid factis? E. neq; malis, neq; improbis.

M. Aetatem meam ſcis? E. ſcio eſſe grandem itidem, ut pecuniam.

M. Certè ædepol equidem te ciuem ſine omni malitia mala etiam
Semper ſum ratus, & nunc arbitror. E. aurum huic olet.
Quid nunc me uis? M. quoniam tu me, & ego te, qualis ſis, ſcio:
Quæ res recte uortat mihiq;, tibiq;, filiæq; tuæ.
Filiam tuam mihi uxorem poſco. promitte hoc fore.

E. Hei Megadôre haud decorum facinus tuis factis facis,
Vt inopem atque innoxium, abs te, atq; abs tuis, me irrideas:
Nam de te, neque re, neque uerbis merui ut faceres, quod facis.

M. Neque ædepol te ego deriſum uenio, neq; derideo,
Neq; dignum arbitror. E. cur igitur poſcis meam gnatam tibi?

M. Vt propter me tibi ſit melius, mihiq; propter te & tuos.

E. Venit hoc mihi in mentem Megadôre, te eſſe hominem diuitem,
Factioſum. me item eſſe hominem pauperum pauperrumum,
Nunc ſi filiam locaſſim meam tibi, in mentem uenit,
TE BOVEM ESSE, & me eſſe aſellũ, ubi tecũ coniunctus ſiem:
Vbi onus nequeam portare pariter, iaceam ego aſinus in luto:
Tu me bos haud magis reſpicias, gnatus quàm ſi nunquam ſiem:
Et te utar iniquiore: & meus me ordo irrideat.
Neutrobi habeam ſtabile ſtabulum. ſi quid deuortij fuat,
Aſini me mordicibus ſcindant, boues incurſent cornibus.

Hoc

Hoc magnum eſt periculum, me AB ASINIS ad boues tranſcendere:

M. Quàm ad probos propinquitate proxume te adiunxeris,
Tam optumu'ſt, tu conditionem hanc accipe, auſculta mihi,
Atq; eam deſponde mihi. E. at nihil eſt dotis quod dem. M. ne duas,
DVM MODO morata recte ueniat, dotata eſt ſatis.

E. Eò dico, ne me theſaurum repperiſſe cenſeas.

M. Noui. ne doceas: deſponde. E. fiat. ſed proh Iuppiter,
Num ego diſperij? M. quid tibi'ſt? E. crepuit quaſi ferrũ modo.

M. Hic apud me hortum confodere iuſsi. ſed ubi hic eſt homo?
Abijt, neque me certiorem fecit: faſtidit mei,
Quia uidet me ſuam amicitiam uelle. more hominum facit.
NAM SI OPVLENTO ſit petitum pauperioris gratiam,
Pauper metuit congredi, ac per metum male rem gerit:
Idem quando illæc occaſio perijt, poſt ſero cupit.

E. Si hercle ego te non elinguandam dedero uſque ab radicibus,
Impero, autorq; ſum, ut me quoiuis caſtrandum loces.

M. Video hercle ego te me arbitrari Euclio hominem idoneum,
Quem ſenecta ætate ludos facias haud merito meo.

E. Neque pol Megadôre facio: neque ſi cupiam, copia eſt.

M. Quid? nunc etiam mihi deſpondes filiam? E. illis legibus,
Cum illa dote, quam tibi dixi. M. ſpondẽn' ergo? E. ſpondeo.

M. Di bene uortant. E. ita di faxint. hoc facito memineris,
Conueniſſe, ut ne quid dotis mea ad te afferat filia.

M. Memini. E. AT SCIO QVO uos pacto ſoleatis perplexarier:
Pactum, non pactũ eſt: nõ pactum, pactum eſt, quod uobis lubet.

M. Nulla controuerſia mihi tecum erit: ſed nuptias
Hodie quin faciamus, num quæ cauſſa'ſt? E. immò optumè.

M. Ibo igitur. parabo. nunquid me uis? E. iſtuc fia'ſt. uale.

M. Heus Strobile, ſequere properè me ad macellum ſtrenue.

E. Illic hinc abijt. DI immortales aurum obſecro quid ualet?
Credo ego iam illum inaudiſſe, mihi eſſe theſaurum domi, id
Inhiat, ea affinitatem hanc obſtinauit gratia.

EVCLIO, ſenex. STAPHYLA, anus.

E. VBbi tu es,quæ deblateraſti iam uicinis omnibus
Me meæ filiæ daturum dotem? heus Staphyla,te uoco.
Ecquid audis? uaſcula intus pure.propera,atq; elue:
Filiam deſpondi ego hodie,huic nuptum Megadôro dabo.
S. Di bene uortant.uerum ecaſtor non poteſt,ſubitum eſt nimis:
E. Tace,atq; abi,curata fac ſint,quom a foro redeam domum:
Atq; occlude ædeis,iam ego hic adero. S.quid ego nunc agam?
Nunc propè adeſt exitium mihi atq; hærili filiæ.
Nam probrum atq; partitudo prope adeſt,ut fiat palàm.
Quod celatum eſt,atq; occultatum uſq; adhuc,nunc non poteſt,
Ibo intrò,ut herus hæc quæ imperauit, facta, cum ueniat,ſient.
Nam ecaſtor malum mœrorem metuo, ne miſtum bibam.

ACTVS SECVNDVS.

STROBILVS, ſeruos. ANTHRAX, & CONGRIO, coqui.

S. POſtquam obſonauit herus,& conduxit coquos,
Tibicinasq; haſce,apud forum edixit mihi,
Vt diſpartirem obſonium hic bifariam.
C. Me quidem hercle,dicam palàm,non diuide:
Si quò tu totum me ire uis,operam dabo.
A. Bellum,& pudicum uero proſtibulum populi.
Post ſi quis uellet te,haud non uelles diuidi?
C. Atqui ego iſtuc Anthrax aliò uorſum dixeram,
Non iſtuc,quod tu inſimulas. S. ſed herus nuptias
Meus hodie faciet. C. quoius ducit filiam?
S. Vicini huius Euclionis è proxumo.
Ei adeò obſonij hinc dimidium iuſsit dari,
Coquum alterum,itidemq; alteram tibicinam.
A. Nempe huic dimidium dicis,dimidium domi.
S. Nempe ſicut dicis. A.quid hic,non poterat de ſuo
Senex obſonari filiæ in nuptijs? S. uah.
A. Quid negoci eſt? S. quid negoci ſit rogas?
Pumex non æque eſt aridus,atque hic eſt ſenex.
A. Ain' tandem ita eſſe,ut dicis? S. tute exiſtuma:
Suam rem periſſe,ſeq; eradicarier,

Quin

Quin diuôm, atque hominum clamat continuò fidem,
De ſuo ligello fumus ſi quâ exit foras.
Quin quom it dormitum, follem obſtringit ob gulam.
A. Cur? S. ne quid animæ forte amittat dormiens.
A. Etiámne obturat inferiorem gutturem,
Ne quid ánimæ fortè amittat dormiens?
S. Hæc mihi te, ut tibi me, æquom'ſt credere: credo.
A. Immò equidem credo. S. an ſcin' etiam quo modo?
Aquam hercle plorat, quom lauat, profundere.
A. Cenſén' talentum magnum exorari poteſſe
Ab hoc ſene, ut det, quî fiamus liberi?
S. Famem hercle utendam ſi roges, nunquam dabit.
Quin ipſi pridem tonſor ungues dempſerat,
Collegit, omnia abſtulit præſegmina.
A. Aedepol mortalem parcè parcum prædicas.
S. Cenſén' uerò adeò eſſe parcum, & miſerè uiuere?
Pulmentum pridem ei eripuit miluius.
Homo ad prætorem plorabundus déuenit:
Infit ibi poſtulare plorans, eiulans,
Vt ſibi liceret miluium uadarier.
Sexcenta ſunt quæ memorem, ſi ſit otium.
Sed uter uoſtrorum eſt celerior, memora mihi.
A. Ego, ut multò melior. S. coquum ego, non furem rogo.
A. Coquum ego dico. S. quid tu ais? C. ſic ſum, ut uides.
A. Coquus ille nundinali'ſt, in nonum diem.
Solet ire coctum. C. tu trium literarum homo,
Vituperas me? A. etiam fur trifurcifer?

STROBILVS, ANTHRAX, CONGRIO.

S. TAce nunc iam tu, atq; agnûm horum uter eſt pinguior?
A. Licet. S. tu Congrio eum ſume, atq; abi
Intrò illuc, & uos eum ſequimini:
Vos cæteri illuc ad nos. C. hercle iniuria
Diſpertiuiſti: pinguiorem agnum iſti habent.
S. At nunc tibi dabitur pinguior tibicina.

I ſanè

I ſanè cum illo Phrygia: tu autem Eleuſium
Huc intrò abidum ad nos. C. ô Strobile ſubdole
Huccine detruſiſti me ad ſenem parciſſumum:
Vbi ſi quid poſcamus, ad rauum poſcamus prius,
Quàm quicquam detur. S. Stultus, & ſine gratia es,
Tibi rectè facere, quando quod facias, perit.
C. Qui uerò? S. rogitas? iam in principio in ædibus
Turba iſtic nulla tibi erit: ſi quid uti uoles,
Domo abs te afferto, ne operam perdas poſcere.
Hic autem apud nos magna turba, ac familia'ſt,
Supellex, aurum, ueſtes, uaſa argentea.
Ibi ſi periit quippiam (quod te ſcio
Facile abſtinere poſſe, ſi nihil obuia'ſt)
Dicam, coqui abſtulerunt: comprehendite,
Vincite, uerberate, in puteum condite.
Horum tibi iſtic nihil eueniet, quippe cui
Vbi nihil quicqua'ſt. ſequere hâc ſis me. C. ſequor.

STROBILVS, STAPHYLA.

Str. HEus Staphyla prodi, atq; oſtium aperi. STA. qui uocat?
Str. Strobilus. STA. quid uis? STR. hoſce uti accipias coquos,
Tibicinamq́;, & obſonium in nuptias.
Megadôrus iuſsit Euclioni hæc mittere.
Sta. Cererin' Strobile has facturi nuptias?
Str. Qui? STA. quia temeti nihil allatum intellego.
Str. At iam afferetur, ſi à foro ipſius redierit.
Sta. Ligna hic apud nos nulla ſunt. STR. ſunt aſſeres?
Sta. Sunt pol. STR. ſunt igitur ligna, ne quæras foris.
Sta. Quid impurate quanquam Volcano ſtudes,
Cœnæ'ne cauſſa, aut tuæ mercedis gratia
Nos, noſtras ædeis poſtulas comburere?
Str. Haud poſtulo, duc iſtos intrò. STA. ſequimini.

PYTHODICVS, ſeruos.

CVrate, ego interuiſam quid faciant coqui,
Quos pol ut ego hodie ſeruem, cura maxuma'ſt:

Niſi unum hoc faciam, ut in puteo cœnam coquant,
Inde coctam ſurſum ſubducemus corbulis:
Si autem deorſum comedent, ſiquid coxerint,
Superi incœnati ſint, & cœnati inferi.
Sic uerba hic facio, quaſi negoci nihil ſiet,
Rapacidarum ubi tantum ſiet in ædibus.

EVCLIO, CONGRIO.

E. VOluï animum tandem confirmare meum:
Vt bene haberem filiæ in nuptijs.
Venio ad macellum: rogito piſces: indicant
Caros, agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia.
Atque eò fuerunt cariora, æs non erat,
Abeo iratus illinc, quoniam nihil eſt, quî emam.
Ita illis impuris omnibus adij manum.
Deinde egomet mecum cogitare inter uias
Occœpi: FESTO DIE SI QVID PRODEGERIS,
Profeſto egêre liceat, niſi peperceris.
Poſtquam hanc rationem cordi, uentriq; edidi,
Acceßit animus ad meam ſententiam,
Quamminimo ſumptu filiam ut nuptum darem.
Nunc tuſculum emi, & haſce coronas floreas.
Hæc imponentur in foco noſtro, lari,
Vt fortunatas faciat gnatæ nuptias.
Sed quid ego apertas ædeis noſtras conſpicor?
Et ſtrepitus eſt intus, númnam ego compilor miſer?
C. Aulam maiorem ſi potes uicinia
Pete, hæc parua'ſt, capere non quit. E. hei mihi,
Perij hercle, aurum rapitur, aula quæritur:
Nimirum occîdor, niſi ego intrò huc propero currere.
Apollo quæſo ſubueni mihi, atq; adiuua:
Confige ſagittis fures theſaurarios,
Quoi in re tali ſubueniſti antehac.
Sed ceſſo prius, quàm prorſus perij currere?

ANTHRAX.

DRomo deſquama piſceis: tu Macherio
Congrum, muræenam exdorſua quantum potes.
Ego hinc artoptam ex proxumo utendam peto
A Congrione. tu iſtum gallum ſi ſapis,
Glabriorem reddes mihi, quàm uolſus ludiu'ſt.
Sed quid hoc clamoris oritur hinc ex proxumo?
Coqui hercle credo faciunt officium ſuum.
Fugiam intrò, nequid turbæ hic itidem fiat.

ACTVS TERTIVS.

CONGRIO.

OPtati ciues, populares, incolæ, accolæ, aduenæ omnes
Date uiam, qua fugere liceat: facite totæ plateæ pateāt.
Nunquid ego unquam niſi hodie, ad bacchas ueni in bacchanal coquinatum,
Ita me miſerum, & meos diſcipulos fuſtibus male contuderunt.
Totus doleo, atq; oppidò perij, ita me iſte habuit ſenex
Gymnaſiū. atat, perij hercle ego miſer: aperit Bacchanal: adeſt:
Sequitur. ſcio quam rem geram: hæc ipſus magiſter me docuit.
Neque ligna ego uſquam gentium præberi uidi pulchrius:
Itaque omneis exegit foras, me, atque hos onuſtos fuſtibus.

EVCLIO, CONGRIO.

E. REdi, quò fugis nunc? tene tene. C. quid ſtolide clamas?
E. Quia ad Treſuiros iam ego deferam tuum nomen. C. quamobrem?
E. Quia cultrum habes. C. coquum decet. E. quid comminatus es
Mihi? C. iſtuc malefactum arbitror, quia non latus fodi.
E. Homo nullu'ſt te ſceleſtior qui uiuat hodie,
Neque quoi ego de induſtria amplius male plus lubens faxim.
C. Pol & ſi taceas, palàm id quidem eſt, res ipſa teſtis eſt,
Ita fuſtibus ſum mollior magis miſer, quàm ullus cinædus.
Sed quid tibi nos mendice homo tactio eſt? quæ res?
E. Etiam rogitas? an quia minus, quàm æquom erat, feci?
C. Sine, hercle cum malo magno tuo, ſi hoc caput ſentiet.

E. Sed in ædibus quid tibi meis nam erat negocij
Me abſente niſi ego iuſſeram? uolo ſcire. C. tace ergo,
Quia uenimus coctum ad nuptias. E. quid tu, malùm, curas,
Vtrum crudum, an coctum edam? niſi tu mihi es tutor.
C. Volo ſcire, ſinas, an non ſinas nos coquere hic cœnam.
E. Volo ſcire item ego, meæ domi mea ſalua an futura.
C. Vtinam mea mihi modo auferam, quæ attuli, ſalua.
E. Me haud pœnitet: tuáne expetam? C. ſcio, ne doce, noui.
Quid eſt, qua prohibeas nunc gratia nos coquere hic cœnam?
Quid fecimus? quid diximus tibi ſecus, quàm uelles?
E. Etiam rogitas ſceleſte homo, qui angulos omneis
Mearum ædium, & conclauium mihi peruium facitis?
Id ubi tibi erat negocium, ad focum ſi adeſſes,
Non fiſſile haberes caput: meritò id tibi factu'ſt:
Adeò ut tu meam ſententiam iam noſcere poſſis:
Si ad ianuam huc acceſſeris, niſi iuſſero, propius,
Ego te faciam, miſerrumus mortalium uti ſies.
Scis iam meam ſententiam? quò abis? redi rurſum.
C. Ita me bene amet Lauerna, tu iam niſi reddi
Mihi uaſa iubes, pipulo differam hic ante ædeis.
Quid ego nunc agam? næ ego ædepol ueni huc auſpicio malo:
Nummo ſum conductus, plus iam medico mercede eſt opus.

EVCLIO, CONGRIO.

E. HOc quidem hercle quoquò ibo, mecũ erit, mecum feram:
Neque id in tantis periculis unquam committam ut ſiet,
Ite ſanè nunc iam intrò omnes & coqui, & tibicinæ:
Etiam introduce ſi uis uel gregem uenalium:
Coquite, facite, feſtinate nunc iam, quantum lubet.
C. Hem perij. E. abi, opera huc conducta'ſt uoſtra, non oratio.
C. Heu ſenex, pro uapulando hercle ego abs te mercedem petam:
Coctum ego, non uapulatum dudum conductus fui.
E. Lege agito mecum: moleſtus ne ſis, & cœnam coque:
Aut abi in malum cruciatum ab ædibus. C. abi tu modo.

EVCLIO.

ILlic hinc abit: DI immortales facinus audax incipit,
Qui cum opulento pauper cœpit rem habere, aut negotium:
Veluti Megadorus temtat me omnibus miſerum modis,
Qui ſimulauit mei honoris mittere huc cauſſa coquos:
Is ea cauſſa miſit, hoc qui ſurriperent miſero mihi.
Condigne etiam meus me intus gallus gallinacius,
Qui erat anui peculiaris, perdidit peniſſume:
Vbi erat hæc defoſſa, occœpit ibi ſcalpurire ungulis
Circumcirca. quid opus eſt uerbis? ita mihi pectus peracuit:
Capio fuſtem, obtrunco gallum furem manifeſtarium.
Credo ego ædepol illi mercedem gallo pollicitos coquos,
Si id palam feciſſet. exemi ex manu manubrium.
Quid opu'ſt uerbis? facta eſt pugna in gallo gallinacio.
Sed Megadôrus meus affinis eccum incedit à foro.
Iam hunc non auſim præterire, quin conſiſtam, & colloquar.

MEGADORVS, EVCLIO.

M. NArraui amicis multis conſilium meum
De conditione hac. Euclionis filiam
Laudant: ſapienter factum, & conſilio bono.
NAM MEO QVIDEM animo, ſi idem faciant cæterì
Opulentiores, pauperiorum filias
Vt indotatas ducant uxores domum:
Et multò fiat ciuitas concordior:
Et inuidia nos minore utamur, quàm utimur:
Et illæ malam rem metuant, quàm metuunt, magis:
Et nos minore ſumptū ſimus, quàm ſumus.
In maxima illæc populi parte eſt optuma:
In pauciore, auidis altercatio eſt:
Quorum animis auidis, atque inſatietatibus,
Neque lex, neque tutor capere eſt qui poſsit modum.
Neque hoc quiſ dicat, quom illæ nubent, diues es,
Dotata es: iſtud ius pauperibus ponitur,
Quo iubeant, nubant, dum dos ne fiat comes.
Hoc ſi ita fiat, mores meliores ſibi

Parent, pro dote quos ferant, quàm nunc ferunt.
Ego faxim muli precio, qui ſuperant equos,
Sient uilliores gallicis canterijs.
E. Ita me dij amabunt, ut ego hunc auſculto lubens:
Nimis lepidè fecit uerba ad parſimoniam.
M. Nulla ergo dicat, Equidem dotem ad te attuli
Maiorem multò, quàm tibi erat pecunia.
Enim mihi quidem æquom'ſt,
Purpuram, atque aurum dari,
Ancillas, mulos, muliones, pediſequas,
Salutigerulos pueros, uehicula, qui uehat.
E. Vt matronarum hic facta pernouit probè:
Moribus præfectum mulierum hunc factum uelim.
M. Nunc quoque uenias, plus plauſtrorum in ædibus
Videas, quàm ruri, quando ad uillam ueneris.
Sed hoc etiam pulchru'ſt
Præquàm ubi ſumptus petunt.
Stat fullo, Phrygio, aurifex, lanarius,
Ciniflones, patagiarij, induſiarij,
Flammearij, uiolarij, carinarij,
Aut manulearij, aut mirobrecarij,
Propolæ, linteones, calceolarij,
Sedentarij, ſutates, diabathrarij:
Solcarij aſtant, aſtant molochinarij:
Petunt fullones, ſarcinatores petunt:
Strophiarij aſtant, ſemizonarij.
Iam hoſce abſolutos cenſeas, cedunt, petunt.
Trecenti conſtant phylaciſtæ in atrijs.
Textores, limbolarij, arcularij,
Ducuntur, datur æs: iam hoſce abſolutos cenſeas,
Quom incedunt infectores crocotularij,
Aut aliqua mala crux ſemper eſt, quæ petat.
E. Compellarem ego illum, ni metuam ne deſinat
Memorare mores mulierum: nunc ſic ſinam.

Vbi

M. *Vbi nugiuendis res ſoluta eſt omnibus,*
Ibi ad poſtremum cedit miles, æs petit.
Itur: putatur ratio cum argentario:
Miles impranſus adſtat: æs cenſet dari:
Vbi diſputata eſt ratio cum argentario,
Etiam plus ipſus debet argentario:
Spes prorogatur militi in alium diem.
Hæ ſunt, atque aliæ multæ in magnis dotibus
Incommoditates, ſumptusq́; intolerabiles,
NAM QVAE INDOTATA'ST, *ea in poteſtate'ſt uiri.*
Dotatæ mactant & malo, & damno uiros.
Sed eccum affinem ante ædeis. quid agitur Euclio?

EVCLIO, MEGADORVS.

E. *NImium libenter audiui ſermonem tuum.*
M. *An audiuiſti?* E. *uſque à principio omnia.*
M. *Tamen è meo quidem animo, aliquanto rectius facias,*
Si nitidior ſis nuptijs filiæ.
E. *Pro re nitorem, & gloriam pro copia*
Qui habent, meminerint ſeſe unde oriundi ſient.
Neque pol Megadôre mihi, neque quoiquam pauperi
Opinione melius res ſtructa eſt domi.
M. *Immò eſt: & di faciant ut ſiet*
Plus, plusq́; iſtuc ſoſpitem quod nunc habes.
E. *Illud mihi uerbum non placet, quod nunc habes.*
Tam hic ſcit me habere, quàm egomet, anus fecit palàm.
M. *Quid tute ſolus è ſenatu ſeuocas?*
E. *Pol ego te ut accuſem meritò meditabar.* M. *quid eſt?*
E. *Quid ſit me rogas? qui mihi omneis angulos*
Furum impleuiſti in ædibus miſero, qui mihi
Intromiſiſti in ædeis quingentos coquos
Cum ſenis manibus, genere Geryonaceo.
Quos ſi ARGVS *ſeruet, qui oculeus totus fuit,*
Quem quondam Ioui Iuno cuſtodem addidit,
Is nunquàm ſeruet. præterea tibicinam,

Quæ mihi interbibere ſola, ſi uino ſcateat,
Corinthienſem fontem Pyrenen poteſt.
Tum obſonium autem. M. pol uel leoni ſat eſt.
Etiam agnum miſi. E. quo quidem agno ſat ſcio
Magis curioſam nuſquam ullam eſſe beſtiam.
M. *Volo ex te ego ſcire, quî ſit agnus curio.*
E. QVI OSSA, ATQVE PELLIS TOTVS EST, *ita cura macet:*
Quin exta inſpicere in ſole etiam uiuo licet:
Ita is pellucet, quaſi laterna Punica.
M. *Cædundum illum ego conduxi. E. tum tu idem optimu'ſt,*
Loca efferundum. nam iam credo mortuus eſt.
M. *Potare ego tecum hodie Euclio uolo.*
E. *Non potem ego quidem hercle. M. at ego iuſſero*
Cadum unum uini ueteris à me afferier.
E. *Nolo hercle: nam mihi bibere decretum aquam eſt.*
M. *Ego te hodie reddam madidum, ſi uiuo, probe:*
Tibi an decretum eſt bibere aquam? E. ſcio quam rem agat,
Vt me deponat uino, eam affectat uiam.
Poſt hoc, quod habeo, ut commutet coloniam.
Ego id cauebo. nam alicubi abſtrudam foris.
Ego faxo, & operam, & uinum perdiderit ſimul.
M. *Ego niſi quid uis, eo lauatum, ut ſacruficem.*
E. *Aedepol næ tu aula multos inimicos habes,*
Atq; iſtuc aurum, quod tibi concreditum eſt,
Nunc hoc mihi factu optumu'ſt, ut te auferam
Aula in Fidei phanum: ibi abſtrudam probe.
Fides nouiſti me, & ego te: caueſis tibi,
Ne tu in me mutaßis nomen, ſi hoc concreduo.
Ibo ad te, fretus tua Fides fiducia.

QVARTVS ACTVS.

STROPHILVS, *Lyconidis ſeruos.*

HOC EST SERVI FACINVS *frugi facere, quod ego perſequor.*
Ne moræ, moleſtiæq; imperium herile habeat ſibi.

Nam

Nam qui hero ex ſententia ſeruire ſeruos poſtulat,
In herum matura, in ſe ſera condecet capeſſere.
Sin dormitet, ita dormitet, ſeruom ſeſe ut cogitet.
Nam qui amanti hero ſeruitutem ſeruit, quaſi ego ſeruio,
Si herum uidet ſuperare amorem, hoc ſerui officium reor,
Retinere ad ſalutem, non eum quò incumbat, eò impellere.
QVASI PVERI QVI NARE DISCVNT, *ſcirpea inducitur ratis,*
Quî laborent minus, facilius ut nent, & moueant manus:
Eodem modo ſeruom ratem eſſe amanti hero æquom cenſeo,
Vt toleret, ne peſſum abeat: tanquam
Imperium herile diſcat, ut quod non os uelit, oculi ſciant:
Quod iubeat, CITIS QVADRIGIS *citius properet perſequi.*
Qui ea curabit, abſtinebit cenſeo næ bubula,
Nec ſua opera reddet unquam in ſplendorem compedes.
Nunc herus meus amat filiam huius Euclionis pauperis:
Eam hero nunc renuntiatu'ſt nuptum huic Megadôro dari.
Is ſpeculatum huc miſit me, ut quæ fierent, fieret particeps.
Nunc ſine omni ſuſpicione in ara hic aſsidam ſacra:
Hinc ego huc, & illuc potero quid agam, arbitrarier.

EVCLIO, STROPHILVS.

EV. *TV modo caue quoiquam indicaſsis aurum meum eſſe iſtic*
Non metuo ne quiſquam inueniat, ita probe in (Fides:
latebris ſitum eſt.
Aedepol næ illic pulchram prædam agat, ſi quis illam inuenerit
Aulam onuſtam auri. uerùm id te quæſo ut prohibeſsis Fides:
Nunc lauabo, ut rem diuinam faciam, ne affinem morer,
Quin ubi accerſat me, meam éxtemplo filiam ducat domum.
Vide fides etiã atq; etiam nunc, ſaluã ut aulam abs te auferam.
Tuæ fidei credidi aurum: in tuo luco, & phano eſt ſitum.
ST. *Di immortales, quod ego hunc hominem facinus audio loqui,*
Se aulam onuſtam auri abſtruſiſſe hic intus in phano! Fides
Caue tu illi fidelis quæſo potius fueris, quàm mihi.
Atq; hic pater eſt, ut ego opinor, huius, herus quam amat.
Ibo hinc intrò, perſcrutabor phanum, ſi inueniam uſpiam

Aurum dum hic eſt occupatus. ſed ſi repercro, ô Fides,
Mulſi congialem plenam faciam tibi fideliam:
Id adeò tibi faciam: uerum ego mihi bibam, ubi id fecero.

EVCLIO.

NOn temere eſt, q; coruos cãtet mihi nunc ab læua manu,
Simul radebat pedibus terram, & uoce crocitabat ſua.
Continuo meum cor cœpit artem facere ludicram,
Atq; in pectus emicare. ſed ego ceſſo currere?

EVCLIO, STROPHILVS.

EV. FOras lumbrice, qui ſub terra erepſiſti modo,
Qui modo nuſquam comparebas: nũc quom cõpares, peris:
Ego pol te præſtigiator miſeris iam accipiam modis.
ST. Quæ te mala crux agitat? quid tibi mecum eſt commerci ſenex?
Quid me afflictas? quid me raptas? qua me cauſſa uerberas?
EV. Verberabiliſſume etiam rogitas, non fur, ſed trifur?
ST. Quid tibi ſurripui? EV. redde huc ſis. ST. quid uis reddam?
EV. rogitas?
ST. Nihil equidẽ tibi abſtuli. EV. at illud quod tibi abſtuleras, cedò.
ST. Ecquid agis? EV. quid agam? auferre nõ potes. ST. quid uis tibi?
EV. Pone hoc ſis: aufer cauillam, non ego nunc nugas ago.
ST. Quid ego ponam? quin tu eloquere quicquid eſt, ſuo nomine.
Nõ hercle eqdẽ quicq̃ ſumpſi, nec tetigi. EV. Oſtẽde huc manus.
ST. Hem tibi oſtendi, eccas. EV. uideo, age oſtende etiam tertiam.
ST. Laruæ hunc atq; intemperiæ inſaniæq; agitant ſenem.
Facisne iniuriã mihi, an non? EV. quia fateor nõ ꝑdo, maxumã.
Atq; id quoq; iam fiet, niſi fatêre. ST. quid fatear tibi?
EV. Quid abſtuliſti hinc? ST. di me perdant, ſi ego quicquã abſtuli.
Niue adeò abſtuliſſe uellem. EV. agedum excutedum pallium.
ST. Tuo arbitratu. EV. ne inter tunicas habeas. ST. tenta quâ lubet.
EV. Vah, ſceleſtus quàm benignè, ut ne abſtuliſſe intellegam:
Noui ſycophantias: age rurſum oſtende huc manum
Dextram. ST. hem. EV. nunc leuam oſtende. ST. quin equidem ambas profero.
EV. Iã ſcrutari mitto, redde huc. ST. quid reddã? EV. ah nugas agis:

Certe

Certe habes. ST. habeo ego? quid habeo? EV. non dico, audi-
re expetis:
Id meum quicquid habes, redde. ST. inſanis, perſcrutatus es
Tuo arbitratu, neque tui me quicquam inueniſti penes.
EV. Mane mane: quis ille intus alter erat tecum ſimul?
Perij hercle, ille nunc intus turbat: hunc ſi amitto, hic abierit.
Poſtremò iam hunc perſcrutaui, hic nihil habet. abi quò lubet,
Iupiter te, diíq; omnes perdant. ST. haud malè agit gratias.
EV. Ibo intrò, atque illi tuo ſocieno iam interſtringam gulam.
Fugin' hinc ab oculis, abin' an nō? St. abeo. EV. caueſis te uideā.

STROPHILVS.

MOrtuum ego me mauelim lœtho malo,
Quàm non ego illi dem hodie inſidias ſeni.
Nam hic iam non audebit aurum abſtrudere.
Credo referet iam ſecum, & mutabit locum.
Atat foris crepuit, eccum ſenex aurum effert foras:
Tantiſper hic ego ad ianuam conceſſero.

EVCLIO, STROPHILVS.

E. FIdei cenſebam maxumam multò fidem
Eſſe, ea ſubleuit os mihi penißume.
Ni ſubueniſſet coruos, periſſem miſer.
Nimis hercle ego illum coruom ad me ueniat uelim,
Qui indicium fecit: ut ego illi aliquid boni
Dicam. nam quod dedit tandiu, quàm perdium.
Nunc hoc ubi abſtrudam, cogito ſolum locum.
Syluani lucus extra murum eſt auius,
Crebro ſalicto oppletus: ibi ſumam locum.
Certum eſt Syluano potius credam, quàm fidei.
Euge, fuge fuge: di me ſaluom, & ſeruatum uolunt.
ST. Iam ego illuc præcurram, atq; inſcendam aliquam in arborem:
Indéq; obſeruabo, aurum ubi abſtrudat ſenex:
Quanquam hic manere herus ſeſe, iuſſerat.
Certu'ſt malam rem potius quæram cum lucro.

LYCONIDES, adol. EVNOMIA, mulier. PHAEDRA, puella.

L. DIxi tibi mater, iuxtà rem mecum tenes
Super Euclionis filiam. nunc te obſecro,
Fac mentionem cum auonculo mater mea.
Reſecroq́; mater quod dudum obſecraueram.
E. Scis tute, facta uelle me, quæ tu uelis:
Et iſtuc confido à fratre me impetraſſere:
Et cauſſa iuſta eſt: ſi quidem ita'ſt, ut prædicas,
Te eam compreßiſſe uinolentum uirginem.
L. Egóne ut te aduorſum mentiar mater mea?
P. Perij mea nutrix, obſecro te, uterus dolet:
Iuno Lucina tuam fidem. L. hem mater mea?
Tibi rem potiorem uideo, clamat, parturit.
E. I hâc intrò mecum gnatè mi ad fratrem meum,
Vt iſtuc, quòd me oras, efficiam tibi: impetratum ab eo auferam.
L. Iam ego ſequor te mater, ſed ſeruom meum
Strophilum, miror ubi ſit, quem ego me iuſſeram
Illic opperiri. nunc ego mecum cogito,
Si mihi dat operam, me illi iraſci iniurium eſt.
Ibo intrò, ubi de capite meo ſunt comitia.

STROPHILVS.

PIci diuitijs, qui aureos monteis colunt,
Ego ſolus ſupero: nam iſtos reges cæteros
Memorare nolo hominum mendicabula.
Ego ſum ille rex Philippus. ô lepidum diem:
Nam ut dudum hinc abij, multò illuc adueni prior,
Multoq́; prius me collocaui in arborem:
Indéq́; expectabam, aurum ubi abſtrudebat ſenex.
Vbi ille abijt, ego me deorſum duco de arbore.
Exfodio aulam auri plenam: inde ex eo loco
Video recipere ſe ſenem, ille me non uidet:
Nam ego modo declinaui paulum me extra uiam.
Atat eccum ipſum: ibo, ut hoc condam domum.

EVCLIO, ſenex. LYCONIDES, adoleſcens.

Perij

E. PEriꝫ, interiꝫ, occidi. quò curram? quò non curram? tene tene.
Quem? quis? neſcio. nihil uideo, cæcus eo: atque
Equidem quò eam, aut ubi ſim, aut qui ſim, (lio,
Nequeo cũ animo certum inueſtigare. obſecro uos ego, mihi auxi
Oro, obteſtor, ſitis, & hominẽ demonſtretis, qui eam abſtulerit:
Qui ueſtitu, & creta occultant ſeſe, atq; ſedent quaſi ſint frugi:
Quid ais tu? tibi credere certũ'ſt. nã eſſe bonũ te, uoltu cognoſco.
Quid eſt? quid ridetis? noui omneis, ſcio fures eſſe hic complures:
Hem nemo habet horum? occidiſti. dic igitur quis habet. neſcis?
Heu me miſerũ, miſerũ. periꝫ male perditus. peſſume ornatus eo,
Tantum gemiti, & malæ mœſtitiæ hic dies mihi obtulit, famem,
Perditiſsimus ego ſum omnium in terra. (& pauperiem.
Nam quid mihi opus uita'ſt, qui tantum auri
Perdidi, quod cuſtodiui ſedulò? egomet me fraudaui,
Animumq; meum, geniumq; meum: nunc eo aliꝫ lætificantur meo malo & damno. pati nequeo.

L. Quinã homo hic ante ædeis noſtras eiulãs cõqueritur mœrens?
Atq; hic qdẽ Euclio eſt, ut opinor: oppidò ego interiꝫ: palã res eſt:
Scit peperiſſe iam (ut ego opinor) filiã ſuam, nũc mihi incertu'ſt
Quid agam, abeam, an maneam, an adeam, an fugiam: quid agam ædepol neſcio.

EVCLIO, ſenex. LYCONIDES, adoleſcens.

E. QVis hic loquitur? L. ego ſum miſer. E. immò ego ſum miſer, & miſerè perditus.
L. Quoi tanta mala mœſtitudo obtigit. animo bono es.
E. Quo obſecro pacto eſſe poſſum? L. quia iſtuc facinus, quod tuum
Sollicitat animum, id ego feci, & fateor. E. quid ego ex te audio?
L. Id quod ueru'ſt. E. quid ego emerui adoleſcens mali,
Quamobrem ita faceres? meq;, meoſq; perditum ires liberos?
L. Deus impulſor fuit, is me ad illam illexit. E. quo modo?
L. Fateor me peccauiſſe, & me culpam commeritum ſcio:
Id adeò te oratum aduenio, ut animo æquo ignoſcas mihi.
E. Cur id auſus facere, ut id, quod non tuum eſſet, tangeres?
L. Quid uis fieri? factu'ſt: illud fieri infectum non poteſt.

Credo

Quin diuôm, atque hominum clamat continuò fidem,
De ſuo ligello fumus ſi quâ exit foras.
Quin quom it dormitum, follem obſtringit ob gulam.
A. Cur? S. ne quid animæ forte amittat dormiens.
A. Etiamne obturat inferiorem gutturem,
Ne quid animæ fortè amittat dormiens?
S. Hæc mihi te, ut tibi me, æquom'st credere: credo.
A. Immò equidem credo. S. an ſcin' etiam quo modo?
Aquam hercle plorat, quom lauat, profundere.
A. Cenſen' talentum magnum exorari poteſſe
Ab hoc ſene, ut det, quî fiamus liberi?
S. Famem hercle utendam ſi roges, nunquam dabit.
Quin ipſi pridem tonſor ungues dempſerat,
Collegit, omnia abſtulit præſegmina.
A. Aedepol mortalem parcè parcum prædicas.
S. Cenſen' uerò adeò eſſe parcum, & miſerè uiuere?
Pulmentum pridem ei eripuit miluius.
Homo ad prætorem plorabundus deuenit:
Infit ibi poſtulare plorans, eiulans,
Vt ſibi liceret miluium uadarier.
Sexcenta ſunt quæ memorem, ſi ſit otium.
Sed uter uoſtrorum eſt celerior, memora mihi.
A. Ego, ut multò melior. S. coquum ego, non furem rogo.
A. Coquum ego dico. S. quid tu ais? C. ſic ſum, ut uides.
A. Coquus ille nundinali'st, in nonum diem.
Solet ire coctum. C. tu trium literarum homo,
Vituperas me? A. etiam fur trifurcifer?

STROBILVS, ANTHRAX, CONGRIO.

S. TAce nunc iam tu, atq; agnûm horum uter eſt pinguior?
A. Licet. S. tu Congrio eum ſume, atq; abi
Intrò illuc, & uos eum ſequimini:
Vos cæteri illuc ad nos. C. hercle iniuria
Diſpertiuiſti: pinguiorem agnum iſti habent.
S. At nunc tibi dabitur pinguior tibicina.

I ſanè cum illo Phrygia: tu autem Eleuſium
Huc intrò abidum ad nos. C. ô Strobile ſubdole
Huccine detruſiſti me ad ſenem parciſſumum:
Vbi ſi quid poſcamus, ad rauim poſcamus prius,
Quàm quicquam detur. S. Stultus, & ſine gratia es,
Tibi rectè facere, quando quod facias, perit.
C. Qui uerò? S. rogitas? iam in principio in ædibus
Turba iſtic nulla tibi erit: ſi quid uti uoles,
Domo abs te afferto, ne operam perdas poſcere.
Hic autem apud nos magna turba, ac familia'ſt,
Supellex, aurum, ueſtes, uaſa argentea.
Ibi ſi perijt quippiam (quod te ſcio
Facile abſtinere poſſe, ſi nihil obuia'ſt)
Dicant, coqui abſtulerunt: comprehendite,
Vincite, uerberate, in puteum condite.
Horum tibi iſtic nihil eueniet, quippe cui
Vbi nihil quicqua'ſt. ſequere hàc ſis me. C. ſequor.

STROBILVS, STAPHYLA.

Str. HEus Staphyla prodi, atq; oſtium aperi. STA. qui uocat?
Str. Strobilus. STA. quid uis? STR. hoſce uti accipias coquos,
Tibicinamq;, & obſonium in nuptias.
Megadôrus iuſſit Euclioni hæc mittere.
Sta. Cererin' Strobile has facturi nuptias?
Str. Qui? STA. quia temeti nihil allatum intellego.
Str. At iam afferetur, ſi à foro ipſus redierit.
Sta. Ligna hic apud nos nulla ſunt. STR. ſunt aſſeres?
Sta. Sunt pol. STR. ſunt igitur ligna, ne quæras foris.
Sta. Quid impurate quanquam Volcano ſtudes,
Cœnæ'ne cauſſa, aut tuæ mercedis gratia
Nos, noſtras ædeis poſtulas comburere?
Str. Haud poſtulo, duc iſtos intrò. STA. ſequimini.

PYTHODICVS, ſeruos.

CVrate, ego interuiſam quid faciant coqui,
Quos pol ut ego hodie ſeruem, cura maxuma'ſt:

Niſi

Niſi unum hoc faciam, ut in puteo cœnam coquant,
Inde coctam ſurſum ſubducemus corbulis:
Si autem deorſum comedent, ſiquid coxerint,
Superi incœnati ſint, & cœnati inferi.
Sic uerba hic facio, quaſi negoci nihil ſiet,
Rapacidarum ubi tantum ſiet in ædibus.

EVCLIO, CONGRIO.

E. VOlui animum tandem confirmare meum:
Vt bene haberem filiæ in nuptijs.
Venio ad macellum: rogito piſces: indicant
Caros, agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia.
Atque eò fuerunt cariora, æs non erat,
Abeo iratus illinc, quoniam nihil eſt, quî emam.
Ita illis impuris omnibus adij manum.
Deinde egomet mecum cogitare inter uias
Occœpi: FESTO DIE SI QVID PRODEGERIS,
Profeſto egêre liceat, niſi peperceris.
Poſtquam hanc rationem cordi, uentriq; edidi,
Acceßit animus ad meam ſententiam,
Quamminimo ſumptu filiam ut nuptum darem.
Nunc tuſculum emi, & haſce coronas floreas.
Hæc imponentur in foco noſtro, lari,
Vt fortunatas faciat gnatæ nuptias.
Sed quid ego apertas ædeis noſtras conſpicor?
Et ſtrepitus eſt intus, númnam ego compilor miſer?
C. Aulam maiorem ſi potes uicinia
Pete, hæc parua'ſt, capere non quit. E. hei mihi,
Perij hercle, aurum rapitur, aula quæritur:
Nimirum occîdor, niſi ego intrò huc propero currere.
Apollo quæſo ſubueni mihi, atq; adiuua:
Confige ſagittis fures theſaurarios,
Quoi in re tali ſubueniſti antehac.
Sed ceſſo prius, quàm prorſus perij currere?

ANTHRAX.

DRomo deſquama piſceis: tu Macherio
Congrum, muræenam exdorſua quantum potes.
Ego hinc artoptam ex proxumo utendam peto
A Congrione. tu iſtum gallum ſi ſapis,
Glabriorem reddes mihi, quàm uolſus ludiu'ſt.
Sed quid hoc clamoris oritur hinc ex proxumo?
Coqui hercle credo faciunt officium ſuum.
Fugiam intrò, nequid turbæ hic itidem fiat.

ACTVS TERTIVS.

CONGRIO.

OPtati ciues, populares, incolæ, accolæ, aduenæ omnes
Date uiam, qua fugere liceat: facite totæ plateæ pateãt.
Nunquid ego unquam niſi hodie, ad bacchas ueni in bacchanal coquinatum,
Ita me miſerum, & meos diſcipulos fuſtibus male contuderunt.
Totus doleo, atq; oppidò perij, ita me iſte habuit ſenex
Gymnaſiũ. atat, perij hercle ego miſer: aperit Bacchanal: adeſt:
Sequitur. ſcio quam rem geram: hæc ipſus magiſter me docuit.
Neque ligna ego uſquam gentium præberi uidi pulchrius:
Itaque omneis exegit foras, me, atque hos onuſtos fuſtibus.

EVCLIO, CONGRIO.

E. REdi, quò fugis nunc? tene tene. C. quid ſtolide clamas?
E. Quia ad Treisuiros iam ego deferam tuum nomen. C. quamobrem?
E. Quia cultrum habes. C. coquum decet. E. quid comminatus es
Mihi? C. iſtuc malefactum arbitror, quia non latus fodi.
E. Homo nullu'ſt te ſceleſtior qui uiuat hodie,
Neque quoi ego de induſtria amplius male plus lubens faxim.
C. Pol & ſi taceas, palàm id quidem eſt, res ipſa teſtis eſt,
Ita fuſtibus ſum mollior magis miſer, quàm ullus cinædus.
Sed quid tibi nos mendice homo tactio eſt? quæ res?
E. Etiam rogitas? an quia minus, quàm æquom erat, feci?
C. Sine, hercle cum malo magno tuo, ſi hoc caput ſentiet.

E. Sed in ædibus quid tibi meis nam erat negocij
Me abſente niſi ego iuſſeram? uolo ſcire. C. tace ergo,
Quia uenimus coctum ad nuptias. E. quid tu, malùm, curas,
Vtrum crudum, an coctum edam? niſi tu mihi es tutor.
C. Volo ſcire, ſinas, an non ſinas nos coquere hic cœnam.
E. Volo ſcire item ego, meæ domi mea ſalua an futura.
C. Vtinam mea mihi modo auferam, quæ attuli, ſalua.
E. Me haud pœnitet: tuáne expetam? C. ſcio, ne doce, noui.
Quid eſt, qua prohibeas nunc gratia nos coquere hic cœnam?
Quid fecimus? quid diximus tibi ſecus, quàm uelles?
E. Etiam rogitas ſceleſte homo, qui angulos omneis
Mearum ædium, & conclauium mihi peruium facitis?
Id ubi tibi erat negocium, ad focum ſi adeſſes,
Non ſiſſile haberes caput: meritò id tibi factu'ſt:
Adeò ut tu meam ſententiam iam noſcere poſſis:
Si ad ianuam huc acceſſeris, niſi iuſſero, propius,
Ego te faciam, miſerrumus mortalium uti ſies.
Scis iam meam ſententiam? quò abis? redi rurſum.
C. Ita me bene amet Lauerna, tu iam niſi reddi
Mihi uaſa iubes, pipulo differam hic ante ædeis.
Quid ego nunc agam? næ ego ædepol ueni huc auſpicio malo:
Nummo ſum conductus, plus iam medico mercede eſt opus.

EVCLIO, CONGRIO.

E. HOc quidem hercle quoquò ibo, mecũ erit, mecum feram:
Neque id in tantis periculis unquam committam ut ſiet,
Ite ſanè nunc iam intrò omnes & coqui, & tibicinæ:
Etiam introduce ſi uis uel gregem uenalium:
Coquite, facite, feſtinate nunc iam, quantum lubet.
C. Hem perij. E. abi, opera huc conducta'ſt uoſtra, non oratio.
C. Heu ſenex, pro uapulando hercle ego abs te mercedem petam:
Coctum ego, non uapulatum dudum conductus fui.
E. Lege agito mecum: moleſtus ne ſis, & cœnam coque:
Aut abi in malum cruciatum ab ædibus. C. abi tu modo.

EVCLIO.

Illic

ILlic hinc abit: DI immortales facinus audax incipit,
Qui cum opulento pauper cœpit rem habere, aut negotium:
Veluti Megadorus tentat me omnibus miſerum modis,
Qui ſimulauit mei honoris mittere huc cauſſa coquos:
Is ea cauſſa miſit, hoc qui ſurriperent miſero mihi.
Condigne etiam meus me intus gallus gallinacius,
Qui erat anui peculiaris, perdidit peniſſume:
Vbi erat hæc defoſſa, occœpit ibi ſcalpurire ungulis
Circumcirca. quid opus eſt uerbis? ita mihi pectus peracuit:
Capio fuſtem, obtrunco gallum furem manifeſtarium.
Credo ego ædepol illi mercedem gallo pollicitos coquos,
Si id palam feciſſet. exemi ex manu manubrium.
Quid opu'ſt uerbis? facta eſt pugna in gallo gallinacio.
Sed Megadôrus meus affinis eccum incedit à foro.
Iam hunc non auſim præterire, quin conſiſtam, & colloquar.

MEGADORVS, EVCLIO.

M. NArraui amicis multis conſilium meum
De conditione hac. Euclionis filiam
Laudant: ſapienter factum, & conſilio bono.
NAM MEO QVIDEM animo, ſi idem faciant cæteri
Opulentiores, pauperiorum filias
Vt indotatas ducant uxores domum:
Et multò fiat ciuitas concordior:
Et inuidia nos minore utamur, quàm utimur:
Et illæ malam rem metuant, quàm metuunt, magis:
Et nos minore ſumptu ſimus, quàm ſumus.
In maxima illæc populi parte eſt optuma:
In pauciore, auidis altercatio eſt:
Quorum animis auidis, atque inſatietatibus,
Neque lex, neque tutor capere eſt qui poſsit modum.
Neque hoc quis dicat, quom illæ nubent, diues es,
Dotata es: iſtud ius pauperibus ponitur,
Quo iubeant, nubant, dum dos ne fiat comes.
Hoc ſi ita fiat, mores meliores ſibi

Parent,pro dote quos ferant,quàm nunc ferunt.
Ego faxim muli precio,qui ſuperant equos,
Sient uilliores gallicis canterijs.
E. Ita me dij amabunt,ut ego hunc auſculto lubens:
Nimis lepidè fecit uerba ad parſimoniam.
M. Nulla ergo dicat,Equidem dotem ad te attuli
Maiorem multò,quàm tibi erat pecunia.
Enim mihi quidem æquom'ſt,
Purpuram,atque aurum dari,
Ancillas,mulos,muliones,pediſequas,
Salutigerulos pueros,uehicula,qui uehat.
E. Vt matronarum hic facta pernouit probè:
Moribus præfectum mulierum hunc factum uelim.
M. Nunc quoque uenias,plus plauſtrorum in ædibus
Videas,quàm ruri,quando ad uillam ueneris.
Sed hoc etiam pulchru'ſt
Præquàm ubi ſumptus petunt.
Stat fullo,Phrygio,aurifex,lanarius,
Ciniflones,patagiarij,induſiarij,
Flammearij,uiolarij,carinarij,
Aut manulearij,aut mirobrecarij,
Propolæ,linteones,calceolarij,
Sedentarij,ſutates,diabathrarij:
Solearij aſtant,aſtant molochinarij:
Petunt fullones,ſarcinatores petunt:
Strophiarij aſtant,ſemizonarij.
Iam hoſce abſolutos cenſeas,cedunt,petunt.
Trecenti conſtant phylaciſtæ in atrijs.
Textores,limbolarij,arcularij,
Ducuntur,datur æs:iam hoſce abſolutos cenſeas,
Quom incedunt infectores crocotularij,
Aut aliqua mala crux ſemper eſt,quæ petat.
E. Compellarem ego illum,ni metuam ne deſinat
Memorare mores mulierum:nunc ſic ſinam.

Vbi

M. Vbi nugiuendis res ſoluta eſt omnibus,
Ibi ad poſtremum cedit miles, æs petit.
Itur: putatur ratio cum argentario:
Miles impranſus adſtat: æs cenſet dari:
Vbi diſputata eſt ratio cum argentario,
Etiam plus ipſus debet argentario:
Spes prorogatur militi in alium diem.
Hæ ſunt, atque aliæ multæ in magnis dotibus
Incommoditates, ſumptusq; intolerabiles,
NAM QVAE INDOTATA'ST, ea in poteſtate'ſt uiri.
Dotatæ mactant & malo, & damno uiros.
Sed eccum affinem ante ædeis. quid agitur Euclio?

EVCLIO, MEGADORVS.

E. NImium libenter audiui ſermonem tuum.
M. An audiuiſti? E. uſque à principio omnia.
M. Tamen è meo quidem animo, aliquanto rectius facias,
Si nitidior ſis nuptijs filiæ.
E. Pro re nitorem, & gloriam pro copia
Qui habent, meminerint ſeſe unde oriundi ſient.
Neque pol Megadôre mihi, neque quoiquam pauperi
Opinione melius res ſtructa eſt domi.
M. Immò eſt: & di faciant ut ſiet
Plus, plusq; iſtuc ſoſpitent quod nunc habes.
E. Illud mihi uerbum non placet, quod nunc habes.
Tam hic ſcit me habere, quàm egomet, anus fecit palàm.
M. Quid tute ſolus è ſenatu ſeuocas?
E. Pol ego te ut accuſem meritò meditabar. M. quid eſt?
E. Quid ſit me rogas? qui mihi omneis angulos
Furum impleuiſti in ædibus miſero, qui mihi
Intromiſiſti in ædeis quingentos coquos
Cum ſenis manibus, genere Geryonaceo.
Quos ſi ARGVS ſeruet, qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Ioui Iuno cuſtodem addidit,
Is nunquàm ſeruet. præterea tibicinam,

Quæ mihi interbibere ſola, ſi uino ſcateat,
Corinthienſem fontem Pyrenen poteſt.
Tum obſonium autem. M. pol uel leoni ſat eſt.
Etiam agnum miſi. E. quo quidem agno ſat ſcio
Magis curioſam nuſquam ullam eſſe beſtiam.
M. Volo ex te ego ſcire, quî ſit agnus curio.
E. QVI OSSA, ATQVE PELLIS TOTVS EST, ita cura macet:
Quin exta inſpicere in ſole etiam uiuo licet:
Ita is pellucet, quaſi laterna Punica.
M. Cædundum illum ego conduxi. E. tum tu idem optimu'ſt,
Loca efferundum. nam iam credo mortuus eſt.
M. Potare ego tecum hodie Euclio uolo.
E. Non potem ego quidem hercle. M. at ego iuſſero
Cadum unum uini ueteris à me afferier.
E. Nolo hercle: nam mihi bibere decretum aquam eſt.
M. Ego te hodie reddam madidum, ſi uiuo, probe:
Tibi an decrétum eſt bibere aquam? E. ſcio quam rem agat,
Vt me deponat uino, eam affectat uiam.
Poſt hoc, quod habeo, ut commutet coloniam.
Ego id cauebo. nam alicubi abſtrudam foris.
Ego faxo, & operam, & uinum perdiderit ſimul.
M. Ego niſi quid uis, eo lauatum, ut ſacruficem.
E. Aedepol næ tu aula multos inimicos habes,
Atq; iſtuc aurum, quod tibi concreditum eſt,
Nunc hoc mihi factu optumu'ſt, ut te auferam
Aula in Fidei phanum: ibi abſtrudam probe.
Fides nouiſti me, & ego te: caueſis tibi,
Ne tu in me mutaßis nomen, ſi hoc concreduo.
Ibo ad te, fretus tua Fides fiducia.

QVARTVS ACTVS.

STROPHILVS, Lyconidis ſeruos.

HOC EST SERVI FACINVS frugi facere, quod ego perſequor.
Ne moræ, moleſtiæq; imperium herile habeat ſibi.

Nam

Nam qui hero ex ſententia ſeruire ſeruos poſtulat,
In herum matura, in ſe ſera condecet capeſſere.
Sin dormitet, ita dormitet, ſeruom ſeſe ut cogitet.
Nam qui amanti hero ſeruitutem ſeruit, quaſi ego ſeruio,
Si herum uidet ſuperare amorem, hoc ſerui officium reor,
Retinere ad ſalutem, non eum quò incumbat, eò impellere.
QVASI PVERI QVI NARE DISCVNT, *ſcirpea inducitur ratis,*
Quî laborent minus, facilius ut nent, & moueant manus:
Eodem modo ſeruom ratem eſſe amanti hero æquom cenſeo,
Vt toleret, ne peſſum abeat: tanquam
Imperium herile diſcat, ut quod non os uelit, oculi ſciant:
Quod iubeat, CITIS QVADRIGIS *citius properet perſequi.*
Qui ea curabit, abſtinebit cenſeo næ bubula,
Nec ſua opera reddet unquam in ſplendorem compedes.
Nunc herus meus amat filiam huius Euclionis pauperis:
Eam hero nunc renuntiatu'ſt nuptum huic Megadôro dari.
Is ſpeculatum huc miſit me, ut quæ fierent, fieret particeps.
Nunc ſine omni ſuſpicione in ara hic aſsidam ſacra:
Hinc ego huc, & illuc potero quid agam, arbitrarier.

EVCLIO, STROPHILVS.

EV. *TV modo caue quoiquam indicaſsis aurum meum eſſe iſtic*
Non metuo ne quiſquam inueniat, ita probe in latebris ſitum eſt. *(Fides:*
Aedepol næ illic pulchram prædam agat, ſi quis illam inuenerit
Aulam onuſtam auri. uerùm id te quæſo ut prohibeſsis Fides:
Nunc lauabo, ut rem diuinam faciam, ne affinem morer,
Quin ubi accerſat me, meam éxtemplo filiam ducat domum.
Vide fides etiã atq; etiam nunc, ſaluã ut aulam abs te auferam.
Tuæ fidei credidi aurum: in tuo luco, & phano eſt ſitum.
ST. *Di immortales, quod ego hunc hominem facinus audio loqui,*
Se aulam onuſtam auri abſtruſiſſe hic intus in phano? Fides
Caue tu illi fidelis quæſo potius fueris, quàm mihi.
Atq; hic pater eſt, ut ego opinor, huius, herus quam amat.
Ibo hinc intrò, perſcrutabor phanum, ſi inueniam uſpiam

Aurum dum hic eſt occupatus. ſed ſi repperero, ô Fides,
Mulſi congialem plenam faciam tibi fideliam:
Id adeò tibi faciam: uerum ego mihi bibam, ubi id fecero.

EVCLIO.

NOn temere eſt, quod coruos cãtet mihi nunc ab læua manu,
Simul radebat pedibus terram, & uoce crocitabat ſua.
Continuo meum cor cœpit artem facere ludicram,
Atq; in pectus emicare. ſed ego ceſſo currere?

EVCLIO, STROPHILVS.

EV. FOras lumbrice, qui ſub terra erepſiſti modo,
Qui modo nuſquam comparebas: nũc quom cõpares, peris:
Ego pol te præſtigiator miſeris iam accipiam modis.
ST. Quæ te mala crux agitat? quid tibi mecum eſt commerci ſenex?
Quid me afflictas? quid me raptas? qua me cauſſa uerberas?
EV. Verberabiliſſume etiam rogitas, non fur, ſed trifur?
ST. Quid tibi ſurripui? EV. redde huc ſis. ST. quid uis reddam? EV. rogitas?
ST. Nihil equidẽ tibi abſtuli. EV. at illud quod tibi abſtuleras, cedò.
ST. Ecquid agis? EV. quid agam? auferre nõ potes. ST. quid uis tibi?
EV. Pone hoc ſis: aufer cauillam, non ego nunc nugas ago.
ST. Quid ego ponam? quin tu eloquere quicquid eſt, ſuo nomine.
Nõ hercle eqdẽ quicq̃ ſumpſi, nec tetigi. EV. Oſtẽde huc manus.
ST. Hem tibi oſtendi, eccas. EV. uideo, age oſtende etiam tertiam.
ST. Laruæ hunc atq; intemperiæ inſaniæq; agitant ſenem.
Facisne iniuriã mihi, an non? EV. quia fateor nõ pdo, maxumã.
Atq; id quoq; iam fiet, niſi fatêre. ST. quid fatear tibi?
EV. Quid abſtuliſti hinc? ST. di me perdant, ſi ego quicquã abſtuli.
Niue adeò abſtuliſſe uellem. EV. agedum excutedum pallium.
ST. Tuo arbitratu. EV. ne inter tunicas habeas. ST. tenta quâ lubet.
EV. Vah, ſceleſtus quàm benignè, ut ne abſtuliſſe intellegam:
Noui ſycophantias: age rurſum oſtende huc manum
Dextram. ST. hem. EV. nunc leuam oſtende. ST. quin equidem ambas profero.
EV. Iã ſcrutari mitto, redde huc. ST. quid reddã? EV. ah nugas agis:

Certe habes. ST. habeo ego? quid habeo? EV. non dico, audire expetis:
Id meum quicquid habes, redde. ST. inſanis, perſcrutatus es
Tuo arbitratu, neque tui me quicquam inueniſti penes.
EV. Mane mane: quis ille intus alter erat tecum ſimul?
Perij hercle, ille nunc intus turbat: hunc ſi amitto, hic abierit.
Poſtremò iam hunc perſcrutaui, hic nihil habet. abi quò lubet,
Iupiter te, diq; omnes perdant. ST. haud malè agit gratias.
EV. Ibo intrò, atque illi tuo ſocieno iam interſtringam gulam.
Fugin' hinc ab oculis, abin' an nō? St. abeo. EV. caueſis te uideā.

STROPHILVS.

MOrtuum ego me mauelim lœtho malo,
Quàm non ego illi dem hodie inſidias ſeni.
Nam hic iam non audebit aurum abſtrudere.
Credo referet iam ſecum, & mutabit locum.
Atat foris crepuit, eccum ſenex aurum effert foras:
Tantiſper hic ego ad ianuam conceſſero.

EVCLIO, STROPHILVS.

E. FIdei cenſebam maxumam multò fidem
Eſſe, ea ſubleuit os mihi peniſsume.
Ni ſubueniſſet coruos, periſſem miſer.
Nimis hercle ego illum coruom ad me ueniat uelim,
Qui indicium fecit: ut ego illi aliquid boni
Dicam. nam quod dedit tandiu, quàm perdium.
Nunc hoc ubi abſtrudam, cogito ſolum locum.
Syluani lucus extra murum eſt auius,
Crebro ſalicto oppletus: ibi ſumam locum.
Certum eſt Syluano potius credam, quàm fidei.
Euge, fuge fuge: di me ſaluom, & ſeruatum uolunt.
ST. Iam ego illuc præcurram, atq; inſcendam aliquam in arborem:
Indeq; obſeruabo, aurum ubi abſtrudat ſenex:
Quanquam hic manere herus ſeſe, iuſſerat.
Certu'ſt malam rem potius quæram cum lucro.

LYCONIDES, adol. EVNOMIA, mulier. PHAEDRA, puella.

E. Perij, interij, occidi. quò curram? quò non curram? tene tene.
Quem? quis? neſcio. nihil uideo, cæcus eo: atque
Equidem quò eam, aut ubi ſim, aut qui ſim, (lio,
Nequeo cũ animo certum inueſtigare. obſecro uos ego, mihi auxi
Oro, obteſtor, ſitis, & hominẽ demonſtretis, qui eam abſtulerit:
Qui ueſtitu, & creta occultant ſeſe, atq; ſedent quaſi ſint frugi:
Quid ais tu? tibi credere certũ'ſt. nã eſſe bonũ te, uoltu cognoſco.
Quid eſt? quid ridetis? noui omneis, ſcio fures eſſe hic complures:
Hem nemo habet horum? occidiſti. dic igitur quis habet. neſcis?
Heu me miſerũ, miſerũ. perij male perditus. peſſume ornatus eo,
Tantum gemiti, & malæ mœſtitiæ hic dies mihi obtulit, famem,
Perditiſsimus ego ſum omnium in terra. (& pauperiem.
Nam quid mihi opus uita'ſt, qui tantum auri
Perdidi, quod cuſtodiui ſedulò? egomet me fraudaui,
Animumq; meum, geniumq́; meum: nunc eo alij lætificantur meo
malo & damno. pati nequeo.
L. Quinã homo hic ante ædeis noſtras eiulãs cõqueritur mœrens?
Atq; hic qdẽ Euclio eſt, ut opinor: oppidò ego interij: palã res eſt:
Scit peperiſſe iam (ut ego opinor) filiã ſuam, nũc mihi incertu'ſt
Quid agam, abeam, an maneam, an adeam, an fugiam: quid
agam ædepol neſcio.

EVCLIO, ſenex. LYCONIDES, adoleſcens.

E. Quis hic loquitur? L. ego ſum miſer. E. immò ego ſum miſer, & miſerè perditus.
L. Quoi tanta mala mœſtitudo obtigit. animo bono es.
E. Quo obſecro pacto eſſe poſſum? L. quia iſtuc facinus, quod tuum
Sollicitat animum, id ego feci, & fateor. E. quid ego ex te audio?
L. Id quod uerũ'ſt. E. quid ego emerui adoleſcens mali,
Quamobrem ita faceres? meq;, meoſq́; perditum ires liberos?
L. Deus impulſor fuit, is me ad illam illexit. E. quo modo?
L. Fateor me peccauiſſe, & me culpam commeritum ſcio:
Id adeò te oratum aduenio, ut animo æquo ignoſcas mihi.
E. Cur id auſus facere, ut id, quod non tuum eſſet, tangeres?
L. Quid uis fieri? factu'ſt: illud fieri infectum non poteſt.

Credo

Credo deos uoluiſſe: nam ni uellent, non fieret, ſcio.

E. At ego credo deos uoluiſſe, ut apud te me in neruo enicem.

L. Ne iſtuc dixis. E. quid tibi ergo meam me inuito tactio' ſt?

L. Quia uini uitio, atq; amoris feci. E. homo audaciſſume,
Cum iſtac te oratione huc ad me adire auſin' impudens?
Nam ſi iſtuc ius eſt, ut tu iſtuc excuſare poßies,
Luce clara deripiamus aurum matronis palàm:
Poſt id, ſi prenſi ſimus, excuſemus, ebrios
Nos feciſſe, amoris cauſſa. NIMIS VILE eſt uinũ, atq; amor,
Si ebrio atque amanti impunè facere quod lubeat, licet.

L. Quin tibi ultrò ſupplicatum aduenio ob ſtultitiam meam.

E. Non mihi homines placent, qui quom malefecerunt, purgant.
Tu illam ſcibas non tuam eſſe, non attractam oportuit.

L. Ergo quia ſum tangere auſus: haud cauſificor, quin eam
Ego habeam potiſsumum. E. tun' habeas me inuito meam?

L. Haud te inuito poſtulo, ſed meam eſſe oportere arbitror.
Quin tu eam inuenies, inquam, meũ illam eſſe oportere Euclio.

E. Niſi refers. L. quid tibi ego referam? E. quod ſurripuiſti meum:
Iam quidem ad prætorẽ hercle te rapiam, & tibi ſcribam dicã.

L. Surripui ego tuũ? unde? aut quid id eſt? E. ita te amabit Iupiter.
Vt tu neſcis. L. niſi quidem tu mihi quid quæras, dixeris.

E. Aulam auri, inquam, te repoſco, quam tu confeſſus mihi
Te abſtuliſſe. L. neque id ædepol dixi, neque feci. E. negas?

L. Pernego, immò neque ego aurum, neque iſtæc aula, quæ ſiet,
Scio, nec noui. E. illam ex Syluani luco quam abſtuleras, cedò:
I, refer: dimidiam tecum potius partem diuidam:
Tametſi fur mihi es, moleſtus non ero furi, refer.

L. Sanus tu non es, qui furem me uoces: ego te Euclio
De alia re reſciuiſſe cenſui, quod ad me attinet.
Magna eſt res, quam ego tecum otioſe,, ſi otium eſt, cupio loqui.

E. Dic bona fide, tu id aurum non ſurripuiſti? L. non, bona.

E. Iſtuc quoq; bona, neq; id ſcis qui abſtulerit mihi? L. non. E. atque
Si ſcies qui abſtulerit, mihi indicabis? L. faciam. E. neque partem
Tibi ab eo, quoi eſt, indipiſces, neque furem excipies?

Ita

L. Ita. E. id fallis? L. tum me faciat quod uolt magnus Iupiter.
E. Sat habeo, age nunc loquere quid uis. L. ſi me nouiſti minus,
Genere quo ſim gnatus, hic mihi eſt Megadorus auonculus,
Meus fuit pater Antimachus: ego uocor Lyconides:
Mater eſt Eunomia. E. noui genus, nunc quid uis? L. id uolo
Noſcere: filiam ex te tu habes? E. immò eccillam domi.
L. Eam tu deſpondiſti (opinor) meo auonculo. E. omnem rem tenes.
L. Is me nunc renuntiare repudium iuſsit tibi.
E. Repudium, rebus paratis, atque exornatis nuptijs?
Vt illum di immortales omnes, quantum eſt, perduint,
Quem propter hodie auri tantum perdidi infelix miſer.
L. Bono animo es: bene dice. nunc quæ res tibi, & gnatæ tuæ
Bene, feliciterq́; uortat, ita di faxint, inquito.
E. Ita di faciant. L. & mihi ita di faciant. audi nunc iam.
QVI HOMO CVLPAM admiſit in ſe, nullus eſt tam parui precij
Quin pudeat, quin purget ſeſe. nunc te obteſtor Euclio,
Vt quod ego erga te imprudens peccaui, aut gnatam tuam,
Mihi ignoſcas: eamq́; uxorem mihi des, ut lex iubet.
Ego me iniuriam filiæ feciſſe fateor tuæ
Cereris uigilijs per uinum, atque impulſu adoleſcentiæ.
E. Hei mihi quod facinus ex te ego audio. L. curre, i, uiſe,
Quem ego auom feci iam ut eſſes filiæ nuptijs.
Nam tua gnata peperit decumo menſe pòſt, numerum cape:
Eò repudium remiſit auonculus cauſſa mea.
Intrò exquære ſit ne ita, ut ego prædico. E. perij oppidò:
Ita mihi ad malum malæ res plurimæ ſe adglutinant.
Ibo intrò, ut quid huius ſit rei, ſciam. L. iam te ſequor.
Hæc propémodum iam eſſe in uado ſalutis res uidetur,
Nunc ſeruom eſſe ubi dicam meum Strophilum, non reperio:
Niſi etiam hic operiar tamen pauliſper: poſtea
Intrò hunc ſubſequar. interim ſpatium ei dabo exquirēdi meum
Factum ex gnatæ pediſequa nutrice, an uerum norit.

ACTVS QVINTVS.

STROPHILVS, LYCONIDES.

Di im-

S. DI immortales, quibus, & quantis me donatis gaudijs?
Quadrilibrem aulam auro onuſtam habeo. quis me eſt diuitior?
Quis me Athenis nunc magis quiſquam eſt homo, quoi di ſint propitij?
L. Certò enim ego uocem hic loquẽtis modo me audire uiſus ſum.
S. Herum egóne aſpicio meũ? L. uideón' Strophilũ ſeruom meum?
S. Ipſu'ſt. L. haud aliu'ſt. S. cõgrediar. L. contollã gradũ. credo ego
Illum, ut iuſſi, eam' pſe anum adijſſe huius nutricem uirginis.
S. Quin ego illi me inueniſſe dico hanc prædam, atque eloquor?
Igitur orabo, ut manu me mittat. ibo, atque eloquar.
Reppert i. L: quid repperiſti? L. NON QVOD PVERI CLAmitãt, IN FABA SE REPERISSE. L. iámne autem ut ſoles, ludis?
S. Here mane, eloquar, iã auſculta. L. age ergo loquere. S. repperi
Hodie here diuitias nimias. L. ubi nam? S. quadrilibrem inquam
Aulam auri plenam. L. quod ego facinus audio ex te? S. Euclioni
Huic ſeni ſurripui. L. ubi id aurum? S. in arca àpud me. nunc
Volo me emitti manu. L. egóne te emittam manu
Scelerum cumulatiſſime? S. abi here: ſcio quam rem geras.
Lepidè hercle animum tentaui tuum, iam eripere apparabas,
Quid faceres, ſi reppeiſſem? L. non potes probaſſe nugas:
I, redde aurum. S. reddam ego aurum? L. redde inquam, ut huic reddatur. S. ah, (nugas
Vnde? L. quod modo faſſus es eſſe in arca. S. ſoleo hercle ego
Garrire. ita loquor. L. at ſcin' quomodo? S. uel hercle enica,
Nunquam hinc feres à me.

IMPERFECTA FABVLA.

Hi XXVIII. uerſus, in alijs libris deſiderantur.
Nunquam hinc feres à me. L. quid hic quondam peruicus addit
Non feram nunquam, quod non habeo? S. efferaris, caue.
L. Niſi actûtum ſeni id auri redditio eſt. S. ſiue perpenſus ferar
Libitinarius, ſiue polinctorius efferar: nunquam dabo niſi fodiã
Nouiter arrogiam. L. uæh capiti tuo. S. imò ſenis, & capiti,
Et pectori, qui auri tantum perdidit. L. quis repperit?

Quem

S. Quem reppeiſſe uis? L. qui in arca illud ſubruptum habere
Autumat. S. Quàm pulchre tibi here conniuerent oculi, ſi id
Factum fatcor ludo quod luſi tecum: non par eſt identidem
Seriò uortier. L. At nunc iam ne me irritaſsis: i, & aurum
Redde, ſusq; deq; haud agites. S. here, id ſi repperibitur,
Certum eſt geminam te lanceam confitentē icere. L. i, & redde.
S. Vis craſſum? L. i, & redde. S. atat maſſum quæritas.
L. I, & redde: ego ad ſenem propero, ut quid comitijs
Proxumis uideam. ſenex auri aulam perdidit. Megadôrus
Repudium renunciat. filiam peperiſſe uitio reſciit. S. hero
Meo, quantum ego uideo, nemo eſt benignior. alij non quod
Inuentum eſt non oculunt modò, negant, oculunt uaniloqui:
Sed aliud poſt aliud, ſi qua ſit opportunitas, harpagatum
Volunt: ſi Eluſinæ ſit, facilem deam creduant: ſi Cocyto,
Non uidere quem batuat. ita neque amicis, neque cognatis,
Neque dis parcunt, dum bene parcant ſibi. iſtic quidem
Ne miſerum faciat ſenem, aut illius familiam opulentam,
Auri aulam, grandem, onuſtam, plenam, referri iubet,
Vt ſe faciat olim miſerum, atq; ſuam familiam. Aſt ego partem
Impartiri malim, unde redimar. quod uortat bènè, picus
A ſiniſtris cantitat, qui auri cuſtos hercle olim traditur.
Ibo, & aulam referam, quòd illæc mihi bene auis occinat.

Quæ ſequuntur, uſq; ad comœdiam Captiuei: non ſunt Plauti, ſed à Codro Vrceo addita poſt illum uerſum Garrire, &c. ad complendam comœdiam.

S. Nunquam hinc feres à me quod non habeo. L. feram
Velis nolis, cum te quadrupedem ſtrinxero,
Et hernioſos teſtes ad trabem tibi
Diuellam appenſo. ſed cur in fauces moror
Huius ſceleſti ruere? & animam protinus
Cur non compello facere iter præpoſterum?
Das, an non? S. dabo. L. Des ut nunc, non olim uolo.
S. Do iam: ſed me animam recipere ſinas, te rogo.
Ah ah quid, ut dem poſcis here. L. neſcis ſcelus:

Et au-

Et aulam auri plenam quadrilibrem mihi
Audes negare, quam dixti modo
Te arripuiſſe? eia iam ubi ſunt lorarij?
S. Here audi pauca. L. non audio, lorarij
Heus heus? S. quid eſt? L. parari catenas uolo.
S. Audi quæſo: poſt me ligari iuſſeris
Quantumlibet. L. Audio, ſed rem expedias ocius.
S. Si me torqueri iuſſeris ad necem, uide
Conſequare, primum ſerui exitium habes:
Deinde quod concupiſcis, ferre non potes.
At ſi tu dulcis libertatis præmio
Dudum captaſſes, iamdudum uotis fores
Votis potitus. OMNEIS NATVRA parit liberos,
Et omnes libertati natura ſtudent.
Omni malo, omni exitio peior ſeruitus:
Et quem Iupiter odit, ſeruum hunc primùm facit.
L. Non ſtultè loqueris. S. audi reliqua nunc iam.
TENACES NIMIVM dominos noſtra ætas tulit,
Quos Harpágonas, Harpyias & Tantalos
Vocare ſoleo, in opibus magnis pauperes,
Et ſitibundos in medio Oceani gurgite.
Nullæ illis ſatis diuitiæ ſunt, non Midæ,
Non Crœſi, non omnis Perſarum copia
Explere illorum Tartaream ingluuiem poteſt.
Iniquè domini ſeruis utuntur ſuis,
Et ſerui iniquè dominis nunc parent ſuis.
Sic fit neutrobi, quod fieri iuſtum foret.
Penum, popinas, cellas promptuarias
Occludunt mille clauibus parci ſenes:
Quæ uix legitimis concedi natis uolunt.
Serui furaces, uerſipelles, callidi.
Occluſa mille clauibus ſibi reſerant,
Furtimq; raptant, conſumunt, liguriunt,
Centena nunquam furta dicturi cruce:

Sic

Sic ſeruitutem ulciſcuntur ſerui mali
Riſu, iocisq́;. ſic ergo concludo, quòd
SERVOS FIDELES liberalitas facit.

L. Rectè quidem tu, ſed non paucis, ut mihi
Pollicitus. uerùm ſi te facio liberum,
Reddes quod cupio? S. reddam. ſed teſtes uolo
Adſint: ignoſces here, parum credo tibi.

L. Vt lubet, adſint uel centum, iam nil moror.

S. Megadôre & tu Eunomia adeſte precor, ſi lubet.
Exite: perfecta re mox redibitis.

M. Qui nos uocat? hem Lyconide. E. hem Strophile quid eſt?
Loquimini. L. breue eſt. M. quid eſt? S. uos teſtes uoco.
Si quadrilibrem aulam auri plenam huc affero,
Et trado Lyconidæ, Lyconides me manu
Mittit, iubet iuris eſſe me mei.
Itáne ſpondes? L. ſpondeo. S. iámne audiſtis hoc
Quod dixit? M. audiuimus. S. iura etiam per Iouem.

L. Hem quò redactus ſum alieno malo?
Nimis procax es: quid lubet, faciam tamen.

S. Heus tu, NOSTRA AETAS NON multum fidei gerit.
Tabulæ notantur, adſunt teſtes duodecim,
Tempus, locumq́; ſcribit actuarius,
Tamen inuenitur rhetor qui factum neget.

L. Sed me cito expedi ſis. S. hem ſilicem tibi.

L. Si te ego ſciens fallam, ita me eijciat dieſpiter
Bonis, ſalua urbe & arce, ut ego hunc lapidem. ſatin'
Iam feci tibi? S. ſatis: ut ego aurum apportem, eo.

L. I Pegaſeo gradu: & uorans uiam redi.

LYCONIDES, STROPHILVS, MEGADORVS, EVNOMIA, EVCLIO.

LY. GRaue eſt homini pudenti morologus nimis
Seruus, qui ſapere plus uolt hero ſuo.
Abeat hic Strophilus in malam liber crucem,
Modò mihi apportet aulam auro puro grauem,

Vt Euclionem ſocerum ex luctu retraham
Ad hilaritatem, & mihi conciliem filiam,
Ex compreſſu meo nouam puerperam.
Sed ecce redit onuſtus Strophilus: ut reor,
Aulam apportat, & certe eſt aula quam gerit.
ST. Lyconide apporto inuentum promiſſum tibi.
Aulam auri quadrilibrem, num ſerus fui?
LY. Nempe, ô dij immortales quid uideo, aut quid habeo?
Plus ſexcentos Philippos ter & quater,
Sed euocemus Euclionem protinus.
LY. O' Euclio Euclio. M. Euclio Euclio. EV. quid eſt?
LY. Deſcende ad nos, nam dij te ſeruatum uolunt:
Habemus aulam. EV. habetisne? an me luditis?
LY. Habemus inquam: modo ſi potes, huc aduola.
EV. O magne Iupiter, ô lar familiaris, &
Regina Iuno, & noſter theſaurarie
Alcide, tantum miſerati miſerum ſenem.
Oh oh quàm lætis aula tibi amicus ſenex
Complector ulnis, & te dulci capio oſculo:
Expleri nequeo mille uel complexibus.
O ſpes, ô cor luctum depuluerans meum.
LY. AVRO CARERE ſemper duxi peſſumum,
Et pueris, & uiris, & ſenibus omnibus.
Pueros proſtare cogit indigentia,
Viros furari, mendaciter ipſos ſenes.
AT MVLTO PEIVS eſt, ut uideo nunc, ſuprà
Quàm quod neceſſe eſt, nobis auro opuleſcere.
Heu quantas paſſus eſt ærumnas Euclio,
Ob aulam paulò antè à ſe deperditam.
EV. Cui meritas referam grates? an dijs, qui bonos
Reſpectant homines? an amicis rectis uiris?
An utriſq;? utriſque potius, & primùm tibi
Lyconide, principium & autor tanti boni.
Hac ego te aula auri condono, accipias lubens:

Tuam

Tuam hanc eſſe uolo, & filiam meam ſimul,
Præſente Megadôro, & ſorore eius proba
Eunomia. LY. & habetur, & refertur gratia,
Vt meritus es, ſocer exoptatus mihi Euclio.

EV. Relatam mihi ſatis putabo gratiam,
Si donum noſtrum, & meipſum accipias nunc lubens.

LY. Accipio, & Euclionis uolo mea ſit domus.

ST. Quid reſtat here nunc? memento ut ſim liber.

LY. Recte monuiſti, eſto merito liber tuo,
O Strophyle, & turbatam iam intus cœnam para.

ST. Spectatores, naturam auarus Euclio
Mutauit, liberalis ſubito factus eſt:
Sic liberalitate utimini uos quoque:
Et ſi fabula perplacuit, clarè plaudite.

ANNOTATIONES IN AVLVLARIAM.

DRAMATIS PERSONAE.

AVlularia nomen habet à facto. LAR προλογίζει tanq̃ deus, eſtq́; protatica perſona, quo ſit occaſio narrandi argumenti.

EVCLIO, ſenex auariſſimus, pauperum parciſſimus, nomen habet à celebri fama, ſolent enim auaritiæ ſtudioſi in comœdijs taxari: qualis apud Ariſtophanem Patrocles, qui nunquam in uita lauiſſe dicitur, unde iam omnes ſordidos Eucliones uocamus.

STAPHYLA. Anus bibacitati aptum nomen. Ratio eſt adagium, aquilæ ſenecta, dicta eſt autem à ϛαφυλὴ uua. Vide ſcenam 3. Act. 2. Cererin Strobile &c.

EVNOMIA. Matrona honeſta, à legali probitate dicta eſt, quòd fratri perſuaſit iuxta legem ducere uxorem, εὖ bonum νόμος legem ſonat.

MEGADORVS. Annotatum eſt à doctis nomina plebeia & ſeruorum, eſſe fere breuia & diſſyllaba, at magnatum, præter quòd literarum ſono magnanimitatem

præ ſe ferunt, etiam ſyllabarum numero uincunt: quemadmodum hic Megalodori.

STROBILVS. ſeruus, à deformitate corporis. στρόβιλον ſiquidem græci σκόλιον καμπιλὸν, incuruum dicunt, aut à cochleæ natura, quam etiam στρόβιλον uocant, aut à fructu pini arboris nomen habet.

ANTHRAX. Non potuit aptius fingi à poëta coqui nomen quàm carbonis, in quibus continuò uerſantur culinarij. ἄνθραξ carbo latinis.

CONGRIO, à piſce quem cocturus erat in nuptias.

PYTHODICVS ſeruus, è græca comœdia: ut fere omnia, nomen habet à uaſe quod græci πυθὸν uocant.

STROPHILVS, à uerſutia & calliditate ſeruuli, στροφὴ ſtrophe.

LYCONIDES, è græca comœdia audaciæ iuuenili admodum conueniens, λύκος ſiquidem lupus.

PHAEDRA, puella à ſplendore, quod plærunq; faciẽ pſymmithio, & ceruſſatis ſplendidiorem faciant.

Lar familiaris.) De lare familiari, utq; huic ſacrificabatur uide Cenſorinum de die natali, lib. 1. ca. 2. Chiliad. ab ipſo lare, & genius malus. Plutarchum in problematis.

Ita audio ingenio fuit.) Legendum ex Nonio auido.

Dat mihi coronas.) Plinius li. 21. ca. 1. Feſtus Pompeius in Donaticæ coronæ. Horatius in epiſtolis lib. 2.

Tellurem porco, Syluanum lacte piabant.
Floribus & uino Genium. &c.

Cereris uigilijs.) Quæ noctu celebrabantur, quod Ceres filiam ſuam nocte quæſierit in Aetna oberrans, unde Statius 4. Sylua.

Tuq; Actæa Ceres, curſu cui ſemper anhelo,
Votiuam taciti laſſamus lampada myſtæ.

Concurrebant autem certatim ad hoc feſtum iuuenes, uiri, ſenes, matronę, anus, innuptęq; puellæ, libidinoſiſſimum autem fuiſſe hoc feſtum facile eſt uidere apud Dioſcoridẽ ca. de agno. lege ibidem commentaria Vergilij interpretis.

Circunſpectatrix cùm oculis emiſſicijs.) Oculi emiſſicij ſunt, quales Lamias circunferre fabulantur. Plutarchus de curioſitate: ἐν ᾧ δὲ μύθῳ τὴν λαμίαν λέγουσιν οἴκοι μὲν ἄδειν. τυφλὴν ἐν ἀγγείῳ τινὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἔχουσαν ἀποκειμένους, ἔξω δὲ προϊοῦσαν ἀποτίθεσθαι καὶ βλέπειν. Fabulæ narrant Lamiam quidem canere domi cæcã, oculos habentem in uaſculo quodã repoſitos,

ſtos, uerum ubi prodit foras reponere, ac tum oculatã eſſe.

Tibi ego rationem.) Nonius exponit in qua ſtimuli eri pi poſſint, neq; locus ille uitio caret, cum alij codices habeant erumpere &c.

Diſcipulam cruci.) Nonius crucis habet, quàmuis in his facilis lapſus.

Quæ in occipitio quoque habet oculos.) Chiliadibus. In occipitio quoque habet oculos.

Quam ex me etiam faciam literam longam.) Cœlius Rhodoginus lib. 6. cap. 8. Extat & Auſonij epigramma de longa litera.

Nam hic apud nos.) Nonius. Nam hic apud nos nihil eſt quæſti furibus.

Quæ utenda uaſa ſemper uicini rogant.) Chiliadibus. Emere malo quàm rogare.

Nam ſi ignis uiuet.) Nonius lucet citat in quodam loco.

Tum aquam effugiſſe.) Vitruuius & ueteres uſos oſtendit ſaxis excauatis, quibus aquam exciperent.

Nuſquàm adijt quã prope.) Merula quanquam prope legit, & prope refert ad Megadorum uicinum diuitem.

Nam noſter noſtræ qui eſt magiſter curiæ.) Budæus annota. in pandectas.

Omnes uidentur ſcire & me benignius omnes ſalutãt.) Chremylus apud Ariſtophanem iam diues factus, queritur ſeſe obtundi huiuſmodi ſalutationibus.

βάλλ' ἐς κόρακας, ὡς χαλεπὸν εἰσὶ οἱ φίλοι
οἱ φαινόμενοι παραχρῆμ' ὅταν πράττῃ τὶς εὖ.

Copulatur dexteras.) Dextrã ſymbolum eſſe amicitiæ ſatis docet Pythagoricũ illud: ne cuiuis dextram inieceris.

Lapides loqueris.) Contrarium eſt græcorum dicterio, ῥόδον μ' εἴρηκας, id eſt, gratiſſima loqueris mihi.

Feratur.) Simplex pro efferatur, φέρεται, ἀντὶ ἐκφέρεται.

Poſt mediam ætatem.) Pompei codices ſic habent:

Poſt mediam ætatem, qui ducit uxorem domum,
Si eam ſenex prægnantem fortuito fecerit,
Quid dubitas, quin ſiet paratũ nomẽ puero, poſthumus

Altera manu fert lapidem.) Eraſ. in Chiliad.

Aliquam Zamiam.) ζημίαν mulctam.

Polypos iſtos.) Eraſ. in Chiliadibus: Polypi.

Harpagatum eſt.) ἀπὸ τοῦ ἁρπάζειν.

Dum quidem ne perconteris.) Nonius ſic habet:

Dũ quidẽ me percontcris, ꝙ mihi & libeat proloqui.

Hoc magnum periculum eſt.) Eraſmus in Chiliadi. Ab aſinis ad boues tranſcendere.

Ab radicibus.) ἀπὸ τῶν ῥιζῶν, in Trinummo ſimili loquendi genere uſq; ab ſtirpe dixit. qui à primis initĳs repetunt à ſtirpibus imis exordiri dicuntur & ab radicibus.

Obſtinauit.) Obſtinate petĳt.

Di bene uertant.) Ominandi bene in nuptĳs formula καλῶς ἔσω.

Nam probrum atq; partitudo.) Probrum, id eſt, αἰσχύνη quod etiã ſignificat φθόραν. Liui. Matronæ probri accuſare.

Ne miſtum bibam.) Philippus Beroaldus muſtum legendum cenſet in commentarĳs in aſinum Apulei. Quamuis non diffiteatur ſcriptum in omnibus exemplarĳs miſtum, quod alĳ exponunt de uino aqua mixto, quod in nuptĳs non ſolet apponi, placet ut ſimpliciter intelligas, de mœrore & uoluptate.

Bellum & pudicum.) Cœlius lib. 10. cap. 9.

Pumex non æque aridus.) Eraſmus Chiliad.

Cenſen talentum magnum.) Budæus de aſſe & part.

Aquam hercle plorat.) Ob eam cauſam nunquàm lauit Patrocles Ariſtophanicus.

Vt ſibi liceret miluiũ uadarier.) Budęus in anno. in pan.

Coquus ille nundinalis eſt.) Citatur à Feſto nec explicatur. Nundinalis igitur coquus eſt, qui in nonum diem ſolet ire coquendum: hoc eſt, uulgaris & uilis, qui non niſi nundinis conducitur, cum plebs ex agris conuenit. Coquus autẽ, nec ęſtimatione, nec uſu in pretio erat apud ueteres.

Tu trium literarum homo.) De trium literarum ioco ui de Chiliad. Trium literarum. Simili ioco Græci perditum hominem διπλοῦν κάππα, id eſt, duplex cappa uocant, quaſi dicas κακὸς.

I ſane cum illo Phrygia.) Mirum quin alludat ad tonum Phrygium, aut quod è Phrygia ſolent mitti optima mancipia, iuxta illud uulgare: ἀνδράποδ' ἐκ φρυγίας, ἀπὸ δ' ἀρκαδίας ἐπικούρους.

Vbi ſi quid poſcamus ad rauim.) In Chiliadib. uſq; ad rauim. Nonius poſcas habet.

Vincite, uerberate, in puteum condite.) Puteus ſupplicium ſeruorum fuit. Cœlius ferè in hanc ſententiam ῥαψῳδίᾳ lib. 6. cap. 17.

Horum

Horum tibi nihil iſtic eueniet.) Iuxta Græcum epigram ma, quod Politianus ſic uertit.

Ite aliò fures nulla hic occaſio lucri:
Nam fida eſt rebus addita pauperies.

Cererin mi Strobile.) Eraſ. in Chiliad. Cereri ſacrifica re. Huc pertinet epigramma Iuliani de Baccho Cicerno.

Quoniam Vulcano ſtudes.) Impurate refer ad ignem, quanquàm continuo adheres igni, tamen impuratus es.

Ita illis impuris omnibus adij manum.) Legendum adij manum. Eraſmus addidi legit ut accipiatur metaphora ab irridentium geſtu tranſlata, addere manum pro eo quod eſt ludibrio habere.

Deinde egomet mecum cogitare inter uias.) Nonius legit: Deinde egomet mecum cogitare interdum, in uetuſtioribus interim legitur.

Feſto die ſi quid.) Eraſmus in Chiliadi, extat etiam in elegidijs Theognidis ſimilis ſententia.

Apollo quæſo ſubueni.) Apollo nomen habet à perdendis malitioſis, & præſertim furibus. Quare Varro Lauernę perpetuas inimicitias cum Apolline eſſe prodidit.

Ego hinc artoptam.) Plinius legit artopteſiam, niſi mendoſi ſint codices, cum in hoc ſenario artopteſia locum non habeat, ſed artopta. Addit etiam Plinius à plæriſque doctioribus dubitatum eſſe num hic ſit genuinus Plauti uerſus, an non lib. 8. cap. 11.

Quàm uolſus ludiuſt.) Vide Nonium in dictione ludius, annotationes Merulę Alexandrini in Galeotum. Cœlium Rhodogi. lib. 8. cap. 32. Chiliades Lydus oſtium clauſit. Heſychius λυδοὶ inquit, τὰς θεὰς εὑρεῖν λέγονται, ὅθεν καὶ ῥωμαῖοι λούδους φάσι.

Hæc ipſus magiſter me docuit.) Grammatici deeſſe hic aliquot uerſus uolunt.

Quia ad treſuiros deferam.) Budæus in annotat. poſteribus in pandectas.

Ita fuſtibus ſum mollior magis quàm ullus cinædus.) Eraſ. in Chiliad. Spongia mollior.

Ne doce, noui.) Frequens Plauto adagium, doctū doces.

Tu iam niſi reddi mihi uaſa iubes pipulo differam &c.) Te legendum eſt ex Nonio, ut referatur ad differas. Habent ſic omnia fere exempla.

Obtrunco gallū furem manifeſtariū.) Ἀλλωπηκὸν, actiue.

Exemi ex manu manubrium.) Chiliadibus. Eximere è manu manubrium.
Sint uiliores gallicis canterijs.) Cœlius lib. 5. cap. 4.
Salutigerulos pucrulos.) Dictum eſt ex antiqua Romana conſuetudine, in hunc uſum ſeruos ancillaſq; tantum coëmentium, ut ſalutarent heros heraſq; è lecto ſurgentes.

Ouidius:

Veniens ancillula fictum,
Suppliciter dominæ nomine dicat aue.

Stat fullo.) Magni tibi commentarij uice erit in his Nonius.
Violarij carinarij.) Non poſſum non ridere frigiditatem Pij, qui hic cærinarij aut calcantarij, legendum præſcribat, ſcribendum itaq; ex Nonio coriarij, in dictione uiolarij, quamuis non ſim neſcius, Nonium alibi citare Carinarij.
Aſtant phylaciſtæ.) φύλακες τῶν ἐσθήτων, ueſtiũ cuſtodes.
Textores limbolarij.) Legendum limborarij ex Nonio, & Lazaro Bayſio.
Crocotularij.) Legendum crocotarij. Nonius in dictione Richa. Lazarus Bayſius. Eraſ. feli crocoton. Chiliad.
Cedit miles æs petit.) Explicat hunc Plauti locũ Varro, in dictione tributum, in calce lib. 4. de lingua latina.
Quid tuto ſolus è ſenatu ſeuocas.) μεταφορικῶς à ſenatoribus non ſine uitio extra iudicium muſſantibus.
Magis curioſam nullam eſſe beſtiam.) Belluam legendum docet Nonius. Antiqui enim indifferenter hac uoce uſi ſunt.
Ita cura macer.) Macet legit Nonius.

Qui oſſa ac pellis totum ita cura macet.

Laterna punica.) Cœlius lib. 7. cap. 51.
Vt commutet Coloniam.) Transferat, μεταφορικῶς. Chiliad.
In fidei phanum ibi abſtrudam probè.) Olim moris fuit, ut in ædibus ſacris pecuniæ deponerentur. Vnde Aerarium Romanum erat in æde Saturni. Vide Budęanas annotationes in pand. Argentarij in foro, &c. quo loco adducit uerba Herodiani. Durat hæc conſuetudo in Batauijs & Inſulrhenanis noſtris, ut omnes arcas ſimul cum ipſa pecunia in ædibus ſacris ſepoſitas, diuis commendent. Loquitur autem Plautus de fidei tẽplo Athenis extructo, teſte Eraſmo in

mo in Chiliadibus: Attica fides.

Quaſi pueri qui nare diſcunt ſcyrpea.) Eraſmus in Chiliadibus. Sine cortice nare.

Quod iubeat citis quadrigis.) Chiliadibus.

Mulſi congialem plenam faciam tibi fideliam.) δράσω. Budæus in commentarijs græcę linguæ in dictione δρᾶν.

Coruos cantet mihi nunc à læua.) ἀκυρολογία pro crocitet Nonius.

Laruæ hunc atq; intemperiæ inſanięq; agitant ſenem.) Hoc eſt μανίαις ποινὸις ἐρολατεῖ ὁ κακοδαίμων.

Ea ſubleuit os mihi peniſſumè.) Chiliad. os ſublinire.

Syluani lucus extra murum eſt auius crebro ſalicto oppletus.) Nonius. Auius, creber, ſalictis oppletus.

Vterus dolet.) Ita Aſulanum habet exemplar & alia ferè. Nonius uterum legendum uult genere neutro.

Vbi de capite meo ſunt comitia.) Chiliadibus. De tuo capite &c.

Qui creta occultant ſeſe.) Notum eſt creta notari quæ frugis eſſe bonæ uolumus, aut refer ad diuites candidatos.

Pici diuitijs qui aureos montes colunt.) γρύπες ſunt, de quibus optime Philoſtratus de uita Apollonij.

Tibi ſcribam dicam.) γράφομαι δίκην, id eſt, accuſabo: nam γράφω quod eſt ſcribo, apud græcos etiam accuſo ſignat, id eſt διώκω κατηγορῶ. δίκαι autem ſunt κρίσεις & ἐγκλήματα.

Bona fide.) Budæus ſatis enarrat hunc locum in commentarijs græcæ linguæ, & in pandectis.

Neq; furem excipies.) κλέπτην ὑπεδέξω ἤ ὑπεδίκησας.

Non quod pueri clamitant in faba ſe repe.) Eraſmus in Chiliadibus.

In uado eſſe res uidebitur.) Eraſmus Chiliad. In uado.

Nunquàm hinc feres à me.) Hi 28. uerſus in alijs libris deſiderabantur.

Quid hic quondam peruicus addidit.) Nonius peruicus cuſtodem addidit &c.

Nunquàm hinc feres à me quod non habeam.) Quæ ſequuntur, uſq; ad capteiuos non ſunt Plautina, ſed à Codro Vrceo uiro doctiſſimo addita, ab illo uerſu Garrire &c. ad complendam comœdiam.

M. ACTII PLAVTI
CAPTEIVEI.

DRAMATIS PERSONAE.

PROLOGVS.
ERGASILVS, *paraſitus.*
AEGIO, *ſenex.*
LORARIVS.
PHILOCRATES
TYNDARVS
ARISTOPHONTES.
AEGIONIS *puer.*
PHILOPOLEMVS.
STALAGMVS, *ſeruos.*
capteiuei.
GREX.

ARGVMENTVM.

Captus eſt in pugna Aegionis filius,
Alium quadrimum fugiens ſeruos uendidit.
Pater CAPTEIVOS *commercatur alios,*
Tantum ſtudens ut natum recuperet:
Et inibi emit olim amiſſum filium.
Is ſuo cum domino, ueſte uorſa ac nomine,
Vt amittatur fecit: ipſus plectitur.
Et is reduxit captum, & fugitiuom ſimul:
Indicio quoius alium agnoſcit filium.

ALIVD ARGVMENTVM.

Filios habebat duos Aetolus ciuis Aegio, quorum natu maior Philopolemus, alter uocatur Pægnius. hunc quadrimum ſeruus Stalagmus ſurripit, cuidamq́; Theodoromedi Polyplusio fugiens uendidit in Aulide. Hic empto ſeruo filium donat Philocratem eiuſdem ætatis puerum: Pægnioq́; inditur nomen Tyndarus. Cumq́; Aulidenſes bellarentur cũ Aetolis, captus in pugna eſt alter Aegionis filius dictus Philopolemus, uenditusq́; cuidam Menarcho medico. Cumq́; ſors uices redderet, capti pariter ſunt ex Aulidenſibus iidem Philocrates & Tyndarus. Aegio ut ſuum redimeret captum filiũ mercatur ex præda hos captiuos duos, à quibus nomen ſibi aſciuit Comœdia, hoc pacto neſcius

emit quadrimum iam ſurreptum filium, isq; ſuo patri ignarus ſeruitutem ſeruit. Ambo hi conueniunt ut ſuum commutent habitum & nomina, dicaturq; Philocrates, Tyndarus, & Tyndarus Philocrates. Verum quærens Aegio redimere ex Aulide Philopolemum filium, illuc mittit Philocratem pro Tyndaro: neſcius eius quem cõfinxerunt doli. Cumq; per Ariſtophontem Auliden ſem captum reſciuiſſet cõfictam fallaciam: Tyndarumq; pro Philocrate relictum domi, illum compeditum ſeruat in lapidicinis, eumq; miſeris agit modis. interim ex Aulide redit Philopolemus cum Philocrate, ſecumq; ducunt Stalagmum fugitiuum ſeruum, cuius confeſſione noſcitur, Tyndarum captiuum eſſe Aegionis filium.

PROLOGVS.

HOS quos uidetis ſtare hic CAPTEIVOS *duos,*
Illi qui ſtant, hi ſtant hic ambo, non ſedent:
Vos, uos mihi teſtes eſtis, me uerũ loqui.
Senex qui hic habitat AEGIO, *eſt huius pater.*
Sed is quo pacto ſuo ſibi ſeruiat patri,
Id ego hic apud uos proloquar, ſi operam datis.
Seni huic fuerunt filij nati duo:
Alterum quadrimum puerum ſeruos ſurripuit,
Eumq; hinc profugiens uendidit in AVLIDE
Patri huiuſce, iam hoc tenetis? optimu'ſt.
Negat hercle ille ultimus: accedito:
Si non ubi ſedeas, locus eſt, eſt ubi ambules,
Quandò hiſtrionem cogis mendicarier:
Ego me tua cauſſa (ne erres) non rupturus ſum.
Vos, qui poteſtis ope ueſtra cenſerier,
Accipite reliquom: alieno uti nihil moror.
Fugiteiuos ille, ut dixeram antè, huius patri
Domo quem profugiens dominum abſtulerat, uendidit.
Hic poſtquàm hunc emit, dedit eum huic gnato ſuo
Peculiarem: quia quaſi una ætas erat.

Hic do-

Hic domi nunc ſeruit ſuo patri, nec ſcit pater.
ENIMVERO DI NOS, QVASI PILAS, homines habent.
Rationem habetis. quo modo unum amiſerit.
Poſtquam belligerant Aetoli cum Aulidis.
Vt fit in bello, capitur alter filius.
Medicus MAENARCHVS emit ibidem in Aulide,
Cœpit capteiuos commercari hic alios,
Siquem reperire poſſet, cum quo mutet ſuum.
Illum capteiuom hunc ſuum eſſe neſcit, qui domi'st.
Et quoniam heri inde audiuit de ſummo loco,
Summoq; genere captum eſſe equidem alium:
Nihil pretio parſit, filio dum parceret,
Reconciliare ut facilius poſſet domum.
Emit hoſce de præda ambos de quæſtoribus.
Hice autem inter ſeſe confinxerunt dolum,
Quo pacto hic ſeruos ſuum herum hunc amittat domum:
Itaque inter ſeſe commutant ueſtem, & nomina:
Illic uocatur PHILOCRATES, hic TYNDARVS:
Huius illic, hic illius hodie fert imaginem.
Et hic hodie expediet hanc docte fallaciam:
Et ſuum herum faciet libertatis compotem:
Eodemq; pacto fratrem ſeruabit ſuum,
Reducemq; faciet liberum in patriam ad patrem,
IMPRVDENS itidem, & ſæpe iam in multis locis
Plus inſciens quis fecit, quàm prudens boni.
Sed inſcientes ſua ſibi fallacia
Ita compararunt, & confinxerunt dolum:
Itaque hi commenti de ſua ſententia,
Vt in ſeruitute hic ad ſuum maneat patrem.
Ita nunc ignorans ſuo ſibi ſeruit patri.
Homunculi quanti ſunt, quom recogito?
Hæc res agetur nobis, uobis fabula.
Sed etiam eſt, paucis uos quod monitos uoluerim:
Profecto expediet fabulæ huic op[illegible]am dare:

Non

Non pertractatè facta'ſt, neque item ut cæteræ.
Neque ſpurcidici inſunt uerſus immemorabiles:
Hic neque periurus leno'ſt, nec meretrix mala,
Neque miles glorioſus. ne uereamini,
Quia bellum Aetolis dixi cum Aulidis:
Foris illic extra ſcenam fient prælia,
Nam hoc planè iniquom'ſt comico choragio,
Conari de ſubito nos agere tragœdiam.
Proin' ſi quis pugnam expetat, lites contrahat,
Valentiorem nactus aduerſarium
Si erit, ego faciam, ut pugnam inſpectet non bonam,
Adeò ut ſpectare poſtea omneis oderit.
Abeo. ualete iudices iuſtiſſumi,
Domi, belliq; duellatores optumi.

ACTVS PRIMVS.

ERGASILVS, *paraſitus.*

IVuentus nomen indidit ſcorto mihi,
Quòd inuocatus ſoleo eſſe in conuiuio.
Scio abſurde dictum hoc deriſores dicere:
At ego dico, rectè. nam ſcortum in conuiuio,
Sibi amator talos quom iacit, inuocat.
Eſt ne inuocatum, an non? planiſſumè.
Verùm herclè, uerùm nos paraſiti planius,
Quos nunquam quiſquam neque uocat, neque inuocat.
QVASI MVRES ſemper edimus alienum cibum.
Vbi res prolatæ ſunt, quom rus homines eunt,
Simul prolatæ res ſunt noſtris dentibus.
Quaſi quom caletur, cocleæ in occulto latent:
Suo ſibi ſucco uiuont, ros ſi non cadit:
Item paraſiti rebus prolatis latent,
In occulto miſeri uictitant ſucco ſuo.
Dum ruri rurant homines, quos liguriant,
rolatis rebus paraſiti uenatici
Pumus: quando rure redierunt, moloſſici,
S

Odioſiciq́;,& multum incommodiſtici.
Et hic quidem hercle,niſi qui colaphos perpeti
Poteſt,paraſitus,frangiq́; aulas in caput,
Vel extra portam ire trigeminam ad ſacculum licet.
Quod mihi ne eueniat,nonnullum periculu'ſt.
Nam poſtquàm meus rex eſt potitus hoſtium,
Ita nunc belligerant Aetoli cum Aulide,
Nam AETOLIA hæc eſt. illic eſt captus in AVLIDE
PHILOPOLEMVS huius AEGIONIS filius
Senis,qui hic habitat, quæ ædes lamentariæ
Mihi ſunt: quas quotieſcunque conſpicio,fleo.
Nunc hic occœpit quæſtum hunc filij gratiâ,
Inhoneſtum,& maxume alienum ingenio ſuo:
Homines capteiuos commercatur,ſi queat
Aliquem inuenire,ſuum quicum mutet filium.
Nunc ad eum pergam. ſed aperitur hoſtium,
Vnde ſaturitate ſæpe ego exij ebrius.

AEGIO,ſenex. LORARIVS, ERGASILVS, paraſitus.

AE. ADuorte animum,ſcis tu iſtos capteiuos duos,
Heri quos emi de præda de quæſtoribus,
His indito catenas ſingularias:
Iſtas maiores,quibus ſunt uincti,démito:
Sinito ambulare,ſi foris,ſi intus uolent:
Sed uti aſſeruentur magna diligentia.
LIBER CAPTEIVOS auis ferè conſimilis eſt:
Semel fugiendi ſi data'ſt occaſio,
Satis eſt,nunquam poſt illa poſſis prendere.
L. OMNES PROFECTO LIBERI LVBENTIVS
Sumus,quàm ſeruimus. AE. non uidêre ita tu quidem.
L. Si non eſt quod dem,méne uis dem ipſe in pedes?
AE. Si dederis,erit extemplo mihi,quod dem tibi.
L. Auis me fere conſimilem faciam,ut prædixti.
AE. Ita ut dicis,ſi faxis,te in caueam dabo.
Sed ſatis uerborum eſt: cura quæ iuſſi,atq; abi.

Quod

E. Quod quidem ego nimis quàm cupio ut impetret.
Nam ni illum recipit, nihil eſt quò me recipiam.
NVLLA EST SPES IVVENTVTIS, ſeſe omneis amant.
Ille demum antiquis eſt adoleſcens moribus,
Quoi nunquam uoltum tranquillauit gratus,
Condignè pater eſt eius moratus moribus.
AE. Ego ibo ad fratrem, ad alios capteiuos meos:
Viſam ne noctu hac quippiam turbauerint:
Inde me continuò recipiam rurſum domum.
E. Aegre'ſt mihi, hunc facere quæſtum carcerarium
Propter ſui gnati miſeriam, miſerum ſenem.
Sed ſi ullo pacto ille huc conciliari poteſt,
Vel carnuficinam hunc facere poſſum perpeti.
AE. Quis hic loquitur? E. ego, qui tuo mœrore maceror,
Maceſco, conſeneſco, & tabeſco miſer:
Oſſa, atque pellis ſum, miſera macritudine:
Neque unquam quicquam me iuuat, quod edo domi:
Foris aliquantillum etiam quod guſto, id beat.
AE. Ergaſile ſalue. E. di te bene ament Aegio.
AE. Ne fle. E. egòne illum non fleam? egòne non defleam
Talem adoleſcentem? AE. ſemper ſenſi filio
Meo te eſſe amicum, & illum intellexi tibi.
E. TVM DENIQVE OMNES noſtra intelligimus bona,
Quom quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.
Ego, poſtquam gnatus tuus potitus eſt hoſtium,
Expertus quanti fuerit, nunc deſidero.
AE. Alienus quom eius incommodum tam ægrè feras,
Quid me patrem par facere'ſt, quoi ille'ſt unicus?
E. Alienus ego? alienus ille? ah Aegio
Nunquam iſtuc dixis, neque animum induxis tuum:
Tibi ille unicu'ſt, mihi etiam amico magis unicu'ſt.
AE. Laudo, malum quom amici, tuum ducis malum.
Nunc habe bonum animum. E. heu. AE. huic illud dolet,
Quia nunc remiſſus eſt edendi exercitus.

Nullúmne

E. Nullúmne interea nactus, qui poſſet tibi
Remiſſum quem dixti, reparare exercitum?
AE. Quid credis? fugitant omnes hanc prouinciam,
Poſteaquàm captus eſt Philopolemus tuus.
E. Non pol mirandu'ſt fugitare hanc prouinciam,
Multis & multigeneribus opus eſt tibi
Militibus. primodum opu'ſt Piſtorienſibus:
Eorum ſunt aliquot genera Piſtorienſium.
Opus Paniceis, opus Placentinis quoque,
Opus Turdetanis, opu'ſt Ficedulenſibus.
Iam maritumi omnes milites opus ſunt tibi.
AE. VT SAEPE ſumma ingenia in occulto latent?
Hic qualis imperator? nunc priuatus eſt.
Habe modò bonum animum. nam illum confido domum
In his diebus me reconciliaſſere.
Nam eccum hic capteiuom adoleſcentem alium,
Prognatum genere ſummo, & ſummis diuitijs,
Hoc illum me mutare confido fore.
E. Ita di deæq; faxint. AE. ſed num quò foras
Vocatus ad cœnam? E. nuſquam pol quod ſciam.
Sed quiddum id quæris? AE. quia mihi'ſt natalis dies,
Propterea te uocari ad cœnam uolo.
E. Facete dictum. AE. ſed ſi pauxillum potes
Contentus eſſe. E. næ perpauxillum modo.
Nam iſtoc me aſsiduo uictu delecto domi.
AE. Ageſis roga, emptum niſi quis meliorem afferet,
Quæ tibi atque amicis placeat conditio magis.
Quaſi fundum uendam, meis me addicam legibus.
E. Proh fundum uendis? AE. tu quidem haud fundum mihi:
Sed ſi uenturus, tempori. E. hem mihi iam ocium eſt.
AE. I modo, uenare léporem, nunc itym tenes.
Nam meus ſcrupuloſam uictus commeat uiam,
E. Nunquam iſtoc uinces me Aegio, ne poſtules,
Cum calceatis dentibus ueniam tamen.

Aſper

AE. Aſper meus uictus ſane'ſt. E. ſemeiſne eſitas?
A. Terreſtris cœna'ſt. E. ſus terreſtris beſtia'ſt.
A. Multis oleribus. E. curato ægrotos domi.
A. Nunquid uis? uenias tempori. E. memorem mones.
A. Ibo intrò, atque intus ſubducam ratiunculam,
Quantillum argenti mihi apud trapezitam ſiet:
Ad fratrem, quò ire dixeram, mox iero.

ACTVS SECVNDVS.

LORARIVS PHILOCRATES, TYNDARVS, capteiuei.

L. DI immortales id uoluerunt, uos hanc ærumnam exequi.
Decet id pati animo æquo. ſi id facietis, leuior labos (erit.
Domi fuiſtis, credo, liberi:
Nunc ſeruitus ſi euenit, ei uos morigerari mos bonu'ſt,
Eamq; herili imperio, ingenijs uoſtris leuem reddere.
INDIGNA DIGNA habẽda ſunt, herus quæ facit. C. oh oh oh oh.
L. Eiulatione haud opus eſt, oculis multa miſera euditis.
IN RE MALA, animo ſi bono utare, adiuuat.
C. At nos pudet, quia cum catenis ſumus. L. at pigeat poſtea
Noſtrum herum, ſi uos eximat uinculis,
Aut ſolutos ſinat, quos argento emerit.
Quid à nobis metuis? ſcimus
Noſtrum officium quod eſt, ſi ſolutos ſinat.
L. At fugam fingitis: ſentio quam rem agitis.
C. Nos fugiamus? quò fugiamus? L. in patriam.
C. Apage, haud nos deceat fugitiuos imitari.
L. Immò ædepol ſi erit occaſio, haud dehortor.
C. Vnum exorare uos ſinite nos.
L. Id quidnam eſt? C. ut ſine hiſce arbitris
Atque uobis, nobis detis loquendi locum.
L. Fiat. abſcedite hinc: nos concedamus huc.
Sed breuem orationem incipeſſe. P. hem iſtuc certum erat,
Concede huc. L. abite ab iſtis. P. obnoxij
Vobis ſumus ob hanc rem, quom quæ uolumus
Copia'ſt, atque ea facitis nos compotes.

P. Secede huc nunc iam, ſi uidetur, procul:
Ne arbitri dicta noſtra arbitrari queant,
Neue permanet palàm hæc noſtra fallacia.
NAM DOLI NON doli ſunt, ni aſtu colas:
Sed malum maxumum, ſi id palàm prouenit.
Nam ſi herus mihi es tu, atque ego me tuum
Eſſe ſeruom aſsimulo, tamen uiſo opus,
Cauto eſt opus, ut ſobriè, ſineq; arbitris accuratè hoc agatur, do
Et diligenter: tanta incœpta res, (ctè
Haud ſomniculosè hoc agendu'ſt. T. ero ut me uoles.
P. Spero. nam nunc uides pro tuo charo capite
Charum offerre meum caput uilitati. T. ſcio.
P. Sat ſcire tam memento, quando id, quod uoles habebis.
NAM FERE MAXVMA pars morem hunc homines habent: quod ſibi uolunt,
Dum id impetrant, boni ſunt: ſed id ubi iam penes ſeſe habent,
Ex bonis peſſumi, & fraudolentiſſumi
Sunt. nunc ut mihi te uolo eſſe, autumo:
Quód tibi ſuadeam, ſuadeam meo patri.
Pol ego ſi te audeam, meum patrem
Nominem: nam ſecundum patrem tu es pater proxumus.
T. Audio. P. & propterea ſæpius te, ut memineris, moneo.
Non ego herus tibi, ſed ſeruos ſum. nunc obſecro te hoc unum:
Quoniam nobis di immortales animum oſtenderunt ſuum,
Vt qui herum me tibi fuiſſe, atque eſſe nunc conſeruom uelint:
Quod antehac pro iure imperitabam meo, te oro nunc per precem,
Per fortunam incertam, & per mei te erga bonitatem patris,
Perq; conſeruitium commune, quod hoſtica euenit manu,
Ne me ſecus honore honeſtes, quàm ego te quom ſeruibas mihi:
Atque qui fueris, & qui nunc ſis, meminiſſe ut memineris.
T. Scio quidem me te eſſe nunc, & te eſſe me. P. hem iſtuc ſi potes
Memoriter meminiſſe, ineſt ſpes nobis in hac aſtutia.

AEGIO, PHILOCRATES, TYNDARVS.

AE. IAm ego reuortar intrò, ſi ex his quæ uolo, exquiſiuero.
Vbi ſunt iſti, quos ante ædeis iuſſi huc produci foras?
P. Pol tibi ne quæſtioni eſſemus cautum intellego,
Ita uinclis, cuſtodijsq; circummuniti ſumus.
AE. QVI CAVET ne decipiatur, uix cauet, quem etiam cauet:
Etiam quom cauiſſe ratus eſt, ſæpe is cautor captus eſt.
An uero non iuſta cauſſa'ſt, ut uos ſeruem ſedulò,
Quos tam grandi ſim mercatus præſenti pecunia?
P. Neque pol tibi nos, quia ſeruas, æquom ſtultitiæ uortere:
Neque te nobis, ſi abeamus hinc, ſi fuat occaſio.
AE. Vt uos hic, itidem illic apud uos meus ſeruatur filius.
P. Captus eſt? AE. ita. P. non igitur nos ſoli ignaui ſumus.
AE. Secede huc. nam ſunt, quæ ex te ſolo ſcitari uolo,
Quarum rerum te falſiloquom mihi eſſe nolo. P. non ero,
Quòd ſciam. ſi quid neſciui, id neſcium tradam tibi.
T. Nunc ſenex eſt in tonſtrina, nunc iam cultros attinet.
Næ is quidem inuoluere inijcere uoluit, ueſtem ut ne inquinet.
Sed utrum ſtrictimne attonſurum dicam eſſe, an per pectinem
Neſcio. uerum ſi frugi'ſt. uſq; admutilabit probè.
AE. Quid tu, ſeruoſne eſſe an liber maueli's? memora mihi.
P. PROXVMVM quod ſit bono, quodq́; à malo longiſſume,
Id uolo: quanquam non multum fuit moleſta ſeruitus,
Nec mihi ſecus erat, quàm ſi eſſem familiaris filius.
AE. Euge pol Thalem talento non emam Mileſium:
Nam ad ſapientiam huius, nimius nugator fuit.
Vt facete orationem ad ſeruitutem contulit.
Quo de genere natu'ſt illic Philocrates? P. Polypluſio.
Quod genus illic unu'ſt pollens, atque honoratiſſumum.
AE. Quid, ipſus hic quo honore eſt illic? P. ſummo atq; ab ſummis uiris.
AE. Tum igitur ei, quom in alijs tanta gratia'ſt, ut prædicas,
Quid diuitiæ? ſuntne optumæ? P. unde excoquat ſeuum ſenex.
AE. Quid pater? uiuitne? P. uiuom quom inde abijmus, liquimus.
Nunc uiuat nécne, id Horcum ſcire oportet ſcilicet.
AE. Salua res eſt: philoſophatur quoque iam, non mendax modo'ſt.

Quod erat ei nomen? P. Theſaurochryſonichryſides.
AE. Videlicet & propter diuitias inditum id nomen quaſi eſt.
P. Imò ædepol propter auaritiam ipſius, atq; audaciam.
Nam illi Theodoromedes fuit germano nomine.
AE. Quid tu ais? tenáxne pater eſt eius? P. imò ædepol pertinax.
Quin etiam, ut magis noſcas, Genio ubi ſuo quando ſacruficat,
Ad rem diuinam quibus eſt opus, Samijs uaſis utitur,
Ne ipſe Genius ſurripiat. proìnde alijs ut credat, uide.
AE. Sequere hâc me igitur, eadem ego ex hoc, quæ uolo, exquiſiuerō.
Philocrates hic fecit hominem frugi, ut facere oportuit.
Nam ego ex hoc quo genere natus ſis, ſcio, hic faſſu'ſt mihi.
Hæc tu eadem ſi confiteri uis, ex tua re feceris:
Quæ tamen ſcito ſcire me ex hoc. T. fecit officium hic ſuum,
Quom tibi eſt confeſſus uerum, quem uolui ſedulò meam
Nobilitatem occultare, & genus, & diuitias meas
Aegio. nunc quandò patriam, & libertatem perdidi,
Non ego iſtunc me potius, quàm te metuere æquom cenſeo.
Vis hoſtilis cum iſtoc fecit meas opes æquabiles.
Memini quom dicto haud audebat, facto nunc lædat licet.
Sed uidén? FORTVNA HVMANA fingit, artatq;, ut lubet.
Me qui liber fueram, ſeruom fecit, è ſummo infimum.
Qui imperare inſueram, nunc alterius imperio obſequor.
Equidem, ſi périnde, ut ipſe fui imperator familiæ,
Habeã dominũ, haud uerear, ne iniuſte, aut grauiter mihi impe (ret.
Aegio, hoc te monitũ, niſi forte ipſe non uis, uolueram.
AE. Loquere audacter. T. tam ego fui antè liber, quàm gnatus tuus.
Tam mihi, quàm illi, libertatem hoſtilis eripuit manus.
Tam ille apud nos ſeruit, quàm ego nunc hic apud te ſeruio.
Eſt profecto deus, qui quæ nos gerimus, auditq;, & uidet:
Is, uti tu me hic habueris, perinde illum illic curauerit.
Bene merenti bene profuerit, male merenti par erit.
Quàm tu filium tuum, tam pater me meus deſyderat.
AE. Memini ego iſtoc: ſed faterin' eadem, quæ hic faſſus eſt mihi?
T. Ego patri meo eſſe fateor ſummas diuitias domi,

Meq;

Meq; ſummo genere gnatum. ſed te obteſtor Aegio,
Ne tuum animum auariorem faxint diuitiæ meæ:
Ne patri, tametſi unicus ſum, decere uideatur magis
Me ſaturum ſeruire apud te ſumptu & ueſtitu tuo,
Quàm illic, ubi minime honeſtu'ſt mendicantem uiuere.

AE. Ego uirtute Deûm, & maiorum noſtrûm diues ſum ſatis.
NON EGO omnino lucrum omne eſſe utile homini exiſtumo.
Scio ego, multos iam lucrum luculentos homines reddidit.
EST ETIAM VBI profecto damnũ præſtet facere, quàm lucrum.
Odi ego aurum, multa multis ſæpe ſuaſit perperam.
Nunc animum huc aduorte, ut ea quæ ſentio, pariter ſcias.
Filius meus illic apud uos ſeruit captus in Aulide:
Eum ſi reddes, mihi præterea unum nummum ne duis:
Et te, & hunc amittam: hinc alio pacto abire non potes.

T. Optumum, atq; æquiſſumũ oras, optumusq́; hominum es homo:
Sed is priuatam illic ſeruitutem ſeruit, an publicam?

AE. Priuatam medici Mænarchi. T. pol hic quidem huius eſt cliens.
Tam hoc quidem tibi in procliui, quàm imber eſt, quando pluit.

AE. Fac is homo ut redimatur. T. faciam: ſed te id oro Aegio.

AE. Quiduis, dum ab re ne quid ores, faciam. T. auſculta, tum ſcies.
Ego me amitti, donicum ille huc redierit, non poſtulo:
Verũ quæſo te, ut æſtumatũ hũc mihi des, quẽ mittã ad patrem,
Vt is homo redimatur illic. AE. imò alium potius miſero
Hinc, ubi erunt induciæ, illuc, tuum qui conueniat patrem:
Qui tua, quæ tu iuſſeris mandata, ita, ut uelis, perferat.

T. At nihil eſt, ignotum ad illum mittere, operam luſeris.
Hunc mitte: hic omne tranſactum reddet, ſi illuc uenerit.
Nec quenquam fideliorem, neque quoi plus credat, potes
Mittere ad eum, nec qui magis ſit ſeruos ex ſententia,
Neq; adeò quoi tuum concredat filium hodie audacius.
Ne uereare meo periculo, huius ego experiar fidem,
Fretus ingenio eius, quòd me eſſe ſcit erga ſe beneuolum.

AE. Mittam equidem iſtum æſtumatum tua fide, ſi uis. T. uolo:
Quàm citiſſime poteſt, tam hoc cedere ad factum uolo:

AE. *Num quæ cauſſa'ſt, quin ſi ille huc non redeat, uiginti minas*
Mihi des pro illo? T. optume imò. AS. ſoluite iſtum nunc iam,
Atq; utrunque. T. di tibi omnes omnia optata ferant,
Quom me tanto honore honeſtas, quomq; ex uinclis eximis.
Hoc quidem haud moleſtu'ſt iam, quod collus collaria caret,
Quod bonis benefit beneficium, gratia ea grauida'ſt bonis.
Nunc tu illum, ſi illò es miſſurus, dice: demonſtra, præcipe
Quæ ad patrem uis nuntiari. uin' uocem huc ad te? T. uoca.

AEGIO, PHILOCRATES, TYNDARVS.

AE. *QVæ res bene uortat mihi, meoq; filio,*
Vobisq;, uolt te nouos herus operam dare
Tuo ueteri domino, quod uelit, fideliter.
Nam ego te æſtumatum huic dedi uiginti mnis.
Hic autem te ait mittere hinc uelle ad patrem,
Meum ut illic redimat filium: mutatio
Inter me, atque illum, ut noſtris fiat filijs.
P. *Vtroque uorſum rectu'ſt ingenium meum*
Ad te, atque ad illum: pro rota me uti licet:
Vel ego huc, uel illuc uortar, quò imperabitis.
* prodis. AE. *Tute tibi ea tuopte ingenio * prodes plurimum,*
Quom ſeruitutem ita fers ut ferri decet.
Sequere. en tibi hominem. T. gratiam habeo tibi,
Quom copiam iſtam mihi, & poteſtatem facis,
Vt ego ad parentes hunc remittam nuntium:
Qui me quid rerum hic agitem, & quid fieri uelim,
Patri meo ordine omnem rem illuc perferat.
Nunc ita conuenit inter me, atque hunc Tyndare,
Vt te æſtumatum in Aulidem mittam ad patrem:
* reditas *Ac ſi non * rebitas huc, ut uiginti minas*
Dem pro te. P. rectè conueniſſe cenſeo.
Nam pater expectat aut me, aut aliquem nuntium,
Qui hinc ad ſe ueniat. T. ergo animum aduortas uolo,
Quæ nuntiare hinc te uolo in patriam ad patrem.
P. *Vt adhuc locorum feci, faciam ſedulo,*

Vt po-

Vt potiſſumum in rem quod rectè conducat tuam,
Id petam, id perſequarq́; corde & animo, atque uiribus.

T. Facis ita, ut te facere oportet. nunc animum aduortas uolo.
Omnium primùm ſalutem dicito matri, & patri,
Et cognatis, & quem alium beneuolentem uideris:
Me hic ualere: & ſeruitutem ſeruire huic homini optumo,
Qui me honeſtiorem honore ſemper fecit, & facit.

P. Iſtuc non præcipias, facile memoria memini. T. tamen
(Nam quidē, niſi quòd cuſtodem habeo, liberū me eſſe arbitror)
Dicito patri, quo pacto mihi cum hoc conuenerit
De huius filio. P. quæ memini mora mera'ſt monerier.

T. Vt eum redimat, & remittat huc noſtrum amborum uicem.

P. Meminero. AE. at quàmprimū: iſtuc in rem utrique'ſt maxume.

P. Non tuum tu magis uidere, quàm ille ſuum gnatum cupit.

AE. Meus mihi, SVVS QVOIQVE EST carus. P. num quid aliud uis patri
Nuntiari? T. me hic ualere, & tu te audacter dicito
Tyndare inter nos fuiſſe ingenio haud diſcordabili,
Neque te commeruiſſe culpam, neque me aduorſatum tibi,
Beneq́; hero geſſiſſe morem. in tantis ærumnis tamen
Neque me unquam deſeruiſſe te, neque factis, neque fide
Rebus in dubijs egenis. hoc pater quando ſciet
Tyndare, ut fueris animatus erga ſuum gnatum, atque ſe,
Nunquam erit tam auarus, quin te gratis emittat manu:
Et mea opera, ſi hinc redibo, faciam, ut faciat facilius.
Nam tua opera, & comitate, & uirtute, & ſapientia
Feciſti, ut redire liceat ad parentes denuò,
Quom apud hunc confeſſus es, & genus, & diuitias meas,
Quo pacto emiſti è uinculis tuum herum tua ſapientia.

P. Feci ego iſta, ut commemoras: & te meminiſſe id gratu'ſt mihi,
Merito tibi ea euenerunt à me. nam nunc Philocrates,
Si ego item memorem, quæ me erga multa feciſti bene,
Nox diem adimat. nam ſeruos meus ſi eſſes, nihilo ſecius
Mihi obſequioſus ſemper fuiſti. AE. di uoſtram fidem,

Hominum ingenium liberale? ut lachrumas excutiunt mihi?
Videas corde amare inter ſe: quantis laudibus ſuum herum
Seruos collaudauit? P. pol iſtic me haud centeſimam
Partem ludat, quàm ipſe meritus eſt ut laudetur laudibus.

AE. Ergo quom optume feciſti, nunc adeſt occaſio
Benefacta cumulare, ut erga hunc rem geras fideliter.

P. Magis non factum poſſum uelle, q̃ opera experiar perſequi.
Id ut ſcias, Iouem ſupremum teſtem do Aegio,
Me infidelem non futurum Philocrati. AE. probus es homo.

P. Nec me ſecus unquam ei facturum quicquam, quàm memet mihi.

T. Iſthæc dicta te experiri & opera, & factis uolo.
Et quod minus dixi, quàm uolui, de te animum aduortas uolo.
Atque horum uerborum cauſſa mihi caue iratus fuas.
Sed te quæſo cogitato, hinc te mea fide mitti domum
Aeſtumatum, & meam eſſe fidem hic pro te poſitam pignori:
Ne tu me ignores, quom extemplo meo è conſpectu abſceſſeris,
Quom me ſeruom in ſeruitute pro te hic reliqueris:
Tuq; te pro libero eſſe ducas, pignus deſeras:
Ac neque des operam pro me, ut huius reducem facias filium.
Scito te minis uiginti æſtumatum mittier.
Fac fidelè ſis fideli, caue fidem fluxam geras.
Nam pater ſcio faciet, quæ illum facere oportet omnia.
Serua tibi perpetuum amicum me, atque hunc inuentum inueni.
Hæc per dexteram tuam, te dextera retinens manu,
Obſecro, infidelior mihi ne fuas, quàm ego ſum tibi.
Tu hoc age: mihi herus nunc es, tu patronus, tu pater:
Tibi commendo ſpes, opesq; meas. P. mandauiſti ſatis.
Satin' habes, mandata quæ ſunt, facta ſi refero? T. ſatis.

P. Et tua huc ornatus reueniam ex ſententia?
Numquid aliud? T. ut quàmprimum poſſis, redeas. P. res monet.

AE. Sequere me, uiaticum ut dem à trapezita tibi:
Eadẽ opera à prætore ſumas ſyngraphum. T. quẽ ſyngraphum?

AE. Quem hic ferat ſecũ ad legionẽ, hinc ire huic ut liceat domum.
Tu intrò abi. T. bene ambulato. P. bene uale. AE. ædepol rẽ meã

Conſta-

Conſtabiliui, quom illos emi de præda à quæſtoribus:
Expediui ex ſeruitute filium, ſi dis placet.
At etiam dubitaui, hos homines emerem an non emerem, diu.
Seruate iſtum (ſultis) intus ſerui, ne quôquam pedem
Efferat ſine cuſtode. at ego mox apparebo domi,
Ad fratrem modo capteiuos alios inuiſo meos.
Eadem percontabor, ecquis hunc adoleſcentem nouerit.
Sequere, te ut amittam: ei rei primum præuorti uolo.

ACTVS TERTIVS.

ERGASILVS, *paraſitus.*

Miſer homo'ſt, QVI IPSE SIBI, *quod edat, quærit, & id ægre inuenit.*
Sed ille eſt miſerior, qui ægrè quærit, & nihil inuenit.
Ille miſerrumus eſt, qui quom eſſe cupit, quod edat, non habet.
Nam hercle huic diei, ſi liceat, oculos effodiam lubens:
Ita malignitate onerauit omnes mortales mihi.
Neque ieiunioſiorem, neque magis effractum fame
Vidi, nec quoi minus procedat quicquid facere occœperit:
Ita uenter, gutturq́; reſident eſuriales ferias.
Licet paraſiticæ arti maxumam malam crucem:
Ita iuuentus iam ridiculos, inopesq́; ab ſeſe ſegregat.
Nihil morantur iam Lacones imi ſubſelli uiros
Plagipatidas, quibus ſunt uerba ſine penu & pecunia:
Eos requirunt, qui libenter, quom ederint: reddant domi.
Ipſi obſonant, quæ paraſitorum antè erat prouincia.
Ipſi de foro, tam aperto capite ad lenones eunt,
Quàm in tribu aperto capite ſontes condemnant reos:
Neq; ridiculos iam terunciј faciunt: ſeſe OMNES AMANT.
Nam ut dudum hinc abij, acceſsi ad adoleſcentes in foro,
Saluete, inquam. quò imus unà, inquam, ad prandium? atque illi tacent.
Quis agit hoc? aut quis profitetur inquam? quaſi muti ſilent.
Neque me rident. ubi cœnamus inquam? atque illa abnuunt.
Dico unum ridiculum dictum de dictis melioribus,

Qui ſolebam menſtruales epulas antè adipiſcier.
Nemo ridet: ſciui extemplò rem de compacto geri:
Nè canem quidem irritatam uoluit quiſquam imitarier,
Saltem ſi non arriderent, dentes ut reſtringerent.
Abeo ab illis, poſtquam uideo me ſic ludificarier,
Pergo ad alios, uenio ad alios, deinde ad alios: una res,
Omnes compacto rem agunt, quaſi in uelabro olearij.
Nunc redeo inde, quom me ibi uideo ludificarier.
Item alij paraſiti fruſtra obambulabant in foro.
Nunc Barbarica lege certu'st ius meum omne perſequi,
Qui concilium inire, quo nos uictu, & uita prohibeant.
His diem dicam: irrogabo mulctam: ut mihi cœnas decem
Meo arbitratu dent, quom cara annona ſit, ſic egero.
Nunc ibo ad portum hinc: illic mihi una eſt ſpes cœnatica:
Si ea decollabit, redibo huc ad ſenem ad cœnam aſperam.

AEGIO.

QVid eſt ſuauius, quàm bene rem gerere bono publico,
Sicut ego feci heri, quom emi hoſce homines: ubi quiſque uident,
Eunt obuiam, gratulanturq́; eam rem, ita me miſerum
Reſtitando, retinendoq́; laſſum reddiderunt: uix iam miſer
Ex gratulando eminebam. tandem abij ad prætorem, ibi
Vix requieui. rogo ſyngraphum: datur mihi illico:
Do Tyndaro: ille abijt demum. inde illico præuortor domum.
Poſtquàm id actu'st, eo protinus ad fratrem, mei ubi ſunt alij
Capteiuei. rogo Philocratem ex Aulide ecquis omnium
Nouerit. hic exclamat, cum ſibi eſſe ſodalem: dico eum
Eſſe apud me. hic extemplo orat, obſecratq́; cum ſibi
Vt liceat uidere. iuſſi illico hunc exolui. nunc ſequere me,
Vt quod me orauiſti impetres, cum hominem ut conuenias.

TYNDARVS.

NVnc illud eſt, quom me fuiſſe, q̃ eſſe nemo mauelim.
Nũc ſpes, opes, auxiliaq́; à me ſegregant, ſpernũtq́; me.
Hic ille'ſt dies, quũ nulla uitæ ſalus ſperabilis eſt mecũ,

Neq;

Neq; exilium exitio'ſt, neq; adeò ſpes, quæ mihi hunc aſpellat:
Nec mendacijs ſubdolis mihi uſquam mantellum eſt meis:
Nec ſycophantijs, nec fucis ullum mantellum obuia'ſt:
Neq; precatio perfidijs meis, nec malefactis fuga'ſt.
Nec confidentiæ uſquam hoſpitiu'ſt, nec diuorticulum dolis.
Operta quæ fuêre, aperta ſunt: patent præſtigiæ.
Omnis res palàm eſt: neque ullum pol de hac re negotium eſt.
Quin male occidam, oppetamq; peſtem, heri uicem mei.
Perdidit me Ariſtophōtes hic, qui uenit modò intrò: is me nouit:
Is ſodalis Philocrati, & cognatus eſt. neque iam ſeruare Salus,
Si uolt, me poteſt: nec copia'ſt, niſi ſi aliquam corde machinor
Aſtutiam: quam, malū? quid machiner? quid comminiſcar miſer?
Maxumas nugas, ineptiaſq; haud dubiu'ſt me cœpiſſe: horreo.

AEGIO, TYNDARVS.
ARISTOPHONTES, COLAPHVS.

AE. Quò illū nūc hominē foras proripuiſſe ſe dicā ex ædibus?
T. Nunc enimuero occidi. eunt ad te hoſtes Tyndare, quid loquar?
Quid fabulabor? quid negabo? aut quid fatebor? mihi
Res omnis in incerto ſita'ſt. quid rebus confidam meis?
Vtinam te di prius perderent, quàm periſti è patria tua
Ariſtophontes, qui ex parata, imparatam rem omnem facis.
Occiſa eſt hæc res, niſi reperio atrocem mihi aliquam
Aſtutiam. AE. ſequere. hem tibi hominem: adi, atque alloquere.
T. Quis eſt homo me hominum miſerior? AR. quid iſtuc eſt,
Quòd meos te dicam ſic fugitare oculos Tyndare?
Proq; ignoto me aſpernari, quaſi me nunquam noueris?
Equidem tam ſum ſeruos quàm tu, etſi ego domi liber fui:
Tu uſque à puero ſeruitutem ſeruiuiſti in Aulide.
AE. Aedepol minime miror is ſi te fugitat, aut oculos tuos,
Aut ſi te odit, qui iſtum appelles Tyndarum pro Philocrate.
T. Aegio, hic homo rabioſus habitus eſt in Aulide:
Ne tu quod fabuletur, in aureis immittas tuas.
Nam iſtic haſtis inſectatus eſt domi matrem, & patrem:

Et il-

Et illic iſti qui inſputatur morbus interdum uenit. (uerbero
Proin' tu ab iſtoc procul recedas. AE. ultro iſtum à me. AR. ain'
Me rabioſum: atque inſectatum haſtis meum memoras patrem?
Et eum morbum mihi eſſe, ut qui me opus ſit inſputarier?

AE. Ne uerere, multos iſtic morbus homines macerat,
Quibus inſputare ſaluti fuit, atque ijs profuit.

AR. Quid tu autem etiam huic credis? AE. quid ego credam huic?
AR. inſanum eſſe me?

T. Viden' hunc quàm inimico uoltu intuetur? concedi optumu'st
Aegio: ſic (quod tibi dixi) gliſcit rabies, caue tibi.

AE. Credidi eſſe inſanum extemplo, ubi te appellauit Tyndarum.

T. Quia ſuum ipſe interdum ignorat nomen, neque ſcit qui ſiet.

AE. At te etiam ſuum ſodalem eſſe aiebat. T. audiui, di magni:
Et quidem Alcmæon, atq; Oreſtes, & Lycurgus poſtea
Vna opera mihi ſunt ſodales, qua iſte. AR. at etiam furcifer
Malè loqui mihi audes? non ego te noui? AE. pol phanom id
quidem eſt,
Non nouiſſe, qui iſtum appellas Tyndarum pro Philocrate.
Quem uides, eum ignoras? illum nominas, quem non uides?

AR. Imò iſte eum ſeſe ait, qui non eſt: & qui uerò eſt, negat.

T. Tu repertus enim Philocratem, qui ſuperes ueriuerbio.

AR. Pol ego ut rem uideo, tu inuentus uera uanitudine,
Qui conuincas. ſed quæſo hercle agedum aſpice ad me. T. hem.
AR. dic modo,
Te negas Tyndarum eſſe? T. nego inquam. AR. tu te Philocra-
tem eſſe ais? (mihi:

T. Ego inquam. AR. túne huic credis? AE. q̃ tibi plus quidem, aut
Nam ille quidẽ, quem tu memoras eſſe, hodie hinc abijt Aulidem
Ad patrẽ huius. AR. quem patrẽ, qui ſeruos eſt? T. & tu quidem
Seruos, & liber fuiſti: & ego me confido fore,
Si huius huc reconciliaſſo in libertatem filium.

AR. Quid ais furcifer? tum te gnatum eſſe huic memoras liberum?

T. Non equidem me liberum, ſed Philocratẽ eſſe aio. AR. quid eſt?
Vt ſceleſtus, Aegio, nunc is te ludos facit? nam is eſt

Seruos

Seruos ipſe, neque præter eum quiſquam ei ſeruos fuit.
T. Quia tute ipſe eges in patria, nec tibi qui uiuas domi'ſt,
Omneis inuenire ſimiles tibi uis. non mirum facis:
EST MISERORVM, ut maleuolentes ſint, atq; inuideant bonis.
AR. Vide ſis Aegio, ne quid tu huic temere inſiſtas credere:
Atq; ut perſpicio, profecto iam aliquid pugnæ edidit.
Filium tuum quòd redimere ſe ait, id neutiquam mihi placet.
T. Scio te id nolle fieri: efficiam tamen ego id, ſi di adiuuant:
Illum reſtituam huic: hic autem, in Aulidem me meo patri:
Propterea ad patrē hinc amiſi Tyndarum. AR. quin tute is es:
Neque præter te in Aulide ullus ſeruos iſtoc nomine'ſt.
T. Pergin' ſeruom me exprobrare eſſe, id quod ui hoſtili obtigit?
AR. Sed enim iam nequeo cōtineri. T. heus tu, quid agis, quin fugis?
Iam illic nos inſectabit lapidibus, niſi illunc iubes
Comprehendi. AR. crucior. T. ardent oculi, fune opus Aegio:
Viden tu illi maculari corpus totum maculis luridis?
Atra bilis agitat hominem. AR. at pol te, ſi hic ſapiat ſenex,
Atra pix agitet apud carnuficem, ac tuo capiti illuceat.
T. Iam deliramenta loquitur, laruæ ſtimulant uirum.
AE. Hercle, quid ſi hunc comprehendi iuſſerim? T. ſapias magis.
AR. Crucior, lapidem non habere me, ut illi maſtigiæ
Cerebrum excutiam, qui me inſanum uerbis concinnat ſuis.
T. Audin, lapidem quæritare? AR. ſolus te ſolum uolo
Aegio. AE. iſtinc loquere ſiquid uis, procul tamen audiam.
T. Nanque ædepol ſi adites propius, os denaſabit tibi
Mordicibus. AR. neque pol me inſanum Aegio eſſe creduis,
Neque fuiſſe unquam, neque eſſe morbum, quem iſtic autumat.
Verum ſiquid metuis à me, iube uinciri, uolo,
Dum iſtic itidem uinciatur. T. imò enimuero Aegio
Iſtic, qui uolt, uinciatur. AR. tace modo, ego Philocrates
Falſe faciam, ut uerus hodie reperiare Tyndarus. (abſis?
Longius quid mihi abnutas? T. tibi ego abnuto? quid agat, ſi
AE. Quid ais: quid ſi adeam hunc inſanum? T. nugas ludificabitur,
Garriet, quòd neque pes unquam, neque caput compareat:

Armenta

Armenta abſunt: Aiacem, hunc quom uides, ipſum uides.

AE. Nihil facio, tamen adibo. T. nunc ego omnino occidi:
Nunc ego INTER SACRVM, SAXVM QVE STO: nec quid faciam ſcio.

AE. Do tibi operam Ariſtophontes, ſi quid eſt, quod me uelis.

AR. Ex me audibis uera, quæ nunc falſa opinare, Aegio,
Sed hoc primum expurgare tibi uolo, me inſaniam
Neque tenere, neque mi eſſe ullum morbum, niſi quòd ſeruio.
At ita me rex deûm, atque hominum faxit patriæ compotem,
Vt iſtic Philocrates non magis eſt, quàm aut ego, aut tu. AE. chò
Quis illic igitur eſt? AR. quem dixi à principio tibi: (dic mihi,
Hoc ſi ſecus reperies, nullam cauſſam dico, quin mihi
Et parentum, & libertatis apud te deliquio ſiet.

AE. Quid tu ais? T. me tuum eſſe ſeruum, & te meũ herum. AE. haud
Fuiſtin' liber? T. fui. AR. Pol non fuit: nugas agit. (iſtuc rogo.

T. Quî tu ſcis? an fortaſſe fuiſti meæ matri obſtetrix,
Qui id tam audacter dicere audes? AR. puerum te uidi puer.

T. At ego te uideo maior maiorem. hem rurſum tibi,
Rem meam non cures, ſi rectè facias: num ego curo tuam?

AE. Fuitne huic pater Theſaurochryſonicochryſides?

AR. Non fuit: neq; ego iſtuc nomen unquam audiui ante hunc diem:
Philocrati Theodoromedes fuit pater. T. pereo probè.
Quin tu quieſcis dierectum cor meum, ac ſuſpende te:
Tu ſuſſultas, ego miſer uix aſto præ formidine.

AE. Satin' iſtuc mihi exquiſitu'ſt, fuiſſe hunc ſeruom in Aulide,
Neque eſſe hunc Philocratem? AR. tam ſatis, quàm nunquàm inuenies ſecus. (xume.
Sed ubi is nunc eſt? AE. ubi ego minime, atque ipſus ſe uolt ma-
Tum igitur ego ærumnatus, decartuatus ſum miſer
Sceleſti huius technis, qui me ut lubitu'ſt, ductauit dolis.
Sed uideſis. AR. quin exploratum dico, & prouiſum hoc tibi.

AE. Certon'? AR. quin nihil unq̃ inuenies magis hoc certo certius.
Philocrates iam in Aulide amicus fuit mihi à puero puer.

AE. Sed qua facie'ſt tuus ſodalis Philocrates? AR. dicam tibi:

Maci-

Macilento ore, naſo acuto, corpore albo, & oculis nigris,
Subruffus aliquantum, criſpus, cincinnatus. AE. conuenit.

T. Vt quidem hercle in medium ego hodie peſſume proceſſerim,
Vae illis uirgis miſeris, quae hodie in tergo morientur meo.

AE. Verba mihi data eſſe uideo. T. quid ceſſatis compedes
Currere ad me, meaq; amplecti crura, ut uos cuſtodiam?

AE. Satin' me illi hodie ſceleſti capti ceperunt dolo?
Illic ſeruom ſe aſsimulabat, hic ſeſe autem liberum.
NVCLEVM AMISI, reliquit pignori putamina,
Ita mihi ſtolido ſuis os ſubliuêre offucijs.
Hic quidem me nunquam irridebit. Colaphe, Cordalio, Corox,
Ite iſtinc, efferte lora. C. num lignatum mittimur?

AEGIO, TYNDARVS, ARISTOPH.

AE. INijcite huic actûtum manicas maſtigiae.

T. Quid hoc eſt negocij? quid ego deliqui? AE. rogas?
Sator, ſartorq; ſcelerum, & meſſor maxume?

T. Non occatorem dicere debebas prius?
Nam ſemper occant prius, quàm ſarriunt ruſtici.

AE. At ut confidenter mihi contrà aſtitit?

T. DECET INNOCENTEM ſeruom, atque innoxium,
Confidentem eſſe, ſuum apud herum potiſſumum.

AE. Adſtringite iſti (ſultis) uehementer manus.

T. Tuus ſum: tu has quidem uel praecidi iube.
Sed quid negocij, quamobrem ſuccenſes mihi?

AE. Quia me, meamq; rem, quod in te uno fuit,
Tuis ſceleſtis falſidicis fallacijs
Delacerauiſti, deartuauiſtiq; opes:
Confeciſti omnes res, atque rationes meas,
Ita mihi emiſiſti Philocratem fallacijs.
Illum eſſe ſeruom credidi, te liberum:
Ita uoſmet aiebatis, itaq; nomina
Inter uos permutaſtis. T. fateor omnia
Facta eſſe ita, ut dicis, & fallacijs
Abiſſe eum abs te mea opera, atque aſtutia.

An ob-

An obſecro hercle te, id nunc ſuccenſes mihi?
AE. At cum cruciatu maximo id factu'ſt tuo.
T. Dum ne ob malefacta peream, parui æſtumo
Si ego hic peribo, aſt ille, ut dixit, non redit:
At erit mihi hoc factum mortuo memorabile.
Meum herum captum ex ſeruitute, atque hoſtibus
Reducem feciſſe liberum in patriam ad patrem:
Meumq; potius me caput periculo
* *Præoptauiſſe, quàm is periret, ponere.
Ali. AE. Facito ergo ut Acherunti ducas gloriam.
Prō- T. QVI PER VIRTVTEM peritat, non pol interit.
pta- AE. Quando ego te exemplis peſſumis excruciauero,
uiſſe. Atque ob ſutelas tuas te morti miſero,
Vel te interijſſe, uel perijſſe prædicent:
Dum pereas, nihil interdico, dicant uiuere.
T. Pol ſi iſtuc faxis, haud ſine pœna feceris,
Si ille huc redibit, & ſicut confido affore.
AR. Proh di immortales, nunc ego teneo, nunc ſcio
Quid ſit hoc negoci. meus ſodalis Philocrates
In libertate'ſt ad patrem in patria: bene'ſt,
Nec quiſquam'ſt mihi, nunc æquè melius quoi uelim.
Sed hoc mihi ægre'ſt, me huic dediſſe operam malam,
Qui nunc propter me, meáq; uerba uinctus eſt.
AE. Vetuin' te quicquam mihi hodie falſum proloqui?
T. Vetuiſti. AE. cur es auſus mentiri mihi?
T. Quia uera obeſſent illi, quoi operam dabam:
Nunc falſa proſunt. AE. at tibi oberunt. T. optumu'ſt:
At herum ſeruaui, quem ſeruatum gaudeo,
Quoi me cuſtodem addiderat herus maior meus.
Sed malène id factum arbitrare? AE. peſſume.
T. At ego aio, rectè, qui abs te ſcorſum ſentio.
Nam cogitato, ſi quis hoc gnato tuo
Tuus ſeruos faxit, qualem haberes gratiam?
Emitterèsne nécne eum ſeruom manu?

Eſſetne apud te is ſeruos acceptiſſimus? reſponde.

AE. Opinor. T. cur ergo iratus mihi es?

AE. Quia illi fuiſti, quàm mihi fidelior.

T. Quid tu una nocte poſtulauiſti, & die,
Recens captum hominem & nuperum, & nouitium
Te perdocere, ut melius conſulerem tibi,
Quàm illi, quicum unà puero ætatem exegeram?

AE. Ergo ab eo petito iſtam gratiam. ducite
Vbi ponderoſas craſſas capiat compedes:
Inde ibis porrò in latomias lapidarias:
Ibi quom alij octonos lapides effodiunt,
Niſi quotidianum ſexquiopus confeceris,
Sexcento plago nomen indetur tibi.

AR. Per deos atque homines te ego obteſtor, Aegio,
Ne tu iſtunc hominem perduis. AE. curabitur.
Nam noctu neruo uinctus cuſtodibitur,
Interdiu ſub terra lapides eximet.
Diu ego hunc cruciabo, non uno abſoluam die.

AR. Certúmne eſt tibi iſtuc? AE. non moriri certius.
Abducite iſtum actûtum ad Hippolytum fabrum:
Iubete huic craſſas compedes impingier:
Inde extra portam ad meum libertum Cordalium
In lapicidinas facite deductus ſiet:
Atque hunc ita me uelle, dicite curarier,
Ne quid deterius huic ſit, quàm quoi peſſume'ſt.

T. Cur ego te inuito me eſſe ſaluom poſtulem?
Periclum uitæ meæ tuo ſtat periculo
Poſt mortem: in morte nihil eſt, quod metuam mali.
Et ſi peruiuo uſque ad ſummam ætatem, tamen
Breue ſpatium eſt perferundi, quæ minitas mihi.
Vale, atque ſalue, & ſi aliter ut dicam, meres.
Tu Ariſtophontes, de me ut meruiſti, ita uale:
Nam mihi propter te hoc obtigit. AE. abducite.

T. At unum hoc te quæſo, ſi huc rebitet Philocrates,

M Vt mi-

Vt mihi eius facias conueniendi copiam.
AE. Periſtis, niſi hunc iam è conſpectu abducitis.
T. Vis hæc quidem hercle'ſt, & trahi, & trudi ſimul.
AE. Illic eſt abductus rectà in phylacam, ut dignus eſt:
Ego illis capteiueis alÿs documentum dabo,
Ne tale quiſquam facinus incipere audeat.
Quod abſq; hoc eſſet, & qui mihi fecit palàm,
Vſque offerre natum ſuis me ductarent dolis.
Nunc certu'ſt nulli poſt hæc quicquam credere:
Satis ſum ſemel deceptus. ſperaui miſer
Ex ſeruitute me exemiſſe filium:
Ea ſpes elapſa'ſt, perdidi unum filium
Puerum quadrimum, quem mihi ſeruos ſurripuit:
Neque cum ſeruom unquam repperi, nec filium.
Maior potitus hoſtium eſt. quod hoc eſt ſcelus?
Quaſi in orbitatem liberos produxerim.
Sequere hâc, reducam te ubi fuiſti: neminis
Miſereri certu'ſt, quia mei miſeret nemo.
Exauſpicaui ex uinculis: nunc intellego
Redauſpicandum hunc eſſe in catenas denuò.

ACTVS QVARTVS.

ERGASILVS, paraſitus. AEGIO, ſenex.

ER. IVpiter ſupreme ſeruas me, measq; auges opes,
Maxumas optumitates, atque opiparas offers mihi,
Lucrum, ludum, iocum, feſtiuitatem, ferias,
Pompam, penum, potationes, ſaturitatem, gaudium.
Nec quoiquam homini ſupplicare nunc certu'ſt mihi:
Nam prodeſſe amico poſſum, uel inimicum perdere:
Ita hic me amœnitate amœna amœnus onerat dies.
Sine ſacris hæreditatem ſum adeptus offertiſſumam.
Nunc curſum ad ſenem capeſſam hunc Aegionem, quoi boni
Tantum offero, quantum ipſe à dis optat, atque etiam amplius.
Nunc certa res eſt, eodem pacto, ut comici ſerui ſolent.
Conijciam in collum pallium, primò ex me hanc rem ut audiat:
Speroq;

Speroq; me ob hunc nuntium, æternum adepturum cibum.

AE. Quanto in pectore hanc rem meo magis uoluto, tanto mihi
Aegritudo auctior eſt in animo, ad illum modum ſublitum os eſſe
Hodie mihi: neque id perſpicere quiui. quod quom ſcibitur,
Per urbem irridebor: quom extemplo ad forum aduenero,
Omnes de me loquentur. Hic ille eſt ſenex, ductus
Quoi uerba data ſunt. ſed Ergaſilus éſtne hic quẽ uideo procul?
Collecto quidem eſt pallio: quidnam acturus eſt?

ER. Moue abs te moram, atque Ergaſile age hanc rem:
Eminor, interminorq́;, ne quis mihi obſtiterit obuiam,
Niſi quis ſat diu uixiſſe ſeſe homo arbitrabitur:
Nam qui obſtiterit, ore ſiſtet. AE. hic homo pugillatum incipit.

ER. Facere certu'ſt, proinde omnes itinera inſiſtam ſua,
Neu quis in hac platea negocij conferat quicquam ſui.
Nam meus eſt baliſta pugnus, cubitus catapulta'ſt mihi,
Humerus aries: tum genu ut quenq; icero, ad terram dabo:
Dentilegos omneis mortales faciam, quenq; offendero.

AE. Quæ illæc eminatio'ſt? nam nequeo mirari ſatis.

ER. Faciam huius diei, lociq́;, meiq́; ſemper meminerit,
Qui mihi in curſu obſtiterit, faxo uitæ is obſtiterit ſuæ.

AE. Quid hic homo tantum incipeſſit facere cum tantis minis?

ER. Prius edico, ne quis propter culpam capiatur ſuam.
Continete uos domi, prohibete à uobis uim meam.

AE. Mirum ædepol ni hic in uentrem ſumpſit confidentiam.
Væ miſero illi, quoius cibo iſte factu'ſt impenſior.

ER. Tum piſtores, ſcrofipaſci qui alunt furfure ſues,
Quarum odore præterire nemo piſtrinum poteſt,
Eorum ſi quoiuſquam ſcrofam in publico conſpexero,
Ex ipſis dominis, meis pugnis exculcabo furfures.

AE. Baſilicas edictiones, atque imperioſas habet.
Satur homo'ſt, habet profecto in uentre confidentiam.

ER. Tum piſcatores, qui præbent populo piſces fœtidos,
Qui aduehuntur quadrupedanti, crucianti canterio,
Quorum odos ſubaſilicanos omnes abigit in forum:

Eis ora ego uerberabo ſurpiculis piſcarijs:
Vt ſciant alieno naſo quam exhibeant moleſtiam.
Tum lanij autem, qui concinnant liberis orbas oues,
Qui locant cædundos agnos, & duplam agninam danunt,
Qui petroni nomen indunt uerueci ſectario:
Eum ego ſi in uia petronem publica conſpexero,
Et petronem, & dominum reddam mortaleis miſerrumos.
AE. Euge, edictiones ædilicias hic quidem habet.
Mirumq; adeò'ſt, niſi hunc fecerunt ſibi Aetoli agoranomum.
ER. Non ego nunc paraſitus ſum, ſed regum rex regalior,
Tantus uentri commeatus meo adeſt in portu cibus.
Sed ego ceſſo hunc Aegionem onerare lætitia ſenem?
Quoi hominum adæque nemo uiuit fortunatior.
AE. Quæ illæc eſt lætitia, quam illic lætus largitur mihi?
ER. Heus heus ubi eſtis? ecquis hoc mihi aperit oſtium?
AE. Hic homo ad cœnam recipit ſe ad me. ER. aperite haſce ambas
Prius, q̃ pultando aſſulatim foribus exitium affero. (foreis
AE. Perlubet hũc hominẽ colloqui. Ergaſile. ER. Ergaſilũ qui uocat?
AE. Reſpice. ER. fortuna quod tibi nec facit, nec faciet, hoc
Me iubes. ſed tu quis es? AE. reſpice ad me, Aegio ſum. ER. ô
mihi quantum'ſt
Hominum optumorum, optume mihi in tempore aduenis.
AE. Neſcio quem ad portum ubi cœnes nactus, eo faſtidis? ER. cedò
Manum. AE. manum? ER. manum inquam cedò tuam actutum.
ER. Gaude. AE. quid ego gaudeam? ER. quia ego im- (AE. tene.
pero, age, gaude modo.
AE. Pol mœrores mihi anteuortunt gaudijs. ER. noli iraſcier:
Iam ego ex corpore exigam omnes maculas mœrorum tibi.
Gaude audacter. AE. gaudeo, & ſi nihil ſciam, quod gaudeam.
ER. Bene facis, iube. AE. quid iubeam? ER. ignem ingentem fieri.
AE. Ignẽ ingentẽ? ER. ita dico, magnus ut ſit. AE. quid uolt uri? tu'an'
Cauſa me ædeis incenſurum cenſes? ER. noli iraſcier:
Iuben', an non iubes aſtitui aulas? patinas elui?
Laridum atque epulas foueri foculis feruentibus?

Alium

Alium piſces præſtinatum abire? AE. hic uigilans ſomniat.
ER. Alium porcinam, atque agninam, & pullos gallinaceos.
AE. Scis bene eſſe, ſi ſit unde. ER. pernam atque ophthalmiam,
Horæum, ſcombrum, & trygona, & cetum, & mollem caſeum.
AE. Nominandi iſtorum tibi erit magis, quàm edundi copia
Hic apud me Ergaſile. ER. mean' me cauſſa hoc cenſes dicere?
AE. Nec nihil hodie, nec multo plus tu hic edes, ne fruſtra ſis.
Proin' tu tui quotidiani uicti uentrem ad me afferas.
ER. Quin ita faciam, ut recupias facere ſumptum, & ſi ego uetem.
AE. Egóne? ER. tune? AE. tum tu mi igitur herus es? ER. immò beneuolens.
Vin' te faciam fortunatum? AE. malim, quàm miſerum quidem.
ER. Cedò manum. AE. hem manum. ER. dij te omnes adiuuant. AE. (nihil ſentio.
ER. Non enim es in ſenticeto, eò nõ ſentis. ſed iube
Vaſa tibi pura apparari ad rem diuinam cito,
Atq; agnũ afferri proprium, pinguẽ. AE. cur? ER. ut ſacrufices.
AE. Quoi deorum? ER. mihi hercle. nam ego nunc tibi ſum ſummus (Iupiter,
Idem ego ſum ſalus, fortuna, lux, lætitia, gaudium:
Proin' tu deum hunc ſaturitate facias tranquillum tibi.
AE. Eſurire mihi uidêre. ER. mihi quidem eſurio, non tibi.
AE. Tuo arbitratu, facile patior. ER. conſuetus puer.
AE. Iupiter te, diíq; perdant. ER. te hercle, mihi æquom'ſt gratias
Agere ob nuntium: tantum ego nunc porto à portu tibi boni.
AE. Nunc tu mihi places. abi ſtultus, ſerus poſt tempus uenis.
ER. Igitur ſi olim aduenissem, magis tu tum iſtuc diceres.
Nunc hanc lætitiam accipe à me, quam fero: nam filium tuum
Modo in portu Philopolemum uiuom, ſaluom, & ſoſpitem
Vidi in publica celoce: ibidemq; illum adoleſcemulum
Alium unà, & tuum Stalagnum ſeruom, qui aufugit domo,
Qui tibi ſurripuit quadrimum puerum filiolum tuum.
AE. Abi in rem malam, ludis me? ER. ita me amabit ſancta ſaturitas
Aegio, itáq; ſuo me ſemper condecoret cognomine. Per
Vt uidi. AE. meũ gnatum? ER. tuum gnatum, & genium meum, Apol
Et capteiuom illum Aulidenſem. AE. μὰ τὸν ἀπόλλω, & ſeruolũ, linẽ.

Per pupillam: ſiue, per Coran urbē Per phruſinonem. Per Alatriō.

Stalagnum, meum qui gnatum ſurripuit? ER. νὴ τὴν κοράν.
AE. Iamdiu? ER. νὴ τὴν πραινέστην. AE. uenit? ER. νὴ τὴν σιγνίαν.
Per Præneſten. Per Signiam.
AE. Certón'? ER. νὴ τὴν φρουσίνωνα. AE. uideſis. ER. νὴ τὸν ἀλάτριον.
AE. Quid tu barbaricas urbes iuras? ER. quia enim item aſperæ
Sunt, ut tuum uictum autumabas eſſe. AE. uæ ætati tuæ.
ER. Quippe quando mihi nihil credis, quod ego dico ſedulo,
Sed Stalagnus quoius erat tunc nationis, quom hinc abijt?
AE. Quoius & nunc. ER. ſi quoius nunc eſt, Boius Boiam terit.
Liberorum quærundorum cauſſa ei credo uxor data'ſt.
AE. Dic, bonán' fide tu mihi iſthæc uerba dixiſti? ER. bona.
AE. Di immortales, iterum gnatus uideor, ſi uera autumas.
ER. An tu dubium habebis etiam, ſancte quom ego iurem tibi?
Poſtremo Aegio, ſi parua iuriiurando'ſt fides,
Viſe ad portum. AE. facere certu'ſt, tu intus cura quod opu'ſt.
Sume, poſce, prome quid uis, te facio cellarium.
Nam hercle niſi manticulatus probè hæc fuiſti, petito,
Aeternum tibi dapinato uictum, ſi uera autumas.
ER. Vnde id? AE. à me, meoq; gnato. ER. ſpondén' tu iſtud? AE. ſpondeo.
ER. At ego tuum tibi aduenisſe filium reſpondeo.
AE. Cura quàm optume potes. ER. bene ambula, & redambula.

ERGASILVS.

Illic hinc abit, mihi rem ſummam credidit cibariam.
Di immortales, ut ego collos detruncabo tergoribus?
Quanta pernis peſtis ueniet? quanta labes larido?
Quanta ſumini abſumedo? quanta collo calamitas?
Quanta lanijs laßitudo? quanta porcinarijs?
Nam ſi alia memorem, quæ ad uentris uictū conducunt, mora'ſt.
Nunc ibo ad præfecturam, & ius dicam larido:
Et quæ pendent indemnatæ, pernis auxilium feram.

AEGIONIS puer.

Dieſpiter te diq; Ergaſile perdant, & uentrem tuum,
Paraſitosq; omneis, & qui poſthac cœnā paraſitis dabit.
Clades

Clades, calamitas, quæ intẽperies modo in noſtrã aduenit domũ?
Quaſi lupus eſuriens, metui ne in me faceret impetum.
Nimiſq; hercle ego illũ male formidabã, ita frendebat dentibus.
Aduenient modo deturbauit totum cum carne carnarium.
Arripuit gladium, prætruncauit tribus tergoribus glandia.
Aulas, caliceſq; omneis confregit, niſi quæ modiales erant.
Coquum percontabatur, poſſent' ne ſeri aulæ referueſcere.
Cellas refregit omneis intus, recluſitq; armarium.
Aſſeruate iſtunc ſultis, ſerui. ego ibo ut conueniam ſenem,
Dicam ut ſibi penum aliud ornet, ſiquidem ſeſe uti uolet: (erit.
Nam in hoc, ut hic quidẽ adornat, aut iam nihil eſt, aut iã nihil

ACTVS QVINTVS.

AEGIO, PHILOPOLEMVS, PHILOCRATES.

AE. Ioui, diiſq; ago gratias merito magnas, quom te reducem
Tuo patri reddiderunt: quomq; ex miſerijs plurimis
Me exemerunt, quæ adhuc te carens (dum hic fui) ſuſtenta-
Quomq; hunc conſpicio in poteſtate noſtra: quomq; (bam:
hæc reperta'ſt fides
Firma nobis. PHILOP. ſatis iã dolui ex animo, & cura me ſatis,
Et lachrumis maceraui. hic ſatis iam audiui tuas
Aerumnas ad portum, quas tu memorauiſti mihi:
Hoc agamus. PHILOC. quid nunc, quoniam tecũ ſeruaui fidẽ,
Tibiq; hunc reducem in libertatem feci? AE. feciſti ut tibi
Philocrates nunquàm referre gratiam poßim ſatis,
Perinde ut tu promeritus de me & filio. PHILOP. immò potes
Pater, & poteris, & ego potero, & di poteſtatem dabunt,
Vt beneficium benemerenti noſtro, merito muneres,
Sicut tu huic potes pater mi facere merito maxume.
AE. Quid opus uerbis? lingua nulla'ſt, qua negem quicquid roges.
Philoc. Poſtulo abs te, ut mihi illum reddas ſeruom quem hic reliquerã
Pignus pro me, qui mihi melior, quàm ſibi ſemper fuit:
Pro benefactis eius uti pretium poßim reddere.
AE. Quod benefeciſti, refertur gratia. id quod poſtulas,
Et id, & aliud, quod me orabis, impetrabis, atque te

Nolim ſuccenſere, quòd ego iratus ei feci malè.

Philoc. Quid feciſti? AE. in lapicidinas compedîtum condidi,
Vbi reſciui mihi data eſſe uerba. PHILOC. uæ miſero mihi,
Propter meum caput labores homini eueniſſe optumo.

AE. At ob eam rem mihi libellam pro eo argenti ne duis:
Gratis à me, ut ſit liber, abducito. PHILOC. ædepol Aegio
Facis benigne. ſed quæſo hominem ut iubeas arceßi. AE. licet.
Vbi eſtis uos? ite actûtum, Tyndarum huc accerſite,
Vos ite intrò. interibi ego ex hac ſtatua uerueeca uolo
Erogitare, meo minore quid ſit factum filio.
Vos lauate interibi. PHILOP. ſequere hâc Philocrates me intrò. PHILOC. ſequor.

AEGIO, ſenex. STALAGNVS, fugitiuos.

AE. Age tu, illuc procede bone uir, lepidum mancupium meũ.

ST. Quid me oportet facere, ubi tu talis uir falsũ autumas?
Fui ego lepidus, uel bonus uir nunquã: neq; frugi bonæ,
Neq; ero unquam: neque ſpem ponas, me bonæ frugi fore.

AE. Propémodum ubi loci tuæ fortunæ ſint, facile intelligis.
Si eris uerax, rem tuam facies ex mala meliuſculam.
Rectè & uera loquere, ſed neque tu uerè, neq; rectè adhuc
Feciſti unq̃. ST. quid ego fatear? credin' pudeat quom autumes?

AE. At ego faciam ut pudeat: nam in ruborem te totum dabo.

ST. Eia, credo ego imperito plagas minitaris mihi.
Tandem iſta aufer: dic quid fers, ut feras hinc quod petis.

AE. Satis facundus: ſed fieri dictis compendium uolo.

ST. Vt uis fiat. AE. benè morigerus fuit puer: nunc non decet.
Hoc agamus. iam animaduorte: hæc mihi, quæ dicam, ediſſere:
Si eris uerax, tuas res feceris meliuſculas.

ST. Nugæ iſtæc: non me cenſes ſcire, quo dignus ſiem?

AE. At ea ſubterfugere potis es pauca, ſi non omnia.

ST. Pauca effugiam ſcio: nam multa euenient & merito meo,
Quia & fugi, & tibi ſurripui filium, & eum uendidi.

AE. Quoi homini? ST. Theodoromedi in Aulide Polypluſio,
Sex minis. AE. proh di immortales, is quidem huius eſt pater

Philo-

Philocratis. ST. quin melius noui, quàm te, & uidi ſæpius.

AE. Serua Iupiter ſupreme & me, & meum gnatum.
Philocrates per tuum Genium obſecro exi, te uolo.

PHILOCRATES, AEGIO, STALAGNVS.

PH. AEgio adſum, ſi quid me uis impera. AE. hic gnatũ meum
Tuo patri ait uendidiſſe ſex minis in Aulide.
PH. Quandiu id factũ'ſt? ST. hic annus incipit uiceſimus.
PH. Falſa memorat. ST. aut ego, aut tu. nam tibi quadrimulum
Tuus pater peculiarem paruolom puero dedit.
PH. Quod erat ei nomen? ſi uera dicis, memorandum mihi.
ST. Pægnium uocitatus eſt, poſt uos indidiſtis Tyndaro.
PH. Cur ego te non noui? ST. QVIA MOS OBLIVISCI HOMINIBVS:
Neque nouiſſe, quoius nihil ſit faciunda gratia.
PH. Dic mihi, isne iſtic fuit, quem uendidiſti meo patri,
Qui mihi peculiaris datus eſt, huius filius?
Viuitne is homo? ST. argentum accepi, nil curaui cæterum.
AE. Quid tu ais? PH. quin iſtuc ipſu'ſt Tyndarus tuus filius,
Vt quidem hic argumenta loquitur: nam is mecum à puero puer
Bene, pudiceq; educatus eſt uſq; ad adoleſcentiam.
AE. Et miſer, & fortunatus ſum, ſi uera dicitis.
Eo ſum miſer, quia male illi feci, ſi gnatus meu'ſt,
Heheu quom ego plus, minuſq; feci illi quàm æquom fuit.
Quòd male feci, crucior, modò ſi infectum fieri poſsiet.
Sed eccum incedit huc ornatus audax ſuis uiribus.

TYNDARVS, AEGIO, PHILOCRATES, STALAGNVS.

TY. VIdi ego multa ſæpe picta, quæ ſub Acherонte fierent
Cruciamẽta: uerum enimuero nullus adæque'ſt Acherõs,
Atque ubi ego fui in lapicidinis. illic ibi demu'ſt locus,
Vbi labore laſsitudo eſt omnis exigunda ex corpore.
Nam ubi illò adueni, quaſi patricijs pueris, aut monedulæ,
Aut anates, aut cothurnices dantur, quiſcum luſitent,
Itidem huc mihi aduenienti upupa, quæ me delectet, data'ſt.

Sed herus eccum ante oſtium,& herus alter eccum ex Aulide
Redit. AE.ſalue exoptate gnate mi. TY.hem quid gnate mi?
Atat ſcio cur te patrem aßimules eſſe,& me filium,
Qui mihi item ut parentes,lucis das tuendæ copiam.
PH. Salue Tyndare. TY.& tu, quoius cauſſa hanc ærumnam exigo.
PH. At nunc liber in diuitias faxo uenies:nam tibi
Pater hic eſt:hic ſeruos,qui te huic hinc quadrimum ſurpuit,
Vendidit patri meo te ſex minis,is te mihi
Paruolom peculiarem paruolo pucro dedit.
Illic indicium fecit:nam hunc ex Aulide huc reducimus.
TY. Quid,filium? PH.intus eccum fratrem germanum tuum.
TY. Quid tu ais? adduxtin' illum huius captiuom filium?
PH. Quin,inquam,intus hic eſt. TY.feciſti ædepol & recte,& bene.
PH. Nunc tibi pater hic eſt:hic fur tuus,qui paruom hinc te abſtulit.
TY. At ego nunc grandis grandem ob furtum ad carnuficem dabo.
PH. Meritus eſt. TY.ergo ædepol meritam mercedem dabo.
Sed dic oro,pater meus túne es? AE.ego ſum gnate mi.
TY. Nunc demum in memoriam redeo,quom mecum cogito.
Nunc ædepol demum in memoriam regredior,audiſſe me
Quaſi per nebulam,Aegionem meum patrem uocarier.
AE. Ego ſum. TY.compedibus quæſo,ut tibi ſit leuior filius,
Atq; hic grauior ſeruos. AE.certu'ſt principium id præuortier.
Eamus intrò, ut arceſſatur faber,qui iſtas compedes
Tibi adimam,huic dem. ST.quoi peculi nihil eſt,rectè feceris.

GREX.

SPectatores,ad pudicos mores facta hæc fabula'ſt:
Neque in hac ſubitæ cogitationes ſunt,ull'aue amatio
Nec pueri ſuppoſitio,nec argenti circunductio,
Neque ubi amans adoleſcens ſcortum liberet clàm ſuum patrem.
Huiuſmodi paucas poëtæ referunt comœdias,
Vbi boni meliores fiant.nunc uos,ſi uobis placet,
Et ſi placuimus,neque odio fuimus,ſignum hoc mittite,
Qui pudicitiæ eſſe præmium uoltis,plauſum date.

ANNO.

ANNOTATIONES
IN CAPTEIVOS.

HAEc comœdia nomen ſortita eſt ab facto quod clarum eſt ex argumento.

Ego me tua cauſa (ne erres) non rupturus ſum.) Ita ſcribendus hic uerſus, non renes. Ne erres, id eſt, ne fabulam intelligas, non me rupturus ſum, hoc eſt, non ita agam clamoribus, ut ob id rumpar quo tu fabulam intelligas. Solēt enim quandoq; homines nimio clamore rumpi.

Vos qui poteſtis ope ueſtra cenſerier.) Id eſt, in cenſus ſecundū diuitias referri. Loquitur de cenſibus ſiue claſſibus Athenienſium, de quibus ſatis Budęus li.5. de aſſe & part.

Enimuero dij nos quaſi pilas habent.) Ludit in humanis diuina potentia rebus, ut ille ait. Alluſum autem hic eſt ad pilam fortunæ cui illa innititur.

Summoq; genere equidem alium.) Ita exemplar habebat quo nos uſi ſumus, tu lege equitem: nihil auſi ſumus tenere caſtigare, omnibus ſiquidem ſuum iudicium ſuæq; rationes adſunt: cur autem ſic legam, in cauſa eſt ipſa uox, quę nunquam aliā perſonam ac primam apud claſſicos recipit, adde quod ſenſus etiā longe apertiſſimus hinc elicitur.

Quaſi mures ſemper edimus alienum cibum.) Vide Chiliades muris in morem.

Caletur.) Pro caleſcit.

Suo ſibi ſucco uiuunt ros.) Chiliades ſucco ſuo.

Ad ſacculum.) Hunc locum omnes interpretes conniuendo prætereunt non ſatis intelligentes quid de ſacculo commententur, ſi autem in re ſeria licet diuinare, Sacculum locum fuiſſe puto extra trigeminam portam, in quo pauperes ſtipem mendicantes ſedebant, nam trigeminam portam mēdicabula pauperum fuiſſe multis poſſem probare ex Cicerone, quæ breuitatis cauſa nunc omittenda ſunt.

Potius hoſtium.) Potitus legendum eſt.

Philopolemus.) Plauto efficta ἀπὸ τοῦ φιλῶ καὶ πόλεμος.

De præda de quęſtoribus.) Aerarijs ſcilicet quæſtoribus hoc officium inter cætera impoſitū erat ut captiuos ſub corona diuēderent, & pretium ad ęrariū publicum referrent.

Sum miſera macritudine.) Nonius miſer habet.

Primodū opus eſt piſtoriēſibus.) Ridiculè cōficta à Plau.

Placen-

Placentinis.) Iocus eſt in ambiguitate dictionis. Placentini etenim populi, luxu perditiſſimi ſemper habiti ſunt, & ad uocem placentam, Piſtorienſes quoque & Turdetani & Ficedulenſes populi ſunt.

Vt ſæpe ſumma ingenia in occulto latent.) Celebrata omnium paginis ſententia. Eraſ. in Chiliad.

Nunc priuatus eſt.) ἰδιώτης, non per participium, commentatorum more.

Quia mihi natalis dies.) In quo conuiuijs, potationibus luſibus indulgebant: unde paſtor apud Maronem amicam Phyllida cupit, quoniam ſuus eſſet natalis. & Perſius Macrino. Hunc Macrine diē numera meliore lapillo, Quę tibi labentes & cęt. funde morum Genio. Traditum eſt Romanos in natalibus diebus omnibus promiſcuè prandium propoſuiſſe.

Proh fundum uendis.) Oblatus mihi codex qui hoc loco tantum fumum habebat, in alijs fundum.

I modo uenare leporem, nunc itym tenes.) Habes quidē tu cœnam ſatis certam, ſi largiorem cupis aliunde tibi quęrenda. Eraſmus non itym legit id eſt phaſianum, ſed ictin quæ uiuerram ſignificat, perpetuum cuniculorum hoſtem. Vide Chiliades, ubi abundè hic locus explicatur.

Terreſtris cœna eſt multis holeribus.) Extat iocus quidam in Apellem parcum plus ſatis, qui olera amicis præponens hortum dicitur propoſuiſſe, epigramma eſt lib. 2. titulo Ammiani.

In re mala animo ſi bono utare adiuuat.) Refertur ab Eraſmo in Chiliadi.

Charo capite.) κεφαλὴ pro uita & Gręcis familiare eſt.

Pol tibi ne quæſtioni eſſemus.) De quæſtione, id eſt, iudicio, ſiue inquiſitione iudicis intelligas oportet, de qua re Budæus in annota. pandect. ſatis.

Nunc iam cultros attinet.) Locus hic mendoſus eſt. Plures habent attinet, Romæ typis impreſſus habebat ſolum atteret, alius codex habebat afferet.

Polypluſio.) Id eſt, multum diuiti, πολὺς multus, πλούσιος diues.

Quid diuitiæ ſunt ne optimę, Vnde excoquat ſeuum ſenex.) Hic uerſus mendo non caret cum iuxta carminis rationem opimæ legendum eſſet teſte Eraſmo. Vidimus nos ſanè librum Capteiuei quem Alexander Hegius, uir non pro-

leta-

letariæ eruditionis diſcipulis ſuis dictauerat, in quo ille hãc lectionem tutabatur opimæ ſcilicet non optumæ, prouerbium Eraſ. in Chiliadib. explicat.

Samijs uaſis utitur.) Fictilibus. Celebrata terra Samia ad figulina omniũ autorum teſtimonijs, nihil autem ad aurum & argentum quibus in ſacrificijs utebantur ditiores.

Genio ubi ſuo.) Huic uaſculo uino referto ſacrificabant. Vnde illud Perſianum. funde merum Genio, & Horatius: Floribus & uino Genium, ſcilicet piabant.

Memini cum dicto haud audiebat.) Ita in omnibus ferè legebatur exemplarijs, tu audebat caſtiga.

Eſt etiam ubi.) Quale lucrum eſt quod Heſiodus modis omnibus fugiendum monet, κακὰ κέρδε' ἶσα ἄτῃσι.

An publicam.) Ariſtoteles ſcriptum reliquit, Samios primum ſeruiuiſſe publicam ſeruitutem, poſtquàm capti fuerant in bello, inuſtoſq; nota qua internoſcerentur ab illis qui priuatam.

Tam hoc quidem in procliui eſt.) Eraſmus in Chiliadibus inter prouerbia hoc recenſet.

Aeſtimatum tua fide.) Id eſt, δοκοῦντα, id eſt probatum.

Collus collaria caret.) Antonius Nebricenſ. Collatiam legit, addit neſcio quam de obſidibus rationem: fuerit fortaſſe melius ſi legas Collus collaria caret de uinculi genere quod collum conſtringeret. Collus pro collum apud ueteres.

Gratia ea grauida.) Nonius gracila citat pro grauida, non ſine mendi ſuſpitione.

Iouem ſupremum teſtem do.) Miror hactenus non animaduerſum inſigne hoc erratum cum ipſe Nonius in dictione laudo, utatur exemplo Plautino.

Iouem ſupremum teſtem laudo Hegio.) Id eſt, nomino. Annotauit & hoc in pandectis G. Budæus.

Fac fidelis ſis fideli, caue fidem fluxam geras.) Conſtanter omnes habent fluxam, & Nonius in dictione fidelis fluxam citat, alibi furuam habet: elegantiſſima metaphora ſi ita malis legere.

Hoc per dexteram tuam.) Pacta quæ ueteres rata eſſe uolebant, per dexterarum complicationem ſtabiliebant, in ſignum fidei, quod etiam teſtatur Heſychius: δεξιαὶ, inquit, αἱ γινόμεναι κατὰ συνθήκας ἐπαφαὶ τῶν δεξιῶν χειρῶν, εἰς σύμβολον τοῦ βεβαίως ἔσεσθαι.

Et tua

Et tua huc ornatus reueniam ex ſententia.) Nonius. Et tua huc oratus reuenibo ex ſententia. Vbi animaduertendum eſt, non ornatus ſed oratus legi.

Eadem opera à prætore ſumas ſyngraphum.) paſpoert uulgo uocamus, à præfectis militum datum.

Expediui à ſeruitute.) Aliter expedicaui.

Ita uēter, gutturq́ reſidūt.) Aliter reſidēt, ἀεργῶς ſcilicet.

Paraſiticæ arti.) Plautus primus paraſiticam artem dicere auſus fuit, teſte Feſto Pompeio.

Nihil morantur iā Lacones imi ſubſelli uiros.) Explicatur ab Eraſmo in Chilia. Imi ſubſellij. Lacones autē uocat Paraſitos, quod nihili facerent uerbera, modo miſerā poſſent ſedare ingluuiem. Omnes norunt quàm dure Laconica iuuentus exerceretur, ex præſcripto Lycurgi.

Plagipatidas.) Legendum eſt Blagipatidas βλαγιπατίδεις. Plautus ita appellat Lacones quod βλαγῖδες, id eſt, οὐλὰς ἕλκη ὀνείδη κηλῖδες, hoc eſt cicatrices, conuicia, uerbera, hulcera flagellaq́ paterentur. Hęc enim omnia ſignificat βλαγὶς: immo grammatici tradunt hanc dictionem βλαγὶς ſignificare Lacones.

Quàm in tribu aperto capite.) De condemnandi modo quæ ad hunc locum facere poſſent Cœlius li. 5. ca. 30. ſatis.

Menſtruales cœnas.) Loquitur de cœnis quas ſufficiebant promiſcuè Roma. ſingulis calendis.

Omnes compacto rem agunt quaſi in uelabro olearij.) Hoc eſt omnes conſpirarunt, & rem gerunt ex compoſito. Vide Chiliad. ut in uelabro olearij.

Decollabit.) Fruſtrabitur: non decolorabit ut habent quidam.

Nec mendacijs ſubdolis mihi uſquam mantellum eſt.) Chiliades explicant manticulari, & Feſtus Pompeius in eadem dictione. Mantellum autem poſitum eſt pro pallio latebraq́ quo dolus tegi poſſit.

Quàm malum.) Aliter malim.

Quid machiner.) Habent pro machiner plures fabricer.

Rabioſus.) Antiquiſſimus codex Nonij rabidoſus habet.

Qui inſputatur morbus.) Comitialem hunc eſſe medici docent.

Pol phanon.) δηλὸν, λαμπρὸν.

Armenta abſunt.) Argumenta quidam falſò ſuppoſuerant, ignorantes Aiacem impetum in porcos feciſſe.

Nunc

Nunc ego inter ſacrum ſaxum'q; ſto.) Eraſmus Chiliadibus ſatis explicat.

Deliquio ſiet.) Aliter deliquo.

Quin tu quieſcis.) Crinitus de diſciplina honeſta lib. 4. cap. 10.

Nucleũ amiſi reliquit pignori.) Eraſmus Chiliad. Cæterum Nonius non uno in loco pigneri declinatum habet.

Pes neq; caput.) Vide Chilia. caput, & ſine capite fabula.

Tu ſuſſultas.) Ad cor referendum, non Ariſtophontem contra commentatorum opinionem.

Morientur.) Mouebuntur legunt quidam ex Donato, ego Donatum ubi hæc adducit non legi, cum doctius & argutius ſit morientur, hoc eſt fruſtillatim diminuentur.

Os ſublinere.) Iam dixi extare in Chiliadi.

Promptauiſſe.) Aliter præoptauiſſe.

Qui per uirtutem peritat, pol non interit.) Nonius ſic habet: Qui per uirtutem perit, at pol &c.

Quando ego te exemplis.) Sic Terentius in Eunucho: Quæ futura exempla dicunt in eum indigna. In quem locum ita Donatus: Graues pœnæ quæ poſſunt cæteris documento eſſe, exempla dicuntur. Plura hac de re Gellius lib. 6. cap. 14.

Latomias lapidarias.) Quos ego adhuc inſpexi Plauti codices Lapidarias habent: libenter autem cum Nonio lapicidarias legerim, de latomijs uide Aſconium Pedianum, Cœlium lib. 9. cap. 34. Budæum in pandect.

Recte in phylacam.) φυλακὴ accentu in ultima tam carcerem, quàm cuſtodiam ſignificat, teſtis eſt Suidas, at acuto tono in penultima, ciuitas eſt Theſſaliæ.

Quia mei miſeret neminem.) Nonius hunc locum longe aliter adducit.

Sine ſacris hæreditatem.) Vide Chiliades ſine ſacris hæreditas.

Vt comici ſerui ſolent conijciã in collum pallium.) Expreſſit currentium habitum. Cęterum quod dicit ut comici ſerui ſolent, innuit quod Donatus etiam quodam loco teſtatur, ſeruos ſolere breuem amictum ferre, quo expeditiores eſſent ad munia obeunda.

Ductus.) Pro ductus doctus nonnulli habent, quod magis placet, ut ſit ſenſus doctus hic ſenex, id eſt, callidus, catus, nam id etiam doctus ſignificat.

Baſili-

Baſilicas edictiones.) Quicquid ſplendidum, magnificum, imperioſumq́ eſt, Græci βασιλικὸν uocant. quaſi dicas regale.

Crucianti canterio.) Romanus codex pro crucianti, titubanti habebat, quod ſi hanc admittimus tum Pyladis commentum planè frigidum erit.

Subaſilicanos.) Baſilicarum loca foro adiuncta quàm calidiſſimis partibus fuere, ut per hyemem porrò à tempeſtatibus ſe in eas negociatores conferre poſſent. Ab initio tamen fuiſſe conſtat locum, quo ſub tectum ad ius dicendum principes conuenirent. Hinc ſubaſilicanos dici puto, qui frequentes in baſilica uerſarent, plura in hanc ſententiam Cœlius lib. 15. cap. undecimo.

Eis ora ego uerberabo.) Mire uariant hic codices, Romanus quem omnes caſtigatiſſimum ſequuntur, habet ſurculis, uulgati ſyrpulis & ſurpiculis. Poſtremum tanquàm γνήσιον omnes agnoſcunt, hanc autem dictionem originem trahere à ſyrpus puto, ea ratione, qua Romani extraneas literas non admittebant, & y fere ſemper in u conuertebant, unde Amphitryonem Amphitruonem dixerunt, & alia innumera.

Qui petroni.) Petrones arietes uetuſtate duriores & inſuauiores, teſte Georgio Alexan. in Varro. re ruſt.

Aedilitias.) His enim erat commendata cura uenalium.

Hic uigilans ſomniat.) Vide Chiliades, Somnium.

Ophthalmiam.) Ophthalmia piſcis quem Latini oculatam uocãt, Græci etiam alio nomine μιλανδρον, ſic enim traduxit in Ariſtotele Gaza. nimirum ab oculi magnitudine.

Horæum.) Vide Hermo. in caſtigationibus Plinianis li. 32. cap. poſtremo quo loco ex Athenæo ſalſamenti genus eſſe oſtendit.

μὰ τὸν ἀπόλλω.) Id eſt non per Apollinem. formula iurandi apud Græcos. μὰ autem ſignificat ἀπόμοσιν, id eſt, abiurationem ad uerbum. νὴ aſſeuerationem cum iuramento. κορὰ πραινέςη, σιγνία Φρουσίνων ἀλάτριον ciuitatum nomina ſunt, de quibus omnibus Strabo.

Boius boiam terit.) Prouerbij ſpeciem uidetur habere, ut ſit dignum patellæ operculum, captiuus quia Boias pedum compedes fert, Boiam hoc eſt captiuam ſiue ſeruam terit. αἰσχρολογία autem ſubeſt uerbo terit.

Cellarium.) Indignè latinam linguam tractant qui negant

gant eſſe cellarium & cellariam latinas uoces, cum præter Plauti autoritatem inuictiſſimam, & uetuſtiores, quo tempore elegantiores muſæ colebantur, ſic locutos, ex græcorum commentariis oſtendere poſſum. Heſychius in dictione ταμίη oſtendit Romanos κιλλαρίαν, quam Græci ταμίαν appellaſſe, promam condam uidelicet.

Poſſent ne ſeri aulę referueſcere.) Vitiatum hunc locum ſenſimus, non erat unde reſtitueremus, cum omnes ſimul ſeri aulæ haberent, Pii autem & Pyladis mendacia nullus facilè hic admittet, cum nihil ad Bacchum faciãt. Conſtat ſane neque ſerus neq; ſerum pro uaſorum generibus eſſe latinas dictiones, ſed ſeria uas eſt fictile è limo oblongum ut ex Perſii carmine liquet. hinc κατ᾽ ἀναλογίαν fit ſeriola, coquinarium uas (in fictilibus enim coquere ſolent) culinæ aptum. quamobrem legendum pro ſeri aulas putem ſeriolas. aut ſeriæ, aulæ ut diſtinctio intercedat. Licet omnibus per me libere in hunc locum coniectare.

Ex hac ſtatua uerucea.) Lepidè Stalinum ſeruum ſtultum, ignauum, & infantem, appellat Veruecеam ſtatuam, quoniam nulla ueruecibus uirilitas & animoſitas, ſtatuas autem infantes & illepidas uocamus.

Quaſi per nebulam.) Vide adagia Eraſmi.

M. ACTII PLAVTI

CVRCVLIO.

DRAMATIS PERSONAE

PALINVRVS, *ſeruos.*	COQVVS.
PHAEDROMVS, *adoleſcens.*	CVRCVLIO, *paraſitus.*
LENA, *anus.*	LYCO, *trapezita.*
PLANESIVM, *uirgo.*	CHORAGVS.
CAPPADOX, *leno.*	TERAPONTIGONVS, *miles.*

ARGVMENTVM.

CVRCVLIO *miſſus à* PHAEDROMO, *it in* CARIAM,
Vt petat argentum. ibi eludit anulo
Riualem. ſcribit, atque obſignat literas.

Cognoſcit ſignum LYCO, *ubi uidit, militis.*
Vt amicam mittat, precium lenoni dedit.
Lyconem miles, ac lenonem in ius rapit.
Ipſus ſororem, quam peribat, repperit.
Oratu quoius Phædromo nuptum locat.

ALIVD ARGVMENTVM.

INgenuam Cappadox leno ſurreptam emerat, habebatq́ domi uirginem Planeſium, hanc Phædromus adoleſcens deperibat, & cum ei pecunia deeſſet, quam pro muliere lenoni traderet, Curculionem paraſitum mittit in Cariam, ab amico argentum mutuum ut ſumeret, ibi forte Terapontigonum militem offendit ſeruus, ei refert miles in Epidauro ab eodem lenone puellã emiſſe triginta minis, quæ eius tamen ſoror erat, nec nouerat: pactumq́ cum lenone eſſe ubi miſiſſet literas Lyconi trapezitæ ſuo obſignatas anulo, ab illo pro muliere pecuniam reciperet, ac puellam traderet. Ad cœnam accerſit Curculionem miles: ille nõ inuitus annuit, talos poſtquàm cœnati ſunt, ſumunt in manus, deponit anulum: ille opponit pallium. propinat Curculio poculum militi, quo epoto edormiſcit miles. Hic ille è manu furtim anulum ſurripit, aufugit citus, Epidaurum reuertitur, herum Phædromum conuenit: narrat quo pacto militem luſerit in alea, confingunt atq́ obſignant literas, conuenit trapezitam Curculio atq́ lenonem ſimul, fingit ſe Summanum uocari. Trapezita ubi uidet obſignatas tabellulas, argẽtum lenoni dat, illeq́ mulierem Curculioni, quam Phædromus nanciſcitur. Miles experrectus ubi uidet ſe deluſum, Epidaurum uenit: cognouit dolos, mulieremq́ amiſiſſe & aurum: fiunt contentiones inter trapezitam, lenonem, & militem, req́ cognita, rurſus cum Phędromo ac paraſito rixæ fiunt. Tandem Planeſium paternum, quem ſurripuerat Curculio, agnoſcit anulũ, miles ex quo eius agnoſcitur frater, uirgoq́ pacto ſit ſurrepta paruula, lenonem cogunt receptam pro muliere reddere pecuniam, Phædromoq́ poſcenti, uxor puella traditur.

ACTVS PRIMVS.

PALINVRVS, *ſeruos.*
PHAEDROMVS, *adoleſcens.*

Quò

PA. QVO te hoc noctis dicā proficiſci foras,
Cum iſtoc ornatu, cumq; hac pompa Phædrome?
PH. Quò Venus, Cupidoq; imperant, ſuadetq; Amor.
Si media nox eſt, ſiue eſt prima ueſpera,
Si ſtatus condictus cum hoſte intercedit dies.
Tamen eſt eundum, quò imperant ingratijs.
At tandem, tandem. PH. tandem es odioſus mihi.
PA. Iſtuc quidem nec bellum eſt, nec memorabile.
Tute tibi puer es lautus, luces cereum.
PH. Egon' apicularum opera congeſtum non feram,
Ex dulci oriundum melliculo dulci meo?
PA. Nam quò te dicam ego ire? PH. ſi tu me roges,
Dicam, ut ſcias. PA. ſi rogitem, quid reſpondeas?
PH. Hoc Aeſculapij phanum eſt. PA. plus iam anno ſcio.
PH. Huic proximum illud oſtium oculiſſumum.
Salue, ualuiſtin' oſtium oculiſſumum?
PA. Caruitne febris te heri, uel nudiuſtertius?
Et heri cœnauiſtine? PH. deridéſne me?
PA. Quid tu ergo inſane rogitas, ualeátne oſtium?
PH. Belliſſumum hercle uidi, & taciturniſſumum:
Nunquam ullum uerbum mutit: quom aperitur, tacet:
Quom illa noctu clanculum ad me exit, tacet.
PA. Nunquid tu, quod te, aut genere indignum ſit tuo,
Facis, aut incœptas facinus facere Phædrome?
Num tu pudicæ quoipiam inſidias locas,
Aut quam pudicam eſſe oportet? PH. nemini:
Nec me ille ſinat Iupiter. PA. Ego item uolo.
ITA TVVM CONFERTO amorem ſemper, ſi ſapis,
Ne id quod ames, populus ſi ſciat, tibi ſit probro.
Semper curato, ne ſis inteſtabilis.
Quod amas, ama teſtibus præſentibus.
PH. Quid iſtuc eſt? PA. cautè ut incedas uia.

PH. Quin leno hic habitat. PA. nemo hinc prohibet, nec uetat,
Quin quod palàm eſt uenale, ſi argentu'ſt, emas.
NEMO IRE quenquam prohibet publica uia,
Dum ne per fundum ſeptum facias ſemitam.
Dum te abſtineas nupta, uidua, uirgine,
Iuuentute, & pueris liberis, ama quod lubet.
PH. Lenonis hæ ſunt ædes. PA. male iſtis eueniat.
PH. Qui? PA. quia ſceleſtem ſeruitutem ſeruiunt.
PH. Obloquere. PA. fiat maxume. PH. etiam taces?
PA. Nempe obloqui me iuſſeras. PH. at nunc ueto.
PA. Inducias occœpi dicere. PH. ei ancillula'ſt.
PA. Nempe huic lenoni, qui hic habitat? PH. rectè tenes.
PA. Nimis formido, ne excedat. PH. odioſus es,
Eam uolt meretricem facere: ea me deperit.
Ego autem cum illa facere nolo mutuum.
PA. Quid ita? PH. quia proprium facio, amo pariter ſimul.
Malus clandeſtinus eſt amor, damnu'ſt merum.
PA. Eſt hercle ut dicis ita: iamne ea fert iugum?
PH. Tam à me pudica eſt, quaſi ſoror mea ſit: niſi
Si eſt oſculando quippiam impudicior.
PA. SEMPER, tu ſcito, FLAMMA fumo eſt proxuma.
Fumo comburi nihil poteſt, flamma poteſt.
QVI E NVCE nucleum eſſe uolt, frangit nucem.
Qui uolt cubare, pangit ſaltem ſauium.
PH. At illa eſt pudica, neque dum cubitat cum uiris.
PA. Credam, pudor ſi quoipiam lenoni ſiet.
PH. Immò ut illam cenſes, ut quæq; illi occaſio'ſt
Surripere ſe ad me, ubi ſauium oppegit, fugit.
Id eò fit, quia hic leno ægrotus incubat,
In Aeſculapi'ſt phano, is me excruciat. PA. quid eſt?
PH. Aliâs me poſcit pro illa triginta minas,
Aliâs talentum magnum: neq; quicquam queo
Aequi, boniq; ab eo impetrare. PA. iniuriu'ſt.
PH. Quid? PA. quod lenoni nulli'ſt, id ab eo petas?

Nunc

PH. Nunc hinc paraſitum in Cariam miſi meum
Petitum argentum à meo ſodale mutuum.
Quòd ſi non affert, quò me uortam neſcio.
PA. Si deos ſalutas, dextrouorſum cenſeo.
PH. Nunc ara Veneris hæc eſt ante horum foreis,
Me inferre Veneri noui iam ientaculum.
PA. Quid antepones Veneri à ientaculo?
PH. Me, te, atque hoſce omneis. PA. tum tu Venerem uomere uis?
PH. Cedò puere ſignum. PA. quid facturus? PH. iam ſcies.
Anus hic recubare ſolet cuſtos ianitrix:
Nomen eſt lenæ Multibiba, atque Merobiba.
PA. Quaſi tu lagœnam dicas, ubi uinum ſolet
Chium eſſe. PH. quid opus eſt uerbis? uinoſiſſuma'ſt.
Eáq; extemplo ubi uino has conſperſi fores,
De odore adeſſe me ſcit, aperit illico.
PA. Eine hic cum uino ſinus fertur? PH. niſi ne uis.
PA. Nolo hercle: nam iſtunc qui fert, afflictum uelim,
Ego nobis afferri cenſui. PH. quin tu taces?
Siquid ſuper illi fuerit, id nobis ſat eſt.
PA. QVISNAM HIC fluuius eſt, quem non recipiat mare?
PH. Sequere hâc Palinure me ad fores, ſi mihi obſequeris.
PA. Ita faciam. PH. agite, bibite feſtiuæ fores.
Potate, ſite mihi uolentes propitiæ.
PA. Voltiſne oliuas, aut pulpamentum, aut caparim?
PH. Exuſcitate noſtram huc cuſtodem mihi.
PA. Profundis uinum? quæ te res agitant? PH. ſine,
Viden' ut aperiuntur ædes feſtiuiſſumæ?
Non mutit cardo? eſt lepidus. PA. quin das ſauium?
PH. Tace, occultemus lumen, & uocem. PA. licet.

LENA, anus. PHAEDROMVS.
PALINVRVS, ſeruos.

LE. FLos ueteris uini meis naribus obiectus eſt,
Eius amor cupidam huc me per tenebras prolicit.
Vbi ubi eſt, prope me eſt. euax habeo. ſalue anime mi

Liberi lepos, ut ueteris uetuſti cupida ſum.
Nam omnium odor unguentûm præ tuo nautea eſt:
Tu ſtacte, tu cinamum, tu roſa, tu crocum & caſia es,
Tu petalium. nam ubi tu profuſus, ibi ego me
Peruelim ſepultam: ſed quom adhuc naſo odos meo
Es obſecutus, da uiciſsim gutturi
Meo gaudium: nihil ago tecum, ubi eſt ipſus.
Ipſum expeto tangere, inuergere in me liquores tuos
Sino ductim. ſed hâc abijt, hac perſequar.

PH. Sitit hæc anus. PA. quantillum ſitit? PH. modica eſt, capit
Quadrantal. PA. pol ut prædicas, uindemia hæc
Huic anui non ſatis eſt ſoli. canem eſſe hanc quidem
Magis par fuit: naſum ædepol ſagax habet.

LE. Amabo quoia uox auribus ſonat procul?

PH. Hanc appellandam anum cenſeo: adibo. redi:
Et reſpice huc ad me lena. LE. imperator quis es?

PH. Vini pollens lepidus Liber, qui ſcreanti tibi
Siccæ, ſemiſomnæ potionem affert, atque it
Sedatum te. LE. Quàm longe à me abeſt? PH. lumen hoc uide.

LE. Sed grandiorem gradum ergo fac ad me obſecro.

PH. Salue anus. LE. egon' ſalua ſim, quæ ſicca ſum ſiti?

PH. At iam bibes. LE. diu fit. PH. hem tibi anus lepida.

LE. Salue oculiſsime homo. PA. age, effunde hoc cito in barathrum.
Properè prolue cloacam. PH. tace, nolo huic
Maledici. PA. faciam igitur male potius. LE. Venus
De paulo paululum hoc tibi dabo haud lubenter:
Nam tibi amantes propinantes uinum danunt,
Mihi haud ſæpe tales hæreditates eueniunt.

PA. Hoc uide ut ingurgitat impura in ſe merum auariter,
Plenis faucibus. PH. perij hercle. huic quid dicam neſcio.

PA. Hem iſtuc, quod mihi dixti. PH. quid id eſt? PA. periſſe ut te
Dicas. PHAED. male tibi di faciant. PALI. dic iſti. LE. ah,
PA. quid eſt?
Ecquid lubet? LE. lubet. PA. etiam mihi quoque

Stimu-

Stimulo ſodere lubet te. PH. tace, noli. PA. taceo.
Ecce autem bibit arcus, pluet credo hercle hodie.
PH. Iámne ego huic dicã? PA. quid dices? PH. me periſſe. PA. agè,
Dice. PH. anus audi, hoc uolo ſcire te: perditus ſum miſer.
LE. At pol ego oppidò ſeruata. ſed quid eſt,
Quod lubet perditum dicere te? PH. quia id quod amo, careo.
LE. Phædrome mi, ne plora ámabo: tu me ne ſitiam,
Curato: ego tibi quod amas, iam huc adducam. PH. tibi
Næ ego, ſi fidem ſeruas mecum, uincam
Pro aurea ſtatua ſtatuam, quæ tuo gutturi
Sit monumentum. alter qui me in terra æque erit
Fortunatus Palinure, ſi illa ad me * betet? *bitet?
PA. AEDEPOL QVI AMAT, ſi eget, miſera ærumna afficitur.
PH. Non ita res: nam confido paraſitum hodie
Aducnturum cum argento ad me. PA. magnum incipis
Si id expectas, quod nuſquã eſt. PH. quid, ſi adeam foreis,
Atque occentem? PA. neque ueto, neque iubeo, quandò te
Video immutatis moribus eſſe here, atque ingenio.
PH. Peſſuli, heus peſſuli, uos ſaluto lubens,
Vos amo, uos uolo, uos peto, atque obſecro,
Gerite amanti mihi morem amœniſſumi.
Site cauſſa mea Lydi Barbari:
Sußilite obſecro, & mittite iſtanc foras,
Quæ mihi miſero amanti ebibit ſanguinem.
Hoc uide, ut dormiunt peſſuli peſſumi,
Nec mea gratia commouent ſe ocyus?
Reſpicio, nihil uos meam gratiam facere.
Sed tace, tace. PA. taceo hercle: quid eſt? PH. ſentio ſonitum
Tandem, ædepol mihi morigeri peſſuli fiunt.

LENA, anus. PLANESIVM, uirgo.
PALINVRVS. PHAEDROMVS.

PLacidè egredere, & ſonitum prohibe forium, & crepitum cardinum.
Ne, quod hic agimus, herus percipiat fieri mea Planẽſium.

Mane, ſuffundam aqulam. PA. uidén' ut anus medicinam facit?
Ea merũ quum didicit bibere, foribus dat aquam, quam bibant.

PL. Vbi tu es qui me conuadatus Venerijs uadimonijs?
Vbi tu es qui me libello Venerio citaſti? ecce me ſiſto, ades cõtrà:
Siſto ego tibi me, & mihi contrà itidem ut ſiſtas, ſuadeo.

PH. Adſum: nã ſi abſim, haud recuſem, quin mihi male ſit mel meum.

PL. Anime mi: procul amantem abeſſe haud conſentaneum eſt.

PH. Palinure, Palinure. PA. loquere, quid eſt, quòd Palinurum uoces?

PH. Eſt lepida? PA. nimium lepida. PH. ſum deus. PA. immò aliud magni pretij.

PH. Quid uidiſti? aut quid uidebis magis dijs æquiparabile?

PA. Male ualere te, ꝗ mihi ægre'ſt. PH. male mihi morigerus, tace.

PA. IPSVS SE EXCRVCIAT, qui homo, quod amat, uidet, nec potiri licet.

PH. Recte obiurgat: ſanè haud quicqua'ſt magis quod cupiã tãdiu.

PL. Tene me. ergo amplectere. PH. hoc etiam'ſt quamobrem cupiam (uiuere:
Quia te herus prohibet, clam hero, potior. PL. prohibet? nec prohibere quit,
Nec prohibebit, niſi mors meum animum abs te abalienauerit.

PA. Sed enim nequeo durare, quin ego herum accuſem meum.
NAM BONVM eſt pauxillum amare ſane: inſanè, non bonum eſt.
Verum totum inſanum amare, hoc eſt quod meus herus facit.

PL. Sibi ſua habeant regna reges, ſibi diuitias diuites,
Sibi honores, ſibi uirtutes, ſibi pugnas, ſibi prælia:
Dum mihi abſtineant inuidere, SIBI QVISQVE HABEAT, quod ſuu'ſt.

PA. Quid tu? Venerin' peruigilare te uouiſti Phædrome?
Nam hoc quidẽ, ædepol haud multo poſt, luce lucebit. PH. tace.

PA. Quid taceam? quin tu is dormitum? PH. dormio: ne occlamites.

PA. Tu quidẽ uigilas. PH. at meo more dormio, hic ſomnus eſt mihi.

PA. Heus tu mulier, MALE MERERI de immerente, inſcitia'ſt.

PL. Iraſcere, ſi te edentem hic à cibo abigat. PA. illicet
Pariter hos perire amando uideo: uterque inſaniunt.
Vidén' ut miſerè moliuntur, neque queunt complecti ſatis?

Etiam

Etiam diſpertimini? PL. NVLLI EST HOMINI perpetuum bonum.
Iam hinc uoluptati hoc adinuentũ'ſt odiu'ſt. PA. quid ais propudium?
Tún' etiam cum nocturnis oculis odium me uocas?
Ebriola, perſolæ nugæ. PH. tún' Venerem uituperas meam?
PL. Quod quidem mihi pollutus uirgis ſeruos ſermonem ſerat?
PH. At næ tu hercle cum cruciatu magno dixiſti tuo:
Hem tibi maledicis pro iſtis dictis moderari ut queas.
PA. Tuam fidem Venus: noctu uigila. PH. pergin' etiam uerbero?
PL. Noli amabo VERBERARE LAPIDEM, ne perdas manũ.
PA. Magnum flagitium probrumq́; expergefacis Phædrome:
Bene monſtrantem, pugnis cædis. hanc amas, nugas meras.
Hoccine fieri, ut immodeſtis hic te moderêre moribus?
PH. Auro contrà cedò modeſtum amatorem, à me aurum accipe.
PA. Cedò mihi contra orichalco, quoi ego ſano ſeruiam.
PL. Bene uale ocule mi: nam ſonitum, & crepitum, clauſtrorũ audio,
Aedituumq́; aperire phanum. Quouſque quæſo ad hunc modũ
Inter nos amore utimur ſemper ſurrepticio?
HP. Minime: nam paraſitum miſi nudiuſquartus in Cariam
Petere argentum: is hodie hic aderit. PL. nimium conſultas diu.
PH. Ita me Venus amet, ut ego te hoc triduum nunquam ſinam
In domo eſſe iſtac, quin ego te liberalem liberem.
PL. Facito ut memineris: tene etiam prius, quàm abeo hinc, ſauium.
PH. Si quidẽ hercle mihi regnũ detur, nunquã id potius perſequar.
Quando ego te uidebo? PL. hem iſtoc uerbo uindictam para.
Si amas, eme: ne rogites: facito ut pretio peruincas tuo.
Bene uale. PH. iamne ego relinquor? pulchrè Palinure occidi.
PA. Ego quidem, qui & uapulãdo, & ſomno pereo. PH. ſequere me.

ACTVS SECVNDVS.

CAPPADOX, leno, & PALINVRVS, ſeruos.

C. MIgrare certu'ſt iam nunc è phano foras,
Quandò Aeſculapi ita ſentio ſententiam,
Vt qui me nihili faciat, nec ſaluom uelit.
Valetudo decreſcit, accreſcit labor:

Nam iam quaſi zona, liene cinctus ambulo:
Geminos in uentre habere uideor filios:
Nihil metuo niſi ne medius diſrumpar miſer.
P. Si rectè facias Phædrome, auſcultes mihi,
Atque iſtam exturbes ex animo ægritudinem.
Paues, paraſitus quia non rediit Cariam:
Afferre argentum credo: nam ſi non ferat,
Tormento non retineri potuit ferreo,
Quin reciperet ſe huc eſum ad præſepem ſuam.
C. Quis hic eſt qui loquitur? P. quoiam uocem audio?
C. Eſt'ne hic Palinurus Phædromi? P. qui hic eſt homo
Cum collatiuo uentre, atque oculis herbeis?
De forma noui, de colore non queo
Nouiſſe. iamiam noui, leno eſt Cappadox:
Congrediar. C. ſalue Palinure. P. ô ſcelerum caput,
Salueto. quid agis? C. uiuo. P. nempe, ut dignus es.
Sed quid tibi'ſt? C. lien necat, renes dolent,
Pulmones diſtrahuntur, cruciatur iecur,
Radices cordis pereunt, choriæ omnes dolent.
P. Tum te igitur morbus agitat hepatarius.
C. FACILE'ſt miſerum irridere. P. quin tu aliquot dies
Perdura, dum inteſtina exputreſcunt tibi.
Nunc dum ſaltura ſat bona'ſt, ſi id feceris,
Vænire poteris inteſtinis uilius.
C. Lien diruptu'ſt. P. ambula: id lieni optimu'ſt.
C. Aufer iſtæc quæſo. atque hoc reſponde quod rogo.
Potin' coniecturam facere, ſi narrem tibi,
Hac noctu quod ego ſomniaui dormiens?
P. Vah ſolus hic homo'ſt qui ſciat diuinitus.
C. Quin coniectores à me conſilium petunt:
Quod eis reſpondi, ea omnes ſtant ſententia.

COQVVS. PALINVRVS. CAPPADOX.
PHAEDROMVS.

CO. PAlinure quid ſtas? quin depromuntur mihi,
Quæ opus ſunt paraſito, ut ſit paratum prandium,
Quom ueniat? PA. mane ſis, dum huic conijcio ſomnium.
CO. Tute ipſe, ſi quid ſomniaſti, ad me refers.
PA. Fateor. CO. abi deprome. PA. age tu, interea huic ſomnium
Narra: meliorem quàm ego ſum, ſuppono tibi.
Nam quod ſcio, omne ex hoc ſcio. CA. operã ut det. PA. dabit.
CA. Facit hic, quod pauci: ut ſit magiſtro obſequens.
Da mihi igitur operam. CO. tametſi non noui, dabo.
CA. Hac noctu in ſomnis uiſus ſum uiderier
Procul ſedere longe à me Aeſculapium:
Neque eum ad me uenire, neque me magnipendere
Viſu'ſt. CO. item alios deos facturos ſcilicet:
Sanè illi inter ſe congruunt concorditer.
Nihil eſt mirandum, melius ſi nihil ſit tibi:
Nanque incubare te ſatius fuerat Ioui,
Qui tibi auxilio in iureiurando fuit.
CA. Si quidem incubare uelint, qui peierauerunt,
Locus non præberi potis eſt in Capitolio.
CO. Huc animum aduorte: pacem ab Aeſculapio
Petas: ne forte tibi eueniat magnum malum,
Quod in quiete tibi portentu'ſt. CA. bene facis:
Ibo, atque orabo. CO. quæ res male uortat tibi.
PH. Proh di immortales quem conſpicio? quis illic eſt?
Eſtne hic Paraſitus, qui miſſus eſt in Cariam?
Heus Phædrome exi: exi inquam ocyus.
PH. Quî iſtic clamorem tollis? PA. paraſitum tuum
Vide occurrentem: ellum uſque in platea ultima:
Hinc auſcultemus quid agat. PH. ſanè cenſeo.

CVRCVLIO, PHAEDROMVS, PALINVRVS.

C. DAte uiã mihi noti, atq; ignoti, dũ ego hic officiũ meum
Facio: fugite omnes, abite, & de uia ſecedite: (aut genu:
Ne què in curſu capite, aut cubito, aut pectore offendã,
Ita nunc ſubito, propere, & celere obiectu'ſt mihi negocium.

Nec

Nec quiſquam fuerit tam opulentus, qui mihi obſiſtat in uia.
Nec ſtrategus, nec tyrannus quiſquam, nec agoranomus,
Nec demarchus, nec comarchus, nec cum tanta gloria,
Quin cadat, quin capite ſiſtat in uiam de ſemita.
Tum iſti Græci palliati, capite operto qui ambulant,
Qui incedunt ſuffarcinati cum libris, cum ſportulis,
Conſtant, conferunt ſermones inter ſe tanquam drapetæ,
Obſtant, obſiſtunt, incedunt cum ſuis ſententijs:
Quos ſemper uideas bibentes eſſe in œnopolio.
Vbi quid ſurripuere, operto capitulo caldum bibunt,
Triſtes atque ebrioli incedunt: eos ego ſi offendero,
Ex unoquoque eorum eijciam crepitum polentarium.
Tum iſti, qui ludunt datatim ſerui ſcurrarum in uia,
Et datores, & fautores omnes ſubdam ſub ſolum.
Proin' ſe domi contineant, uitent infortunia.

PH. Rectè hic monſtrat, ſi imperare poßit, NAM ITA NVNC mos uiget,
Ita nunc ſeruitiu'ſt, profecto modus haberi non poteſt.

C. Ecquis eſt, qui mihi commonſtret & Phædromum geniũ meum?
Ita res ſubita'ſt, celeriter mihi hoc homine conuento'ſt opus.

PA. Te ille quærit. PH. quid ſi adeamus? heus Curculio, te uolo.

C. Quis uocat, quis nominat me? PH. qui te conuentum cupit.

C. Haud magis cupis, quàm ego te cupio. PH. ô mea opportunitas
Curculio exoptate ſalue. C. ſalue. PH. ſaluom gaudeo
Te aduenisſe, cedò tuam mihi dextram: ubi ſunt ſpes meæ?
Eloquere obſecro hercle. C. eloquere te obſecro, ubi ſunt meæ?

PH. Quid tibi'ſt? C. tenebræ oboriuntur, genua media ſuccidunt.

PH. Laßitudine hercle credo. C. retine, retine me obſecro.

PH. Vide ut expalluit: datin' iſti ſellam, ubi aßidat cito,
Et aqualem cum aqua? properatin' ocyus? C. animo male'ſt.

PH. Vin' aquam? C. ſi fruſtulenta'ſt, da obſecro, hercle obſorbeam.

PH. Væ capiti tuo. C. obſecro hercle facite uentum, ut gaudeam.

PH. Maxume. C. quid facitis quæſo? PA. uentum. C. nolo equidem mihi

Fieri

Fieri uentulum. PA. quid igitur uis? C. eſſe, ut uentum gaudeam.
PH. Iupiter te, diq; perdant. C. perij, proſpicio parum:
Os amarum habeo, dentes plenos, lippiunt fauces fame,
Ita cibi uacuitate uenio laßis lactibus. (mauolo.
PH. Iam edes aliquid. C. nolo hercle aliquid: certum, quàm aliquid
PH. In imo ſi ſcias reliquiæ quæ ſint. C. ſcire nimis lubet,
Vbi ſient. nam illis conuentis ſanè opu'ſt meis dentibus.
PH. Pernam, abdomen ſuis, glandium. C. ain' tu omnia hæc?
In carnario fortaſſe dicis. PH. immò in lancibus
Quæ tibi ſunt parata, poſtquam ſcimus uenturum. C. uide
Ne me ludas. PH. ita me amabit, quã ego amo, ut haud mẽtior.
Sed quò te miſi, nihilò ſum certior. C. nihil attuli.
PH. Perdidiſti me. C. inuenire poßim, ſi mihi operam dabis.
Poſtquam ſum tuo iuſſo profectus, perueni in Cariam.
Video tuum ſodalem. argenti rogo ut copiam faciat.
Scire uelles gratiam tuam: noluit fruſtrarier,
Vt decet uelle hominem amicum amico, atque opitularier.
Reſpondit mihi paucis uerbis, atque adeò fideliter,
Quod tibi'ſt, item ſibi eſſe magnam argenti inopiam.
PH. Perdis me tuis dictis. C. immò ſeruo, & ſeruatum uolo.
Poſtquàm mihi reſponſu'ſt, abeo ab illo mœſtus ad forum,
Me illò fruſtra aduenisſe. forte aſpicio militem:
Aggredior hominem: ſaluto aduenıens. ſalue, inquit mihi.
Prendit dexteram: ſeducit: rogat quid ueniam Cariam.
Dico me illò aduenisſe animi cauſſa. ibi me interrogat,
Ecquem in Epidauro trapezitam Lyconem nouerim.
Dico me nouiſſe. quid lenonem Cappadocem? annuo
Viſitaſſe. ſed quid eum uis? quia de illo emi uirginem
Triginta minis, ueſtẽ, aurum, & decem pro his coaccedunt minæ.
Dediſti argentum? inquam. immò, inquit, apud trapezitã ſitu'ſt
Illum quem dixi: atque ei mandaui, qui anulo meo
Tabellas obſignatas attuliſſet, daret operam.
Vt mulierem à lenone cum auro, & ueſte abduceret.
Poſtquam hoc mihi narrauit, abeo ab illo. reuocat me illico:

Vocat ad cœnam: religio fuit, denegare nolui.
Quid ſi adeamus, ac decumbamus, inquit? conſilium placet.
Neque diem decet me morari, neque nocti nocerier.
Omnis res parata'ſt, & nos quibus paratu'ſt, aſſumus.
Poſtquam cœnati, atque appoti, talos poſcit in manum.
Prouocat me in aleam, ut ego ludam. pono pallium:
Ille ſuum anulum oppoſuit. inuocat Planeſium. PH. meos
Ne amores? C. tace parumper. iacit uoltorios quattuor.
* Talos arripio: inuoco almam meam nutricem * Herem
Herculē. Iacto baſilicum. propino magnum poculum: ille ebibit:
Caput deponit. * quom dormiſcit, ei ſubduco anulum.
* quomodo. Deduco pedes de lecto clàm, ne miles ſentiat,
Rogant me ſerui. quò eam: dico ire quo ſaturi ſolent.
Oſtium ubi conſpexi, exinde me illico protinam dedi.
PH. Laudo. C. laudato, quandò id quod cupis, effecero.
Eamus intrò ut tabulas conſignemus. PH. non moror.
C. Atque aliquid prius obtrudamus, pernam, ſumen, glandium:
Hæc ſunt uentri ſtabilimenta: panis, & aſſa bubula,
Poculum grande, aula magna, ut ſatis conſilia ſuppetant.
Tu tabellas conſignato: hic miniſtrabit, ego edam.
Dicam quemadmodum conſcribas. ſequere me hâc intro. PH. ſe-(quor.

ACTVS TERTIVS.

LYCO, trapezita. CVRCVLIO, leno.

Beatus uideor, ſubduxi ratiunculam,
Quantum æris mihi ſit, quantumq; alieni ſiet,
Diues ſum ſi non reddo eis, quibus debeo:
Si reddo illis, quibus debeo, plus alieni'ſt.
Verùm hercle uero conuellere illis cogito.
Si magis me inſtabunt ad prætorem, ſufferam.
Habent hunc morem plerique argentarij,
Vt alius alium poſcant, reddant nemini:
Pugnis rem ſoluant, ſiquis poſcat durius.
QVI HOMO MATVRE QVAESIVIT PECVNIAM,
Niſi eam mature parſit, mature eſurit.

Cupio

Cupio aliquem emere puerum, qui uſurarius
Nunc mihi quæratur, uſu'ſt etiam pecunia.
C. Nil tu me ſaturum monueris, memini, & ſcio:
Ego hoc effectum lepidè tibi tradam, tace.
Aedepol næ ego hic me intus expleui probè:
Et quidem reliqui in uentre cellæ uni locum,
Vbi reliquiarum reliquias reconderem.
Quis hic eſt qui operto capite Aeſculapium
Salutat? atat pol quem quærebam: ſequere me,
Simulabo quaſi non nouerim. heus tu, te uolo.
LY. vne ocule ſalue. C. quæſo deridéſne me?
LY. De coclitum proſapia te eſſe arbitror,
Nam hi ſunt unoculi. C. catapulta hoc ictu'ſt mihi
Apud Sicyonem. LY. nam quid id refert mea,
An aula quaſſa cum cinere effoſſus fiet?
C. Superſtitioſus hic quidem eſt, uera prædicat:
Nam illæc ad me catapultæ crebro commeant:
Adoleſcens ob rem publicam. hoc intus mihi
Quod inſigne habeo, quæſo ne me incomities.
LY. Licétne inforare, ſi incomitiare non licet? C. non inforabis
Me quidem: non mihi placet tuum profecto nec forum, nec comitium.
Sed hunc quem quæro, commonſtrare ſi potes,
Inibis à me ſolidam & grandem gratiam:
Lyconem quæro ego trapezitam. LY. dic mihi
Quid cum nunc quæris, aut quoiatis? C. eloquar,
Ab Terapontigono Platagidôro milite.
LY. Noui ædepol nomen: nam mihi iſtoc nomine,
Dum ſcribo, expleui totas ceras quattuor.
Sed quid Lyconem quæris? C. mandatu'ſt mihi,
Vt has tabellas ad eum feram. LY. quis tu homo es?
C. Libertus illius, quem omnes Summanum uocant.
LY. Summane ſalue. qui Summanus? fac ſciam.
C. Quia ueſtimenta, ubi obdormiui ebrius,
Summano: ob eam rem me omnes Summanum uocant.

Alibi

LY. Alibi te meliu'ſt quærere hoſpitium tibi,
Apud me profecto nihil eſt Summano loci:
Sed iſtum quem quæris, ego ſum. C. quæſo, túne is es
Lycotrapezitas? LY. ego ſum. C. multam me tibi
Salutem iuſsit Terapontigonus dicere,
Et has tabellas dare me iuſsit. LY. mihín'? C. ita:
Cape: ſignum noſce: noſtín'? LY. quidni nouerim?
Clypeatus elephantum ubi machæra diligit.
C. Quod iſtic ſcriptu'ſt, id te orare iuſſerat
Profecto ut faceres, ſuam ſi uelles gratiam.
LY. Concede, inſpiciam quid ſit ſcriptum. C. maxume,
Tuo arbitratu, dum auferam abs te id, quod peto.
LY. Miles Lyconi in Epidauro hoſpiti ſuo
Terapontigonus Platagidôrus plurimam
Salutem dicit. C. MEVS HIC EST, HAMVM VORAT.
LY. Tecum oro, & quæſo, qui has tabellas afferet
Tibi, ut ei detur, quam iſtic emi uirginem,
Quod te præſente iſtic egi, teq; interprete,
Et aurum, & ueſtem. iam ſcis, ut conuenerit:
Argentum des lenoni, huic des uirginem.
Vbi ipſus? cur non uenit? C. ego dicam tibi,
Quia nudiuſquartus uenimus in Cariam
Ex India: ibi nunc ſtatuam uolt dare auream
Solidam faciundam ex auro Philippéo, quæ ſiet
Septempedalis, factis monumentum ſuis.
LY. Quamobrem, iſtuc? C. dicam. quia enim Perſas, Paphlagonas,
Synopas, Arabes, Caras, Cretanos, Syros,
Rhodiam atque Lyciam, Perediam & Bibeſiam,
Centauromachiam, Elatiam, Vnimammiam,
Lybiamq; oram omnem conterebrominiam,
Dimidiam partem nationum uſque omnium
Subegit ſolus intra uiginti dies.
LY. Vah. C. quid mirare? LY. quia enim in cauea ſi forent
Concluſi itidem ut pulli gallinacei,

Ita non potuēre uno anno circuirier.
Credo hercle te eſſe ab illo: nam ita nugas blatis.
C. Immò etiam porro, ſi uis, dicam. LY. nihil moror:
Sequere hâc, te redabſoluam, qua aduenisti gratia.
Atque eccum uideo. leno ſalue. LE. di te ament.
LY. Quid hoc, quod ad te uenio? LE. dicas quid uelis.
LY. Argentum accipias, cum illo mittas uirginem.
LE. Quid quod iuratus ſum? LY. quid id refert tua,
Dum argentum accipias? LE. QVI MONET, quaſi adiuuat.
Sequimini. C. leno caue in te ſit morari mihi.

ACTVS QVARTVS.

CHORAGVS.

AEdepol nugatorem lepidum lepide hunc nactus eſt Phædromus:
Halophantam an ſycophantam, hunc magis dicam, neſcio:
Ornamenta, quæ locaui, metuo ut poſſim recipere.
Quanquàm cum iſtoc mihi negocij nihil eſt, ipſi Phædromo
Credidi: tamen aſſeruabo. ſed hic dum egreditur foras,
Commonſtrabo quo in quenque hominem inueniatis loco.
Ne nimio opere ſumat operam, qui quem conuentum uelit,
Vel uitioſum, uel ſine uitio, uel probum, uel improbum.
Qui periurum hominem uolt conuenire, mitto in comitium.
Qui mendacem & glorioſum, apud Cluacine ſacrum.
Ditis damnoſos maritos ſub baſilica quærito:
Ibidem erunt ſcorta exoleta, quiq; ſtipulari ſolent.
Symbolorum collatores, apud forum piſcarium.
In foro infimo boni homines, atque dites ambulant.
In medio propter canalem, ibi oſtentatores meri,
Confidentes, garruliq;, & maleuoli. ſupra lacum,
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam,
Et qui ipſi ſat habent quod ipſis poſſit uerè dicier.
Sub ueteribus, ibi ſunt qui dant, quiq; accipiunt fœnore.
Pone ædem Caſtoris, ibi ſunt quibus credas malè.
In Tuſco uico, ibi ſunt homines, qui ipſi ſeſe uenditant.

In Velabro, uel piſtorem, uel lanium, uel haruſpicem,
Vel qui ipſi uortant, uel qui alij ſubuerſandos præbeant.
Ditis damnoſos maritos apud Leucadiam oppiam.
Sed interim crepuere fores, linguæ moderandu'ſt mihi.

CVRCVLIO, LYCO, CAPPADOX.

CV. I Tu præ uirgo, non queo quod me pone'ſt ſeruare:
Et aurũ, & ueſtem omnem, ſuã eſſe aiebat, quicquid haberet.
L. Nemo it inficias. CV. attamen meliuſculu'ſt monere.
L. Memento promiſiſſe te, ſi quiſquam hanc liberali
Cauſſa manu aſſereret, mihi omne argentum redditum iri,
Minas triginta. CA. meminero, de iſtoc quietus eſto:
Et nunc idem dico. L. & commeminiſſe ego hæc uolam te.
CA. Memini, & mancupio tibi dabo. CV. egon' ab lenone quicquàm
Mancupio accipiam, quibus ſui nihil eſt, niſi una lingua?
Qui abiurant, ſi quid creditu'ſt, alienos mancupatis,
Alienos manumittitis, alienisq́; imperatis:
Nec uobis autor ullus eſt, nec uoſmet eſtis ulli.
Item genus eſt lenonum inter homines, meo quidem animo,
Vt muſcæ, culices, pedesq́;, pulicesq́;, cimices.
Odio, & malo, & moleſtiæ, bono uſui eſtis nulli.
Nec uobiſcum quiſquam in foro frugi conſiſtere audet:
Qui conſtitit, culpant eum, conſputatur, uituperatur:
Eum rem fidemq́; perdere, tametſi nihil fecit, aiunt.
L. Aedepol lenones meo animo noſti luſce lepide.
CV. Eodem hercle uos pono & paro, pariſſumi eſtis ijbus.
Hi ſaltem in occultis locis proſtant: uos in foro ipſo.
Vos fœnore: hi male ſuadendo, & luſtris lacerant homines.
Rogitationes plurimas propter uos populus ſciuit,
Quas uos rogatas rumpitis, aliquam reperitis rimam.
Quaſi aquam feruentem frigidam eſſe, ita uos putatis leges.
L. Tacuiſſe mallem. CA. HAVD IN MALE meditantem ma-
CV. Indignis ſi male dicitur, maledictum id eſſe dico. (le dicaſſis.
Verum ſi dignis dicitur, benedictu'ſt, meo quidem animo.
Ego mancupem te nihil moror, nec lenonem alium quenquam.

Lyco nunquid uis? L. bene uale. CV. uale CA. heus tu, tibi ego dico.

CV. Eloquere quid uis. CA. quæſo ut hanc cures, ut bene ſit iſti:
Bene ego iſtam eduxi meæ domi, & pudicè. CV. ſi huius miſeret,
Ecquid das, quod bene ſit? CA. malum. CV. tibi opu'ſt, quo te procures.

CA. Quid ſtulta ploras? ne time, bene hercle uendidi ego te.
Fac ſis bonæ frugi ſies, ſequere iſtum bella bellé.

L. Summane nunquid nunc iam me uis? CV. uale, atque ſalue.
Nam & operam mihi & pecuniam benignè præbuiſti.

L. Salutem multam dicito patrono. CV. nuntiabo.
Nunquid uis leno? CA. iſtas minas decem qui modo procures,
Dum melius ſit mihi, des. CV. dabuntur, cras peti iubeto.

CA. Quandò bene geſſi rem, uolo hic in phano ſupplicare:
Nam illam minis olim decem puellam paruolam emi:
Sed eum, qui mihi uendidit illam, nunquam poſt illa uidi,
Periiſſe credo: quid id mea refert? ego argentum habeo.
QVOI HOMINI di ſunt propicij, lucrũ ei profecto obijciũt.
Nunc rei diuinæ operam dabo, certu'ſt bene me curare.

TERAPONTIGONVS, miles. LYCO, trapezita.

T. NOn ego nunc mediocri incedo iratus iracundia,
Sed capſe illa, qua excidionem facere condidici oppidis:
Nunc, niſi tu mihi propere ꝓperas dare triginta minas,
Quas ego apud te depoſui, uitam propera ponere.

L. Non pol nunc ego te mediocri macto infortunio:
Sed copſe illo, quo mactare ſoleo, quoi nihil debeo.

T. Ne te mihi facias ferocem, haud ſupplicare me cenſeas.

L. Nec tu me quidem unquam ſubiges, redditum ut reddam tibi:
Nec daturus ſum. T. idem ego iſtuc quom credebam, credidi
Te nihil eſſe redditurum. L. cur nunc à me igitur petis?

T. Scire uolo quoi reddiſti. L. luſco liberto tuo,
Is Summanum uocari ſe dixit: ei reddidi,
Qui has tabellas obſignatas attulit. T. quas tu mihi tabellas?
Quos tu mihi luſcos libertos? quos Summanos ſomnias?

Nec mihi quidem libertu'ſt ullus. L. facis ſapientius
Quàm pars lenonum, libertos qui habent, & eos deſerunt.
T. Quid feciſti? L. quod mandaſti, tui honoris gratia,
Qui tuum ſignum ad me attuliſſet, nuncium ne ſpernerem.
T. Stultior ſtulto fuiſti, qui ijs tabellis crederes.
L. Queis reſpublica & priuata geritur, non ijs crederem?
Ego habeo tibi res ſolutas rectè, bellator uale.
T. Quid ualeam? L. at tu ægrota, ſed uiues per me ætatẽ quidem.
T. Quid ego nunc faciam? quid refert me feciſſe regibus,
Vt mihi obedirent, ſi me hodie hic umbraticus deriſerit?

CAPPADOX, leno, & MILES.

C. QVOI HOMINI dij ſunt propicij, ei non eſſe iratos puto.
Poſtquàm rem diuinam feci, uenit in mentem mihi,
Ne trapezita exulatum abierit. argentum ut petam:
Vt ego potius comedam, quàm ille. iuſſeram ſaluere te,
Terapontigone Platagidôre: ſalue, ſaluus * quom aduenis
* quomodo. In Epidaurum: hic hodie apud me nunquam delinges ſalem.
M. Bene uocas: uerùm uocata res eſt, ut male ſit tibi.
Sed quid agit meũ mercimoniũ apud te? C. nihil apud me quidẽ.
Ne facias teſteis: neq; equidem debeo quicquam. M. quid eſt?
C. Quod fui iuratus, feci. M. reddin' an non, uirginem
Prius, quàm te huic meæ machæræ obijcio maſtigia?
C. Vapulare ego te uehementer iubebo, ne me territes:
Illa abducta'ſt. tu auferêre hinc à me, ſi perges mihi
Male loqui profecto, quoi ego niſi malum, nihil debeo.
M. Mihin' malum minitare? C. atque ædepol non minitabor,
Sed dabo, mihi ſi perges moleſtus eſſe. M. leno mihi
Minitatur? meæq; pugnæ præliares plurimæ
Obtritæ iacent? at ita me machæra, & clypeus bene iuuent
Pugnantem in acie, niſi mihi redditur, iam ego
Te faciam, ut hic formicæ fruſtillatim differant.
C. At ita me uolſellæ, pecten, ſpeculum, calamiſtrum meum,
Bene me amaſſint, meáq; exitia, linteumq; exterſum, ut ego
Tua magnifica uerba, neque iſtas tuas magnas minas

Non pluris facio, quàm ancillam meam, quæ latrinam lauat.
Ego illam reddidi, qui argentum attulit. M. quis is eſt homo?
C. Tuum libertum eſſe aiebat ſeſe Summanum. M. meum?
Atat Curculio hercle uerba mihi dedit, quom cogito:
Is mihi anulum ſurripuit. CA. perdidiſtin' tu anulum?
Miles pulchrè centuriatus es expuncto in manipulo.
M. Vbi nunc Curculionem inueniam? CA. in tritico facillume,
Vel quingentos curculiones pro uno faxo reperias.
Ego abeo, uale, atque ſalue. M. male uale, male ſit tibi.
Quid ego faciã? maneam, an abeã? ſiccine eſſe os mihi oblitum?
Cupio dare mercedem, qui illunc ubi ſit, commonſtret mihi.

ACTVS QVINTVS.

PARASITVS.

Antiquum poëtam audiui ſcripſiſſe in tragœdia,
Mulieres duas peiores eſſe, quàm unam: res ita'ſt.
Verum mulierem peiorem, q̃ hæc amica eſt Phædromi,
Non uidi, neque audiui: neque pol dici, nec fingi poteſt
Peior: quæ ubi me hunc habere conſpicata'ſt anulum,
Rogat unde habeã. quid id tu quæris? quia mihi quæſito opu'ſt.
Nego me dicere. ut eum eriperet, manum arripuit mordicus.
Vix foras me arripui, atque effugi: apage iſtanc caniculam.

PLANESIVM, uirgo. PHAEDROMVS, aduleſcens.
CVRCVLIO. MILES.

PL. Phædrome propera. PH. quid properem? PL. paraſitum ne amiſeris:
Magna res eſt. PH. nulla'ſt mihi: nam quam habui, abſumpſi celeriter.
PL. Teneo. PH. quid negoci? PL. rogita iſtunc, unde habeat anulũ.
C. Pater iſtum meus geſtauit. PL. at pol mea matertera,
Mater ei utendum dederat. C. at pater tuus rurſum tibi.
PL. Nugas garris. C. ſoleo: nam propter eas uiuo facilius.
Quid nunc? PL. obſecro, parentéſne meos mihi prohibeas?
C. Quid? ego ſub gemma abſtruſos habeo tuã matrem & patrem?
PL. Libera ego ſum nata. C. & alij multi, qui nunc ſeruiunt.

PL. At enim iraſcor. C. dixi equidē tibi, unde ad me hic peruenerit.
Quoties dicundu'ſt? eluſi militem, inquam, in alea.
M. Saluos ſum, eccum quem quærebā. quid agis bone uir? C. audio.
Si uis tribus bolis chlamydem. M. quin tu is malam in crucem,
Cum bolis, cum bullis. redde mihi iam argentum, aut uirginem.
C. Quod argentum? quas tu mihi tricas narras? quam uirginem
Me repoſcis? M. quam ab lenone abduxiſti hodie ſcelus uiri.
C. Nullā abduxi. M. certè eccistam uideo. PH. uirgo hæc libera'ſt.
M. Mea ancilla libera ut ſit, quam ego numquam emiſi manu?
PH. Quis tibi hanc dedit mancupio? aut unde emiſti? fac ſciam.
M. Ego quidem pro iſtac rem ſolui ab trapezita meo:
Quam ego pecuniam quadruplicē abs te, & lenone auferam.
PH. Qui ſcias mercari furtiuas, atque ingenuas uirgines,
Ambula in ius. M. non eo. PH. licet anteſtari? M. non licet.
PH. Iupiter te male diſperdat miles, inteſtatus uiuito. (uide.
M. At ego, quem licet. PH. tu accede huc. C. ſeruon' anteſtari? M.
C. Hem, ut ſcias me liberum eſſe. M. ergo ambula in ius. hem tibi.
C. O ciues ciues. M. quid clamas? PH. quid iſtum tibi tactio'ſt?
M. Quia mihi lubitū. PH. accede huc tu, ego illū tibi dedam, tace.
C. Phædrome obſecro ſerua me. PH. tanquam me genium meum,
Miles, quæſo ut mihi dicas, unde illum habeas anulum,
Quem paraſitus hic te eluſit. PL. per tua genua te obſecro,
Vt nos facias certiores. M. quid iſtuc ad uos attinet?
Quæratis chlamydē, & machæram hanc, unde ad me peruene-
C. Vt faſtidit glorioſus. M. mitte iſtū: ego dicam omnia. (rit.
C. Nihil eſt, quod ille dicit. PH. fac me certiorem obſecro.
M. Ego dicam. ſurgite, hanc rem agite, atque animum aduortite.
Pater meus habuit Periphanes Planeſium:
Is prius, quàm moritur, hunc mihi dedit, tanquam ſuo,
Vt æquom fuerat, filio. PL. proh Iupiter.
M. Et iſte me hæredem fecit. PL. pietas mea
Serua me, quandò ego te ſeruaui ſedulò.
Frater mi ſalue. M. quî credam ego iſtuc cedò?
Si uera memoras, quæ fuit mater tua? PL. Cleobula.

M. Nutrix quæ fuit? PL. Archeſtrata. ea me ſpectatum tulerat
Per Dionyſia. poſtquàm illò uentu'ſt iam, ut me collocarat,
Exoritur uentus, turbo: ſpectacula ibi ruunt.
Ego pertimeſco. tum ibi me neſcio quis arripit
Timidam atque pauidam, nec uiuam, nec mortuam:
Nec quo me pacto abſtulerit, poſſum dicere.
M. Meminiſtin' hanc turbam fieri? ſed tu dic mihi,
Vbi is eſt homo qui te ſurripuit? PL. neſcio,
Verùm hunc ſeruaui ſemper mecum unà anulum,
Cum hoc olim perij. M. cedò ut inſpiciam. PH. ſanán' es
Quæ iſti committas? PL. ſine modo. M. proh Iupiter,
Hic eſt, quem ego tibi miſi natali die:
Tam facile noui, quàm me. ſalue mea ſoror.
L. Frater mi ſalue, deos uolo bene uortere
Iſtanc rem nobis. C. & ego, nobis omnibus,
Tu ut hodie aduenient, cœnam des ſororiam,
Hic nuptialem cras dabit. PH. promittimus.
M. Tace tu. C. non taceo: quandò res uortit bene,
Tu iſtanc deſponde huic miles, ego dotem dabo.
PH. Quid dotis? C. egóne? ut ſemper, dum uiuat, me alat.
M. Verum hercle dico, me iubente feceris.
Et leno hic debet nobis triginta minas.
PH. Quamobrem iſtuc? M. quia ille ita repromiſit mihi:
Si quiſquam hanc liberali aſſeruiſſet manu,
Sine controuerſia omne argentum redderet.
PH. Nunc eamus ad lenonem. M. laudo. PH. hic prius uolo
Meam rem agere. M. quid id eſt? PH. ut mihi hanc deſpondeas.
C. Quid ceſſas miles, hanc huic uxorem dare?
M. Si hæc uolt. PL. mi frater cupio. M. fiat. C. bene facis.
PH. Spondéſne miles mihi hanc uxorem? M. ſpondeo.
C. Et ego hoc idem unum ſpondeo. M. lepidè facis.
Sed eccum leno incedit, theſaurus meus.

CAPPADOX. MILES.
PHAEDROMVS. PLANESIVM.

C. ARgentarijs male credi qui aiunt, nugas prædicant.
Nam & bene & male credi dico: id adeò hodie ego expertus ſum.
NAM MALE creditur, qui nunquã reddunt, ſed prorſus perit.
Velut hic decem minas dum ſoluit, omnis menſis tranſijt.
Poſtquam nihil fit, clamore hominem poſco: ille me in ius uocat:
Peſſume metui, ne mihi hodie apud prætorem ſolueret.
Verum amici compulerunt. reddit argentum domo.
Nunc domum properare certu'ſt. M. heus tu leno, te uolo.
PH. Et ego tè uolo. C. at ego uos nolo ambos. M. ſta ſis illico,
Atq; argentum propere propera uomere. C. quid mecu'ſt tibi,
Aut tecum? M. quia ex te hodie faciam pilum catapultarium:
Atque ita te neruo torquebo itidem, ut catapultæ ſolent:
Delicatum te hodie faciam, cum catello ut accubes
Ferreo. ego dico. C. at ego uos ambo in robuſto carcere,
Vt pereatis. M. collũ obſtringe, abduce iſtum in malam crucem.
PH. Quicquid eſt, ipſe ibit potius. C. proh deûm atq; hominũ fidem,
Hoccine pacto indemnatum atque inteſtatum me arripi?
Obſecro Planeſium, & te Phædrome, auxilium ut feras.
PL. Frater obſecro te, noli hunc indemnatum perdere:
Bene & pudice domi me habuit. M. haud uoluntate id ſua.
Aeſculapio huic habeto, quòd pudica es, gratiam:
Nam ſi uoluiſſet, iampridem quoque poſſet mittere.
PH. Animum aduorte, ſi poſſum hoc inter uos ſententia componere.
Mitte iſtunc: accede huc, dicam meam ſententiam,
Siquidem uoltis, quod decrero, facere. C. tibi permittimus,
Dũ quidẽ hercle ita iudices, ne quiſquam à me argentũ auferat.
M. Quodne promiſiſti? C. quod promiſi, lingua eadem nunc nego.
Dicundi, non rem perdundi hæc gratia nata'ſt mihi.
M. Nihil agit, collum obſtringe homini. C. iamiam faciã, ut iuſſeris.
M. Quando uir bonus es, reſponde quod rogo. C. roga quod lubet.
M. Promiſiſtin' ſi quiſquam hanc liberali aſſereret manu,
Te omne argentum redditurum? C. non commemini dicere.
M. Quid, negas? C. nego hercle uerò: quo præſente? quo in loco?

Meipſe

M. *Meipſo præſente,& Lycone trapezita.* C. *non taces?*
M. *Non taceo.* C. *non ego te floccifacio,ne me territes.*
M. *Meipſo præſente,& Lycone,factu'ſt.* PH. *ſatis credo tibi.*
Nunc adeò,ut tu ſcire poßis leno meam ſententiam,
Libera hæc eſt: hic,huius frater eſt: hæc autem,illius ſoror.
Hæc mihi nubet: tu huic argentum redde. hoc iudicium meu'ſt.
M. *Tu autem in neruo iam iacebis,niſi mihi argentum redditur.*
C. *Hercle iſtam rem iudicaſti perfidioſe Phædrome,*
Et tibi oberit,& te miles,di,deæq; perduint.
Tu me ſequere. M. *quò ſequar ego te?* C. *ad trapezitam meum,*
Ad prætorem: nam inde rem reſoluo omnibus quibus debeo.
M. *Ego te in neruom,haud ad prætorẽ, hinc rapiam,ni argentum* (refers.
C. *Ego te uehementer perire cupio,ne tu me neſcias.*
M. *Itan' uerò?* C. *ita hercle uerò.* M. *noui ego hos pugnos meos.*
C. *Quid tu?* M. *quid tu rogitas? hiſce ego,ſi tu me irritaueris,*
Placidum hodie te reddã. C. *age ergo,recipe actûtum.* M. *licet.*
PH. *Tu miles,apud me cœnabis,hodie fient nuptiæ.*
M. *Quæ res bene uortat mihi,& uobis,ſpectatores: plaudite.*

ANNOTATIONES
IN CVRCVLIONEM.

SIue prima ueſpera.) Hoc eſt prima cuſtodia: uide quæ annotauimus in Amphitruonẽ: rex Creon uigiles &c.

Si ſtatus condictus.) Pugnæ cauſſa conſtitutus,quẽ nunc præfixum uocamus.

Tute tibi puer es lautus luces cereum.) Ex ueteri conſuetudine ductum,moris enim erat ut lautiores amatores,non ſine ſeruorum comitatu facibusq; ardentibus ducerentur ad meretricum domos ſtipendiarias. Vnde Perſius Chæreſtratum ridens quod Chryſidem expectaret, ita loquentem ſeruo ſuo Dauo inducit: Ebrius ante fores extincta cum face canto.

Caruit ne febris.) Codex Romanus habuit ferntis, opinor ſcriptum fuiſſe φρενῖτις. quamuis non ignorem, & Phrenetin eſſe febris accidens.

Huic proximum illud hoſtium occluſiſſimum.) Sic omnia habent exempla: legendum autem oculiſſimum non occluſiſſimum. Quod ex F. Pompeio ſcire datur, qui ait oculiſſimum ſignificare chariſſimum, adducitq́; Plautinum hoc exemplum, quamuis nonnihil uariet, addit enim ille amicæ.

Ne ſis inteſtabilis.) Nō proprie ſine teſtibus, ſed ἄτιμος.

Nemo ire quempiam prohibet.) Eraſmus in Chiliad.

Dum ne per fundum ſeptum facias.) Cautum eſt leg. xij. tabularum ne quis per fundum ſeptum iter faciat: Rus eunto, agrum ſeptum declinanto.

Ne excedat.) Aliâs excedat. Ex Nonio.

Iamne ea fert iugum.) Eraſmus in Chiliadibus ferre iugum. Theocritus etiam puellam innuptam uocat ἄζυγα κόραν, quaſi dicas puellam non ferentem iugum.

Semper tu ſcito flamma fumo proxima.) Eraſmus in Chiliadibus explicat.

Qui nucleo.) Vulgatiſſima parœmia.

Pangit ſaltem.) Aliter pandit legitur.

In Aeſculapi phano.) Vide Strabonem in deſcriptione Epidauri.

Alias talentum magnum.) De talento magno uide G. Budæum lib. de aſſe, & partibus. & Leonardum Portium de ponderibus.

Quaſi tu lagenam dicas eſſe ubi uinum ſolet.) Nonius pro ſolet, inſolet habet.

Chium.) Inter tranſmarina uina poſt Thaſium Chium excellentiſſimum habebatur apud Romanos, ut tradit Plinius cap. 7. lib. 14. & Strabo lib. 14. ubi de Aruiſio Chiæ promontorio.

Voltis ne oliuas, aut pulpamentum, aut caparim.) Plures ſunt qui malunt legere, ad pulpamentum, neſcio, qua ratione, cum nullius pulpæ mentio fiat. Cæterum quod oliuas & caparim dicit, uult ſignificare hęc condimenta in crapulis & ebrietatibus conuenientiſſima. Vtuntur his colymbadibus & cappari adhuc, in quibus Solomon rex luxuriem eſſe dixit, hancq́; ob cauſam puto Zenonem Citienſem iurare ſolitum per Capparim, ut Socrates per canem & anſerē.

Vt ueteris uetuſti cupida ſum.) Nonius uenuſta.

Nam omnium odor unguentûm.) Ita legendum eſt non unguentorum, ex Nonio: hoc modo in dictione nautea hęc adducentem.

Peta-

Petalium.) Foliatum uocant nunc, πέταλ☉ folium.

Quadrantal.) Id eſt, κεράμιον quod octo continet congios, ſinguli congij, tres menſuras uulgares Colonienſes. ui de Budæum de aſſ.

Vindemia hæc huic anui.) Significat adeo bibacem anum, ut omne uinum quod eo anno prouenturum ſit parum ſit illius ſiti.

Profunde in barathrum.) Hac metaphora ſæpe & non ſine delectatione uſus dicitur Antonius Pius, cum ebrioſos notaret.

Mihi haud ſæpe tales hæreditates.) Eraſmus in Chiliadib. ſine ſacris hæreditas.

Ecce autem bibit arcus, pluet.) Vide Cœlium Rhod. libro 7. cap. 29.

Si illa ad me betet.) Adiectum erat in margine bitet eſſe aliàs legendum: ſanè Nonius Betere ire ſignificare dicit, niſi forte illi ibitet legerint, quemadmodum nobis codex lectus, in quo hæc uox ſcripta erat.

Lydi barbari.) Interpretes quotquot ſunt exponunt hoc, quaſi Phædromus iuſſiſſet, ut peſſuli cũ alacritate ſubſilirent, imitati hiſtriones ſaltantes qui à Lydis originem duxerunt. At ſi acrius rem introſpiciamus, procul dubio poëtam dicemus ad Lydorum mores alludere, qui putantur furaciſſimi quiq;, ianuas ea cura claudere ſolent, ut ſtrepitum non facerent, quo proderentur & pœnam ſtultæ rapacitatis darent. Vide Chil. Lydus oſtium clauſit.

Peſſuli peſſumi.) Sic ferè legitur in omnibus quos uiderim codicibus, unus tamen à blattis tineisq; iampridem uindicatus, peſſuli geminat, neque peſſumi adiunctum eſt. hoc modo:

Hoc uide ut dormiunt peſſuli, peſſuli. quaſi peſſulos ſopitos iam inuocaret.

Et crepitum cardinum.) Aliter ſtrepitum; quod tamen ab alio, non à poëta, adiectum crediderim.

Foribus dat aquam, quam bibant.) In alijs foribus dat aquam, aquam ut bibant. prior ut ſuauior, ita planè Plautinæ elegantiæ conuenientior.

Vbi tu es qui me conuadatus Venerijs uadimonijs.) Vide Anno. Bud. in pandect.

Mel merum.) Aliàs meum.

Sibi pugnas ſibi prælia.) Nonius hunc uerſum ex Varronis pa-

nis papię pappa citat, atq; nō prelia ſed mœnia habet, ut au
tem te fallit autoris nomen, ſic lectio illa forte minime.

Quid tu Veneri &c. Nam hoc quidem ædepol.) Alludit ſimul ad ἑωσφόρον ſtellam Veneris.

Meo more dormio.) Sic habet uera lectio neq; ſubſtituẽdum meo in amore, ut ὁ κεραοβόλος ille feciſſe ſe iactat.

Cum nocturnis oculis.) Malim legas noctuinis, cum ratio menſuraq; carminis admittat, noctuinis autem id eſt cæſijs, glaucis, color in mulierum oculis laudatiſſimus. quis enim non nouit hoc Homericum γλαυκῶπις ἀθηνῆ?

Ebriola.) Iam hoc caſtigarunt ex Nonio. quum prius habebatur ebrioſa.

Perſolæ nugę.) Commentatores perſolas dictionem putant compoſitam à per & ſolus, quaſi meras nugas. fortaſſe hinc quoniam in quibuſdam codicibus duæ dictiones uidebantur. Per ſolæ, per tamen grandior ubiq; litera. Eraſmus deductam putat à Perſarum nenijs qui montes aureos nunquàm non iactare ſoliti erant.

Noli amabo uerberare lapidem.) Eraſmus inter adagia refert, cæterum ſi forte ambigas, cur pro perdas lædas habeat Eraſmi liber, ſcias uelim in citandis autoribus doctos uiros non eſſe anxios, neque ſcrupuloſos.

Cedo mihi contra orichalcho.) Ex hoc loco facile datur intelligi omnibus metallis orichalcum fuiſſe precioſius.

Bene uale ocule mi.) Quicquid uehementer carum, ut inquit poſt Feſtum Pomp. Eraſ. oculum appellamus.

Aedituūq; aperire phanū.) Guarinus Veronenſis in caſtigatiſſimis Plauti codicibus æditimus pro æditiuus legiſſe ſe contendit, opinor ex cap. 10. Gell. lib. 11. petita occaſione.

Vindictam paras.) Alij codices uindicias para, rurſus alij uindictam paras, nec deſunt qui pro uindicta inducias legendum aſtruant.

Nam quaſi Zona liene cinctus ambulo.) Ariſtoteles lib. 3. de partibus, id propter humoris in lienem confluuium fieri autumat, hos autem uocant Lienoſos.

Cum collatiuo uentre.) O magnam nugatorum impudentiam, qui pro collatiuo, collapſiuo ſupponere auſi fuiſtis. an ne uobis Feſtus Pompeius præceptor eſſe poterat, qui collatiuum legendum docet?

Nouiſſe iamiam noui.) Poſt illum uerſum codices quidam addunt, Templum Aeſculapij qui cuſtodit perpetim.

Cæterum cum ratio carminis reclamet adulterinum eſſe, reliquimus.

Choriæ omnes dolent.) Quid ſit choria, fateor me planè neſcire: Interpretes inteſtinorum unum eſſe, ſic appellatum à Græcis docēt. in quam ſententiam ut eam, facit cum Philippi Beroaldi hominis in autoribus exponendis inſigniter docti autoritas, qui hanc lectionem γνησίαν eſſe contendit: tum quod Græci χόρδαψον inteſtinorum affectum uocant non ἀπὸ τοῦ χορδῆς ut apparet, ſed à χορία ſiue χόριον, δ interpoſita ne ſonaremus χορίαψος. Niſi dicamus hic χόρια teſticulorum receptacula eſſe: ſic enim uocāt hœdorum agnellorumq; uáſa. Significat etiam χόριον edulij genus ex melle lacteq; compoſitum. Pius autem χολάδες poſt omnes ſolus auſus eſt legere, quam dictionem interpretatur Cœlius lib. 2. cap. 46.

Ambula, id lieni optumū'ſt.) κατ' ἀντίφρασιν.

Qui tibi in iureiurando.) Hoc eſt per quem peierare ſolitus, ſi quid peccaras, quo pœnam effugeres.

Hac noctu.) Solent ſiquidem ęgrotantes tamdiu in phano dei huius decumbere, quouſque per ſomnium reſponſa, aut ſalubria, aut inſalubria accepiſſent, ut eſt uidere in epiſtolis Hippocraticis. Sed & Strabo meminit in Epidauro.

Dum ego hic officium facio, fugite.) Poſt facio additum inuenies in nōnullis frugi, à Librarijs hoc adiectū ſuſpicor.

Nec ſtrategus, nec tyrannus quiſquā, nec agoranomus.) Græcæ hæ dictiones ſunt: ςράτηγος enim dicitur qui præeſt exercitui, quem tum imperatorem, tum tribunum uocant, aliter à Græcis ςράταρχος dictus. τύραννος, ipſe rex ſiue imperator, hæc dictio apud ueteres de rege non ſæuo modo, ſed miti etiam dicebatur, autor Chæroboſcus, nunc uero παράνομον καὶ ἀπάνθρωπον regem τύραννον uocamus. ἀγορανόμος autem magiſtratus qui curam fori uenalium (ſic enim uocamus ἀγορὰν) habebat. hic mercatui legem pręſcribebat curabatq; ſi precium iniquum, ſi menſura minor, ſi parum ſyncerum oleum. δήμαρχος tribunus plebis, κώμαρχος qui curat caſtellum aliquod & uicum. putant κώμαρχον Plutarchum dixiſſe proconſulem.

Tum iſti Græci palliati, capite operto.) Pallium erat Gręcorum & philoſophorum, quemadmodum eſt uidere in Gel. lib 9. cap. 2. in græculos illud ſcomma Herodis. Cæterum duplex lectio hoc loco eſt, habent enim quidam capite

aperto,

aperto, ita enim fere mendicorum filij ſtipem ὀβ ἄρτοις pete re ſolent, quidam rurſus operto Græcorum Philoſophorum more, quo cerebrum illud ἀθηνᾶς arcem à tempeſtatibus illæſum ſeruarent.

Suffarcinati cum libris & ſportulis.) Quod Pius liberis pro libris legit, nõ aberrat à ſcopo, & illius planè hoc in loco iudicio ſubſcribo, ita enim ferè in uetuſtis legere eſt, & rationi non omnino diſſentaneum habetur. Sportulæ autem nõ aliæ intelligendæ, quàm mendicorum aſſidua promptuaria.

In œnopolio.) οἰνοπώλιον taberna in qua uenditur uinum, caue legas Hermopolium cum gloſſatoribus.

Operto capitulo caldum bibunt.) Tunc honeſtius agere uolentes deſident in thermopolijs.

Et datores & fautores.) Hæc uera Plauti lectio, non ut Merula fartores, neq; ut Pius factores.

Os amarum habeo.) Ludo. Cœlius lib. 7. ca. 45. doctè ut omnia Plautinam ſententiam explicat.

Vocat ad cœnam, religio fuit, denegare nolui.) Vide Budæi annotationes in pandect. Religio fuit.

Iacto baſiliſcum.) Solebant ſortiri talis quempiam qui conuiuio præſideret, qui βασιλέα, id eſt, regem iactabat, hunc præficiebant ſympoſio & συμποσίαρχον uocabant, qui iactabat ὄνον, id eſt, aſinum, ſubiectus erat ſympoſiarcho. uide plura apud Eraſmum in Adag. aut bibat aut abeat.

Panis & aſſa bubula.) Ita legitur in omnibus, mirũ quod non caſtigarunt, cum debebat eſſe, pane ut adducit Nonius in dictione panis, eſt enim hic neutri generis pane.

Superſtitioſus.) Superſtitioſus pro numine afflatus, & hoc Græcorum more.

Incomitiare & inforare.) Ficta ſunt à poëta pro in comitia & forum uocare, ſcilicet ad tribunal.

Ab Terapontigono platigodoro &c.) Eraſmus unicam dictionem continuam putat, uide Chiliad. Hamaxiæa.

Quem omnes uocant.) Vide Cœlium lib. 6. cap. 18.

Clypeatus elephantum ubi machæra diligit.) Aliter & forte melius diuidit, in quibuſdam etiam diſſicat ſed ſuppoſititium hoc.

Meus eſt hamum uorat.) Vide Chiliad. Hamum uorare.

Perediam & bibeſiam.) Lege Feſt. Pomp. (pertulit.

Qui monet quaſi adiuuat.) Vide Chiliad. Bene plauſtrũ

Halo-

Halophanta.) Nonius legit halophanta, & hominum genus nequam, quod ad ſuenda mendacia miſerrima mercede conducitur, eſſe dicit. Feſtus Alapanta habet, aliunde deflexa uoce, ut ſignificet omnia mentientem ἄλην enim Græci πλάνην, id eſt, fallaciam dicunt.

Ornamenta quæ locaui.) Vide Budęanas annotationes in pand. in dictione Choragus.

In comitium.) Vbi litium cauſſæ tractabantur.

Apud Cluacinæ ſacrum.) De Cluacina Venere, & huius ſacro lege Plin. lib. 15. cap. 29.

Apud forum piſca.) Vide Varro. lib. 4. de ling. la.

In foro imo.) Loquitur de tribus foris Roma. de quibus Cœlius lib. 15. cap. 10.

Canalem.) In foro canales fuiſſe docet Feſtus in dictione Canalicolæ.

Supra lacum.) Lacus à Curtio nobili Romano Lacus Curtius dictus eſt, teſte Var. Niſi dicas poëtam loqui de lacu Cutilienſi, de quo idem lib. 4. de lingua latina.

Sub ueteribus.) Sub ueteribus locus erat in foro quēadmodum & ſub nouis, utriuſq; autem loci meminerunt ueteres autores. Vide caſtigatio. Hermolai in Pli. 15. cap. 4. Annotatio. in Sueto. Ioan. Baptiſt. Aeg.

Pone ædem Caſtoris.) Vide Budæanas annotationes in pandect. in dictio. foro cedere.

Thuſco uico.) Vide in Varro. loco ſupradicto.

Velabrum.) Velabrum locus erat Romæ, in quo olearij diſtrahebant oleum, teſtis Varro.

Leucadiam oppiam.) Oppiam magis defendendam hāc lectionem puto, quàm caſtigandam, niſi oppimiam malis, ab Oppio monte de quo Varro.

Si quiſquàm hanc liberali cauſa.) Aſſertor eſt iudex, qui aliquem uindicat in libertatem, & ea controuerſia liberalis cauſa dicitur.

Aliquā reperitis rimam.) Vide Chilia. Rimam reperit.

Hic hodie apud me nunquam delinges ſalem.) Ibidem, ſalem lingere.

Volſellæ.) Medicamina ſunt depilatoria, à Græcis ψιλωθρα dicta.

Axitia.) Genus eſſe lixiuij docet Georgius Alex. in annotat. in Columel.

Expuncto in manipulo.) Vide annotat. Bud. pandect.

Si uis

Si uis tribus bolis chlamydem.) Vide Chiliad. tribus bolis. Animaduertendum autem eſt in multis codicibus poſt bolis aſſcriptum eſſe uelim, quam lectionem Eraſmus etiã probare uidetur.

Non licet anteſtari.) Vide commentaria græcæ linguæ Budei.

Indemnatum atq; inteſtatum.) Id eſt, ἀκρίτως.

M. ACTII PLAVTI

CASINA.

DRAMATIS PERSONAE.

PROLOGVS.
CHALINVS, *ſeruos.*
OLYMPIO, *uillicus.*
CLEOSTRATA, *uxor.*
PARDALISCA, *ancilla.*
MYRINA, *ancilla.*
STALINO, *ſenex.*
ALCESIMVS, *ſenex.*
COQVVS.
ANCILLAE.
GREX.

ARGVMENTVM.

COnſeruam, uxorem duo conſerui expetunt.
Alium ſenex allegat, alium filius.
Sors ſenem adiuuat: uerum decipitur dolis,
Ita ei obijcitur pro puella ſeruolus
Nequam, qui dominum multat atque uillicum.
Adoleſcens ducit ciuem Caſinam cognitam.

ALIVD ARGVMENTVM.

STalino ſenex puerq; filius amabant Caſinam quam domi habebant puellam olim expoſititiam. uerebatur uxorem ſenex, adoleſcens patrem, pater allegat Olympionem uillicum, filius ſeruum Chalinum: uterq; petit ſibi eam uxorem dari, filium ne impedimento ſit, peregre ablegat pater. Cleoſtrata ſenis uxor re percepta fauet abſenti filio, Chalinoq; ſeruo: ſenex contrà uillico, conueniunt ut cui ſors obtigerit, uxor puella tradatur. adiuuatur ſorte ſenex, ac uillicus Olympio, parantur nuptiæ, rogat ſenex uicinum Alceſi-

Alceſimū, ut priuſquam rus mittatur noua nupta domum ſibi commodet, ut puella liceat nocte potiri. id ægre ferens Cleoſtrata ac Chalinus pariter, quærunt utroſq; dolis fallere. pro muliere ſubornatur Chalinus, manetq; amatores in uicini domo. Olympio calcibus & pugnis plectitur à Chalino: ſenex itidem adiens peſſume habetur, req; palàm facta habetur ludibrio ſenex. poſtremo cognita Caſina uicini filia, uxor traditur ſenis amanti filio.

PROLOGVS.

SALVEre iubeo ſpectatores optumos:
Fidem qui facitis maxumi, & uos fidei,
Si uerū dixi, ſignum clarum date mihi,
Vt uos mihi æquos iam inde à principio ſciam,
Qui utuntur uino uetere, ſapiētes puto:
Et qui lubenter ueteres ſpectant fabulas.
Aequom'ſt placere antè ueteres fabulas.
Nam nunc nouæ quæ prodeunt comœdiæ,
Multò ſunt nequiores, quàm nummi noui.
Nos poſtquam populi rumore intelleximus,
Studioſe expetere uos Plautinas fabulas,
Antiquam eius ædimus comœdiam,
Quam uos probaſtis, qui eſtis in ſenioribus:
Nam iuniorum qui ſunt, non norūt ſcio:
Verum ut cognoſcant, dabimus operam ſedulò.
Hæc quom prima acta'ſt, uicit omneis fabulas,
Ea tempeſtate flos poëtarum fuit.
Qui nunc abierūt hinc in communem locum,
Abſentes proſunt, ſed tamen præſentibus.
Vos omneis opere magno oratos eſſe uolo,
Benigne ut operam detis ad noſtrum gregem.
Ducite ex animo curam, atque alienum æs,
Ne quis formidet flagitatorem ſuum.
Ludi ſunt, ludus datus eſt argentarijs.
Tranquillum eſt, alcedonia ſunt circa forum,

Ratione utuntur, ludis neminem poſcunt:
Secundum ludos reddunt autem nemini.
Aures uotiuæ ſi ſunt, animum aduortite:
Comœdiæ nomen huius dare uobis uolo.
CLERVMENE hæc uocatur comœdia
Græce, Latine Sortientes. Diphilus hanc
Scripſit: poſt id, eam rurſum denuo
Latinè PLAVTVS cum latranti nomine.
Senex hic maritus habitat: ei eſt filius:
Is unà cum patre in illiſce habitat ædibus.
Eſt ei quidam ſeruos, qui in morbo cubat,
Immò herclè uerò in lecto, ne quid mentiar.
Is ſeruos (ſed ab hinc annos factu'ſt ſedecim)
Quom conſpicatus eſt primo crepuſculo
Puellam exponi, adit extemplo ad mulierem,
Quæ illam exponebat: orat ut eam det ſibi.
Exorat: aufert. detulit rectà domum:
Dat heræ ſuæ: orat ut eam curet, educet.
Hera facit, educauit magna induſtria,
Quàm ſi eſſet ex ſe nata, non multo ſecus.
Poſtquam hæc adoleuit ad eam ætatem, ut uiris
Placere poſſet, amare eam puellam hic ſenex
Efflictim occipit, & item contrà filius.
Nunc ſibi uterque contrà legiones parat,
Pater, filiusq́; clam alter alterum.
Pater allegauit uillicum, qui poſceret
Sibi iſtam uxorem. is ſperat, ſi ei ſit data,
Sibi fore paratas clam uxore excubias foris.
Filius autem armigerum allegauit ſuum,
Qui ſibi eam uxorem poſcat. ſcit ſi id impetret,
Futurum, quod amat, intra præſepeis ſuas.
Senis uxor ſenſit amori uirum operam dare:
Propterea unà conſentit cum filio.
Ille autem poſtquam ſenſit filium ſuum

Eundem illam amare, & eſſe impedimento ſibi,
Hinc adoleſcentem peregre ablegauit pater.
Sciens mater, ei dat operam abſenti tamen.
Is, ne expectetis hodie in hac comœdia,
In urbem non rediuit, Plautus noluit:
Pontem interrupit, qui erat in itinere.
Sunt hic, quos credo nunc inter ſe dicere:
Hercle quid iſtuc eſt? ſeruiles nuptiæ?
Seruine uxorem ducent? aut poſcent ſibi?
Nouom attulerunt, quod ſit nuſquam gentium.
At ego aio, hoc fieri in Græcia, & Carthagini,
Et hic in noſtra terra, atque in Apulia,
Maioreq; opera ibi ſeruiles nuptiæ
Quàm liberales etiam curari ſolent.
Id ni fit, mecum pignus ſi quis uolt, dato
In urnam mulſi, Pœnus dum iudex ſiet,
Vel Græcus adeò, uel mea cauſſa Apulus.
Quid, nunc nihil agitis, ſentio, nemo ſitit.
Reuortar ad illam puellam expoſititiam,
Quam ſerui ſumma ui ſibi uxorem expetunt:
Ea inuenietur & pudica, & libera,
Ingenua, Athenienſis: neque quicquam ſtupri
Faciet profecto in hac quidem comœdia.
Mox hercle uerò poſt, tranſacta fabula,
Argentum ſi quis dederit, ut ego ſuſpicor,
Vltro ibit nuptum, non manebit auſpices.
Tantu'ſt: ualete: bene rem gerite, & uincite
Virtute uera, quod feciſtis antehac.

ACTVS PRIMVS.

CHALINVS, & OLYMPIO, *ſerui.*

C. *NOn mihi licere meam rem me ſolum, ut uolo, loqui, atque cogitare,*
Sine te arbitro? quid tu, malùm, me ſequere?
O. *Decretum eſt mihi, quaſi umbra, quoquò ibis, te perſequi.*

Quin ædepol etiam ſi in crucem uis pergere, ſequi decretu'ſt.
Dehinc conijcito cæterum, poßiſne, nécne, clàm ſutelis tuis
Præripere Caſinam uxorem périnde ut poſtulas.
C. Quid tibi negocij mecu'ſt? O. quid ais impudens?
C. Quid in urbe reſtas uillice hic non magni precij?
O. Lubet. C. quin ruri es in præfectura tua?
Quin potius quod legatu'ſt tibi negotium,
Id curas, atque urbanis rebus te abſtines?
Huc uenisti ſponſam præreptum meam? abi rus,
Abi directus tuam in prouinciam.
O. Chaline, non ſum ego oblitus officium meum:
Præfeci ruri rectè qui curet. tamen
Ego huc quòd ueni in urbem, ubi impetrauero,
Vxorem ut iſtanc ducam, quam tu deperis,
Bellam, & tenellam Caſinam conſeruam tuam,
Quando ego eam mecum rus uxorem abduxero,
Rure incubabo uſque in præfectura mea.
C. Tu illam ducas? hercle me ſuſpendio,
Quàm tu eius potitor fias, ſatiu'ſt mortuum.
O. Mea præda'ſt illa: proin' tute in laqueum ne duas.
C. Ex ſterquilinio effoſſa tua illæc præda'ſt.
O. Scies hoc ita eſſe. C. uæ tibi. O. quot te modis,
Si uiuo, habebo in nuptijs miſerum meis?
C. Quid tu mihi facies? O. egóne quid faciam tibi?
Primùm omnium huic lucebis nouæ nuptæ facem:
Poſt illa, ut ſemper improbus, nihilq; ſis,
Poſt id locorum, quando ad uillam ueneris,
Dabitur tibi amphora una, & una ſemita,
Fons unus, unum ahenum, & octo dolia,
Quæ niſi erunt ſemper plena, ego te implebo flagris.
Ita te aggerunda curuom aqua faciam probè,
Vt ex te poſtilena poßiet fieri.
Póſt autem, niſi ruri tu eruum comederis,
Aut quaſi lumbricus terram, quod tu poſtules

Guſta-

Guſtare, quicquam nuſquam ædepol gentium,
Ieiunum æque'ſt, atque ego te ruri reddibo.
Poſt id, quom laſſus fueris & famelicus,
Noctu ut condigne recubes, curabitur.
C. Quid facies? O. concludêre in feneſtram firmiter,
Vnde auſcultare poßis, quom ego illam oſculer,
Quom mihi illa dicet, mi animule, mi Olympio,
Mea uita, mea mellilla, mea feſtiuitas,
Sine tuos ocellos deoſculer uoluptas mea,
Sine ámabo te amari meus feſtus dies,
Meus pullus, paſſer, mea columba, mi lepus.
Quom mihi iſtæc dicentur, tum tu furcifer,
Quaſi mus in medio parietis uorſabere.
C. Nunc, ne tu reſpondere poſtules me tibi,
Abeo intrò, tædet ſermonis tui. C. te ſequor:
Hic quidem pol certè nihil ages ſine me arbitro.

ACTVS SECVNDVS.

CLEOSTRATA, coniunx, & PARDALISCA, ancilla.

C. OBſignate cellas, referte anulum ad me,
Ego huc tranſeo in proxumum
Ad meam uicinam: uir ſi quid me uolet, facite hinc me acccerſatis.
P. Prandium iuſſerat ſenex ſibi parari. C. ſta, tace, atque abi:
Neque paro, neque hodie coquetur, quandò is mihi & filio
Aduorſatur ſuo, animi amoriſq; cauſſa ſui
Flagitium illud hominis: ego illum fame, ego illum ſiti,
Maledictis, malefactis amatorem ulciſcar probè:
Ego illum incommodis angam: faciam périnde uti dignu'ſt,
Vitam colat, Acheromis pabulum, flagitij perſequens,
Stabulum nequitiæ. nunc hinc fortunas meas eo queſtum
Ad uicinas. ſed foris concrepuit. atque ea ipſa eccam foras
Egreditur: non pol hoc mihi per tempus inceptum eſt iter.

MYRINA, & CLEOSTRATA.

M. Sequimini comites in proximum me huc. heus uos, ecquis hæc
Audit, quæ loquor? ego hic ero, uir ſi aut quiſpiam quæret:
Nam ubi domi ſola ſum, ſopor manus caluitur. iuſsin'
Ferri mihi colum? C. Myrrina ſalue. M. ſalue Cleoſtrata.
Sed quid tu es triſtis ámabo? C. ita ſolent omnes quæ ſunt male
Nuptæ: domi & foris quod ægre ſit, ſatis ſemper eſt.
Nam ego ibam ad te. M. ædepol ego iſtuc ad te. ſed quid eſt,
Quod tuo nunc animo ægrè eſt? nã quod tibi eſt ægre, idem mihi
Diuiduæ. C. credo ecaſtor: nam uicinam neminem
Amo merito magis, quàm te, nec quàm plura ſunt mihi,
Quæ ego ipſa uelim. M. amo te, atq; iſtuc ſcire expeto quid eſt.
C. Vir me peſſumis meus habet deſpicatam modis, nec mihi
Meum ius obtinendi optio eſt. M. hoc quid eſt? dic idem hoc
Obſecro: nam pol haud ſatis meo corde accepi
Querelas tuas. C. uir me peſſumis habet deſpicatam modis.
M. Mira ſunt, ſi uera prædicas: nam ius uiri ſuum
Ad mulieres haud obtinere queunt. C. quin mihi ancillam
Ingratis poſtulat, quæ mea'ſt, quæ meo educata ſiet
Sumptu, ſuo ſe uillico dare: ſed ipſus eam amat.
M. Obſecro tace: nam nunc hic licet dicere, nos ſumus. C. ita'ſt.
M. Vnde ea tibi'ſt? NAM PECVLI probã nihil habere addecet
Clàm uiro, & quæ habet partum, ei haud commodi'ſt, quin uiro aut ſubtrahat,
Aut ſtupro inuenerit. hoc uiri cẽſeo eſſe omne, quicquid tuũ eſt.
C. Tu quidem aduorſum tuam amicam loqueris omnia. M. tace ſis
Stulta, & mihi auſculta: noli, ſis, tu illi aduorſari:
Sine amet, ſine quod lubet, id faciat, quandò tibi nil domi
Deliquom'ſt. C. ſatin' ſana es? nam tu quidem aduorſus tuam
Iſtam rem lóquere. M. inſipiens ſemper tu, huic uerbo uita
Ab tuo uiro. C. quoi uerbo? M. i foras. C. mulier es tu, tace.
M. Quid eſt? hem quis eſt, quem uides? C. uir eccum it. intrò abi, adpropera.
M. Age ámabo impetras. abeo. C. mox magis quando otium

Mihi,

Mihi, & tibi erit, igitur tecum loquar: nunc uale. M. ualeas.

STALINO, ſenex. & CLEOSTRATA, uxor.

S. OMNIBUS rebus ego amorē credo, & nitoribus nitidis
Anteuenire: nec pote quicq̃ cōmemorari, quod plus ſalis,
Plusq; lepôris habeat hodie. coquos equidem nimis
Demiror, qui tot utuntur condimentis: eos eo
Condimento uno non utier, quod præſtat omnibus.
NAM VBI amor condimentū inerit, quoiuis placiturū credo.
Neq; ſalſum prorſus, neq; ſuaue eſſe poteſt quicquam, ubi amor
Non admiſcetur. fel quod eſt amarum, id mel faciet:
Hominem ex triſti lepidum, & lenem. ego hãc de me coniecturã
Domi facio, magis quàm ex auditis: qui poſtquam amo
Caſinam, magis inijcio munditijs, munditiam deo:
Myropolas ſollicito omneis, ubicunq; unguentum'ſt lepidum,
Vngor, illi ut placeã. & placeo, ut uideor: ſed uxor me excruciat,
Quia uiuit. triſtem aſtare aſpicio, blandè hæc mihi (mala res)
Appellanda'ſt. uxor mea, mea amœnitas, quid tu agis?
C. Abi, atq; abſtine manum. S. eia mea Iuno, non te eſſe decet
Tam triſtem tuo Ioui. quò nunc abis? C. mitte me. S. mane.
C. Non maneo. S. at pol ego te ſequar. C. obſecro ſanún' es?
S. Sanus: quàm te deamo? C. nolo ames. S. non potes impetraſſere.
C. Enicas. S. uera dicas uelim. C. credo ego iſtuc tibi. S. reſpice ô mi lepos.
C. Nēpe ita, ut tu mihi es. unde hic amabo unguēta olēt? S. oh peri,
Manufeſtò miſer teneor: ceſſo caput pallio obtergere?
Vt te bonus Mercurius perdat. myropola, qui hæc mihi.
C. Eho, ô tu nihili, cana culex, uix teneor, quin quæ te decent:
Senecta ætate unguentis perlitus ignaue incedis?
S. Pol amico dedi quoidam operam, dum emit unguenta. C. ut cito
Commentatus eſt: ecquid te pudet? S. omnia quæ tu uis. C. ubi
In luſtra iacuiſti? S. egóne in luſtra? C. ſcio plus, quàm tu me
Arbitrare. S. quid id eſt, quod tu ſcis? C. te ſene omnium
Neminem eſſe ignauiorem. unde is nihili? ubi fuiſti? ubi
Luſtratus? ubi bibiſti? * id eſt mecaſtor palliolum, * adeſt

Vide ut rugat. S. di me, & te infelitem, ſi ego in os meum
Vini guttam indidi. C. imò age ut lubet, ede, bibe, diſperde rem.
S. Ohè iam ſatis uxor eſt, comprime te: nimium tinnis: relinque
Aliquantum orationis, cras quod mecum litiges.
Sed quid ais? iam domuiſti animum, potius ut quid uir uelit
Fieri, id facias, quàm aduorſere contrà? C. qua de re? S. rogas?
Super ancilla Caſina, ut detur nuptum noſtro uillico,
Seruo frugi, ubi illi bene ſit, ligno, aqua calida, cibo,
Veſtimentis, ubique educet pueros, quos ea pariat
Potius, quàm illi ſeruo nequam, armigero, nihili, atq; improbo,
Quoi homini hodie peculi nummus non eſt plumbeus.
E. Mirum ecaſtor, ſenecta ætate te officium tuum
Non meminiſſe. S. quid iam? C. quia ſi facias rectè & commodè,
Curare ſinas me ancillas, quæ mea'ſt curatio.
S. Quî, malum, homini ſcutigerulo lubet dare? C. quia enim
Filio nos oportet opitulari unico. S. at quanquam unicus,
Nihilo magis unicus ille'ſt mihi filius, quàm ego illi pater.
Illum mihi æquius eſt, quàm me illi, quæ uolo, concedere.
C. Tu ecaſtor tibi homo malã rem quæris. S. ſubolet ſentio. egon'?
C. Tu: nam quid frigutis? quid iſtuc tam cupide cupis?
S. Vt enim frugi ſeruo detur potius, quàm ſeruo improbo.
C. Quid ſi ego impetro, atque exoro à uillico, cauſſa mea
Vt eam illi permittat? S. quid ſi ego autẽ ab armigero impetro,
Eam illi permittat? atque hoc credo impetraſſere. C. conuenit.
Vis tuis Chalinum huc euocem uerbis foras? tu orato eum,
Ego autem orabo uillicum. S. ſanè uolo. C. iam hic erit:
Nunc experiemur, noſtrum uter ſit blandior. S. Hercules,
Diq; iſtam perdant, quod mihi nunc liceat dicere.
Ego diſcrucior miſer amore: illa autem, quaſi ob induſtriam,
Mihi aduorſatur. ſubolet iam uxori, quod ego machinor:
Propter eam rem magis armigero dat operam de induſtria.

STALINO, ſenex. CHALINVS, ſeruos.

VT illum di omnes perdant deæq;. C. uxor te aiebat tua
Me uocare. S. ego eñ uocari iuſſi te. C. eloquere qd uelis.

Primùm

S. Primùm ego te porrectiore fronte uolo mecum loqui.
STVLTITIA'ST, ei te eſſe triſtẽ, quoius poteſtas plus poteſt.
Pol bonæ frugi hominẽ te iam pride eſſe arbitror. C. intellego:
Quin ſi ita arbitrare, emittis me manu? S. quin id uolo:
Sed nihil eſt cupere me factum, niſi tu factis adiuuas.
C. Quod uelis modo, id uelim me ſcire. S. auſculta, ego loquar:
Caſinam ego uxorem promiſi uillico noſtro dare.
C. At tua uxor, filiusq; promiſerunt mihi. S. ſcio:
Sed utrum nunc ea cœlibem te mauis eſſe liberum:
An maritum ſeruom ætatem degere, & gnatos tuos:
Optio hæc tua'ſt: utram harum uis conditionem, accipe.
C. Liber ſi ſim, periclo meo uiuam, nunc uiuo tuo.
De Caſina, certu'ſt concedere homini nato nemini.
S. Intrò abi, atque actûtum uxorem huc euoca ante ædes cito:
Et ſitulam huc afferto cum aqua, & ſorteis. C. ſatis placet.
S. Ego pol iſtam iam aliquò uorſum tragulam decidero.
Nam ſi ſic nihil impetrare potero, ſaltem ſortiar:
Ibi ego te, & ſuffragatores ulciſcar tuos. C. attamen
Mihi obtinget ſors. S. ut pol quidem pereas cruciatu malo.
C. Illa nubet mihi, machinare quod lubet quouis modo.
S. Abin' hinc ab oculis? C. inuitus me uides, uiuam tamen.
S. Súmne ego miſer homo? ſatin' omnes res ſunt aduorſæ mihi?
Iam metuo ne Olympionem mea uxor exorauerit
Ne Caſinam ducat. ſi id factu'ſt, ecce me nullum ſenem.
Si non imperauit: ſpicula etiam inſortita ſunt mihi:
Si ſors autem decollaßit, gladium facit culcitram,
Eumq; incumbam. ſed eccum optume progreditur Olympio.

OLYMPIO, uillicus. STALINO, ſenex.

O. VNa ædepol opera in furnum calidum condito,
Atque ibi torreto me pro pane rubido hera,
Quàm iſtanc operam à me impetres, quod poſtulas.
S. Saluos ſum, ſalua ſpes eſt, ut uerba audio.
O. Quid iſtac tu me hera libertate territas?
Quid? ſi tu nolis, filiusq; etiam tuus,

Vobis inuitis, atque amborum ingratijs,
Vna libella liber poſſum ego fieri.
S. Quid iſtuc eſt? qui cum litigas Olympio?
O. Cum eadem, qua tu ſemper. S. cum uxorene hem mea?
O. Quam tu mihi uxorem? quaſi uenator tu quidem es,
Dies atque noctes cum cane ætatem exigis.
S. Quid ait? quid tecum loquitur? O. orat, obſecrat,
Ne Caſinam uxorem ducam. S. quid tu poſtea?
O. Negaui enim ipſi me conceſſurum Ioui,
Si is mecum oraret. S. di te ſeruaßint mihi:
Nunc in fermento tota'ſt, ita turget mihi:
Aedepol ego illam mediam diruptam uelim.
O. Credo ædepol, ſi tu quidem frugi bonæ es.
Verùm ædepol tua mihi odioſa'ſt amatio:
Inimica'ſt tua uxor mihi, inimicus filius,
Inimici familiares. S. quid id refert tua?
Vnus tibi hic dum propicius ſit Iupiter,
Tu iſtos minutos deos flocciſeceris.
O. Nugæ ſunt iſtæ magnæ: quaſi tu neſcias
Repente ut emoriantur humani Ioues.
Sed tandem ſi tu Iupiter ſis emortuus,
Quom ad deos minores redierit regnum tuum,
Quis mihi ſubueniet tergo, aut capiti aut cruribus?
S. Opinione melius res tibi habeat tua,
Si hoc impetramus, ut ego cum Caſina cubem.
O. Non hercle opinor poſſe: ita uxor acriter
Tua inſtat, ne mihi detur. S. ego ſic agam,
Conijciam ſorteis in ſitellam, & ſortiar
Tibi & Chalino. ita ego rem natam intellego,
Neceſſu'ſt uorſis gladijs depugnarier.
O. Quid ſi ſors aliter, quàm uoles, euenerit?
S. Benedice: dis ſum fretus, deos ſperauimus.
O. Non ego iſtud uerbum empſitem titiuilicio.
NAM OMNES MORTALES dis ſunt freti: ſed tamen

Vidi

Vidi ego dis fretos ſæpe multos decipi.

S. Tace parum tu. O. quid uis? S. eccum exit foras

Huc Chalinus intus cum ſitella & ſortibus.

NVNC NOS collatis ſignis depugnabimus.

CLEOSTRATA, CHALINVS, STALINO, OLYMPIO.

CL. FAce Chaline me certiorem, quid meus uir me uelit.

CH. Ille ædepol uidere te ardentem extra portam Metiam,

(Credo, ecaſtor uellet. CL. at pol ego haud credo, ſed certo ſcio.

S. Plus artificum eſt mi, quàm rebar, hariolum hunc habeo domi.

Quid ſi propius attollamus ſigna eamusq; obuiam?

Sequere. quid uos agitis? CH. adſunt, quæ imperauiſti omnia:

Vxor, ſortes, ſitula, atq; egomet. O. te uno adeſt plus, q̃ ego uolo.

CH. Tibi quidem ædepol ita uidetur, ſtimulus ego nunc ſum tibi.

S. Eo corculum adſudaſsit iam ex metu maſtigia?

CL. Tace Chaline, comprime iſtum. O. immò iſtunc, qui dicit clare.

S. Depone hic ſitellam, ſorteis cedò mihi: animum aduortite.

Atqui ego cenſui abs te poſſe hoc mecum impetrare uxor mea,

Caſina ut uxor mihi daretur: & nunc etiam cenſeo.

CL. Tibi daretur illa? S. mihi enim. ah non id uolui dicere:

Dum mihi nolui, huic dixi: atq; adeò dum mihi cupio, perperam

Iamdudum hercle fabulor. CL. pol id tu quidẽ, atq; etiam facis.

S. Huic, imò hercle mihi. uah, tandem redij, uix eram in uia.

CL. Perpol ſæpe peccas: ita fit, ubi quid tanto opere expetas.

S. Sed te uterque tuo pro iure, hic atq; ego oramus. CL. quid eſt?

S. Dicam enim mea mulſa, de iſtac Caſina, huic noſtro uillico

Gratiam facias. CL. at pol ego neque facio, neque cenſeo.

S. Tum igitur ego ſorteis utrinque ponam. CL. iam quis uetat?

S. Optumum, atque æquiſſimum iſtud eſſe iure iudico:

Sin ſecus, patiemur animis æquis. tene ſortem tibi.

Vide quod ſcriptum, unde uillicus eſt. CH. quia iſti prius, quàm mihi.

S. Accipe hanc ſis. CH. cedò, mane, unum uenit in mentem modo:

Vide nequa illic ſit alia ſortis ſub aqua. S. uerbero,

Men' te cenſes eſſe? nulla'ſt, habe quietum animum: modo
Quid bonum atque fortunatum tuum, ſit mihi magnum malum.
CH. Tibi quidem credo eueniet, noui pietatem tuam.
Sed manedum: num iſta aut populna ſors, aut abiegna'ſt tua?
CL. Quid tu id curas? CH. quia enim metuo, ne in aqua ſumma na- (tet.
S. Age caue, conijcite ſorteis nunc iam ambo huc. eccere
Vxor æqua. O. noli uxori credere. S. habe animum bonum.
O. Crede hercle, hodie deuorabit ſorteis, ſi attigerit. CH. tace.
O. Taceo. deos quæſo, ut quidem hodie camum & furcam feras.
CH. Mihi ut ſortitio eueniat, ut quidem hercle pedibus pendeas.
O. At tu ut oculos emungare ex capite per naſum tuos.
Quid times? paratum oportet eſſe iam laqueum tibi,
Periſti. S. animũ aduortite ambo. CH. taceo. S. nunc tu Cleoſtra
Ne à me memores malitioſe de hac re factũ, aut ſuſpices, (ta,
Tibi permitto, tute ſorti. O. perdis me. CH. lucrum facit.
CL. Bene facis. CH. deos quæſo, ut tua ſors ex ſitella effugerit.
O. Ain' tu? quia tute es fugitiuos, omnes te imitari cupis.
CL. Vtinam tua quidem, ſicut Herculeis prædicant
Quondam prognatis, ita in ſortiendo ſors delicuerit.
CH. Tu ut liqueſcas ipſe actûtum, uirgis calefacto aëre.
S. Hoc age ſis Olympio. O. ſi hic literatus me ſinat,
Quod bonum, atque fortunatum mihi ſit. CH. ita uerò mihi.
O. Non immò hercle. CH. immò mihi hercle. CL. hic uincet, tu uiues miſer.
S. Præcîde os tu illi hodie: age ecquid ſit, ne oblæſis manum.
O. Compreſſa palma, an porrecta ferio? S. age ut uis. O. hem tibi.
CL. Quid tibi iſtunc tactio'ſt? O. quia Iupiter iuſsit meus.
CL. Fieri malam, ut ille rurſus. O. peri, pugnis cædor Iupiter.
S. Quid tibi tactio hunc fuit? CH. quia iuſsit hæc Iuno mea.
S. Patiundu'ſt: ſiquidem me uiuo, uxor imperium exhibet.
CL. Tam huic loqui licere oportet, quàm iſti: cur omine mihi
Vituperat malo? S. Chaline tibi cauendum cenſeo.
CH. Tẽpori, poſtquam oppugnatũ eſt os. S. age uxor mea (iam nunc
Sorti uos aduortite animum) præbe tu. O. ubi ſim neſcio:
Perij,

Perij, cor lienoſum opinor habeo, iamdudum ſalit:
Delabor, pectus tundit. S. teneo ſortem, effer foras.
CH. Iámne es mortuus? S. oſtende. O. mea'ſt. CL. mala. O. crucias.
CH. quid id eſt?
S. Victus es Chaline, tum nos diu uiuere Olympio, gaudeo:
Pietate factum eſt mea, atque maiorum meûm.
Intrò abi uxor, atque adorna nuptias. CL. faciam ut iubes.
S. Scin' tu, ruri eſt ad uillã lõge quò ducatur? CL. ſcio. S. intro abi:
Et quanquam hoc tibi'ſt ægre, tamen fac accures. CH. licet.
S. Eamus nos quoque intrò, hortemur ut properent. O. nihil
Moror: nam præſente hoc, plura uerba non deſydero.

CHALINVS, ſeruos.

SI nunc me ſuſpendam, meam operam luſerim:
Et præter operam, reſtim ſumpti fecerim, & meis inimicis
Voluptatẽ creauerim. quid opus eſt, qui ſic mortuus equidẽ,
Tamen ſorti ſum uictus? Caſina nubet uillico.
Atque id non tam ægre'ſt, iam uiciſſe uillicum,
Quàm id non expetiuiſſe opere tam magno ſenem,
Ne ea mihi daretur, atque ut illi nuberet.
Vt ille trepidabat, ut feſtinabat miſer?
Vt ſuſſultabat, poſtquam uicit uillicus.
Atat concedam huc, audio aperiri foreis
Mihi beneuolenti. atque illi ad me prodeunt.
Hinc ex inſidijs his ego inſidias dabo.

OLYMPIO, STALINO, CHALINVS.

O. SIne modo rus eueniat, remittam ad te uirum
Cum furca in urbem, tanquam carbonarium.
. Ita fieri oportet. O. factum & curatum dabo.
S. Volui nunc Chalinum, ſi domi eſſet, mittere
Tecum obſonatum, ut etiam in mœrore inſuper
Inimico noſtro miſeriam hanc adiungerem.
C. Receſsim cedam ad parietem, imitabor nepam.
Captandu'ſt horum clanculum ſermo mihi:
Nam illorum me alter cruciat, alter macerat.

At ean-

At candidatus cedit hic maſtigia,
Stimulorum loculi: protollo mortem mihi.
Certu'ſt hunc ad Acheromem præmittam prius.
O. Vt tibi ego inuentus ſum obſequens? quod maxume
Cupiebas, eius copiam feci tibi:
Erit tecum hodie, quod amas, clàm uxorem. S. tace,
Ita me di bene ament, ut ego uix reprimo
Labra ob iſtanc rem, quin te deoſculer uoluptas mea.
C. Quid, deoſculer te? quæ res? quæ uoluptas tua?
Effodere hercle hic uolt credo ueſicam uillico.
O. Ecquid amas nunc me? S. immò ædepol me, quàm te, minus.
Licétne amplecti te? C. quid amplecti? O. licet.
S. Vt quia te tango, uel mihi uideor lingere.
O. Vltro te, amator, apage te à dorſo meo.
C. Illuc eſt, hunc quòd hic præfecit uillicum:
Et idem me pridem, quom ei aduorſum ueneram,
Facere Atrienſem uoluerat ſub ianua.
O. Vt tibi morigerus hodie, ut uoluptati fui?
S. Vt tibi, dum uiuam, bene uelim plus, quàm mihi.
C. Hodie hercle opinor is conturbabit pedes:
Solet hic barbatos ſanè ſectari uiros.
S. Vt ego hodie Caſinam deoſculabor, ut mihi
Bona multa faciam clam meam hanc uxorem. C. atat
Nunc pol ego demum in rectam redij ſemitam,
Hic ipſius Caſinam deperit, habeo uiros:
Iam hercle amplexari, iam oſculari geſtio.
O. Sine prius deduci: quid malum operas? S. amo.
O. At non opinor fieri hoc poſſe hodie. S. poteſt,
Si quidem cras cenſes poſſe te mitti manu.
C. Enimuero huc aures ſunt magis adhibendæ mihi:
IAM EGO VNO in ſaltu lepidè apros capiam duos.
S. Apud hunc ſodalem meum, atque uicinum mihi
Locus eſt paratus, ei ego amorem omnem meum
Concredui, is mihi ſe locum dixit dare.

Quid

O. Quid eius uxor? ubi erit? S. lepidè repperi.
Mea uxor uocabit huc eam ad ſe in nuptias,
Vt hic ſit ſecum, ſe adiutet, ſecum cubet:
Ego iuſsi, & dixit ſe facturam uxor mea:
Illa hic cubabit. ſi uir abierit, faxo
Tu rus uxorem duces: id rus, domus hæc erit
Tantiſper, dum ego cum Caſina faciam nuptias.
Hinc tu ante lucem rus cras duces poſtea.
Satin' aſtute? C. age modo, fabricamini:
Malo hercle uoſtro tam uorſuti uiuitis.
S. Scin' quid nunc facias? O. loquere. S. tene marſupium:
Abi, atque obſona, propera: ſed lepide uolo
Molliculas eſcas, ut ipſa mollicula'ſt. O. licet.
S. Emito ſepiolas lepidas, lolliguncùlas,
Ordeias. C. immò triticeias, ſi ſapis,
Soleas. qui quæſo potius, quàm ſculponeas?
Quibus batuatur tibi os, ſenex nequiſsime?
O. Vin' lingulacas? S. quid opus eſt? quando uxor domi'ſt,
Ea lingulaca'ſt nobis: nam nunquam tacet.
O. In re præſenti, ex copia piſcaria
Conſulere licebit quid emam. S. æquom oras. nunc abis?
Argento parci nolo, obſonato ampliter.
Nam mihi uicino hoc etiam conuento'ſt opus,
Vt quod mandaui, curet. O. iámne abeo? S. malo.
C. Tribus non conduci poſſum libertatibus,
Quin ego illis hodie comparem magnum malum,
Quinq; hanc omnem rem meæ heræ iam faciam palàm.
Manufeſte teneo in noxa inimicos meos.
Sed ſi nunc facere uolt hera officium ſuum,
Noſtra omnis lis eſt, pulchrè præuortar uiros:
Noſtro omine it dies iam, uicti uicimus.
Ibo intrò: ut id, quod alius condiuit coquus,
Ego uiciſsim alio nunc pacto condiam:
Quicquid paratu'ſt, ut paratum ne ſiet:

Sitq; ei paratum, quod paratum non erat.

ACTVS TERTIVS.

STALINO, & ALCESIMVS, ſenes.

S. NVnc amici, ánne inimici ſis imago Alceſime mihi,
Sciam: nunc ſpecimen ſpecitur, nunc certamen cernitur.
Curam crue, curam exime, caſtigare, id ponito ad compendium:
Cano capite, ætate aliena, eo addito ad compendium:
Quoi ſit uxor, id quoque illuc ponito ad compendium.
Miſeriorem ego ex amore, quàm te, uidi neminem.
S. Fac uacem ædes. A. quin ædepol ſeruos, & ancillas domo
Certu'ſt omneis mittere ad te. S. ehò nimium ſcite ſcitus es:
Sed facito dum memineris uerſus quos camat colax:
Cum cibo, tu quoque eos facito ut ueniant, quaſi eant ſutrium.
A. Meminero: hem nunc enim demum nullo ſcito ſcitus es.
S. Cura, ego ad forum modo ibo, iam hic ero. A. bene ambula.
S. Fac habeant linguam ædes tuæ. A. quid ita? S. quom ueniam in-(uocent.
A. Aetate cedundus tu homo es, nimias delicias facis.
S. Quid me amare refert, niſi ſum doctus? dicas uiuis: ſed tu
Caue in quæſitione mihi ſis. A. uſque adero domi.

CLEOSTRATA, ALCESIMVS.

C. VT properarē arceſſere hanc ad me uicinā meā, hoc erat
Ecaſtor id, quod me uir tanto opere orabat meus,
Liberæ ædes ut ſibi eſſent, Caſinam quo deducerent.
Nunc adeò nequaquam illam arceſſam ego, ignauiſſumis
Liberi loci poteſtas ne ſit uetulis uerue cibus.
Sed eccum egreditur ſenati columen, præſidium populi,
Meus uicinus, meo qui uiro liberum præbet locum.
NON ECASTOR uili emptus eſt modius qui uænit, ſalis.
A. Miror huc iam non arceßi in proxumum uxorem meam,
Quæ iam ſi arceſſatur, dudum ornata expectat domi.
Sed eccum opinor arceßit. ſalue Cleoſtrata.
C. Et tu Alceſime: ubi tua uxor? A. imus, ſi ſe arceſſas, manet:
Nam tuus uir me orauit, eam iſtuc ad te adiutum mitterem.

Vin'

Vin' eam uocem? C. ſine,nolo,ſi occupata'ſt. A. ocium eſt.
C. Nihil moror,moleſta eſſe nolo,poſt conuenero.
A. Non ornatis iſtic apud uos nuptias? C. orno,& paro.
A. Non ergo opus eſt adiutrice? C. ſatis domi'ſt.ubi nuptiæ
Fuerint,tum iſtam conuenibo.nunc uale,atque iſtam iube.
A. Quid ego nunc faciam?flagitium maxumum feci miſer
Propter operam illius improbi hirci edenuli,
Qui hoc mihi contraxit:operam uxoris polliceor foras?
Quaſi catillatum flagitium hominis,qui dixit mihi
Suam uxorem hanc arceßituram eſſe,ea ſe eam negat
Morarier:atque ædepol mirum,ni ſubolet iam hoc huic
Vicinæ meæ.uerum autem altrouorſum quom eam mecum
Rationem puto,eius eſſet mecum poſtulatio.
C. Ibo intrò,ut ſubducam nauim rurſum in ſoluinarium.
Iam hic eſt lepide ludificatus:miſeri ut feſtinant ſenes?
Nunc ego illum nihili meum decrepitum uirum,ueniat uelim,
Vt eum ludificem uicißim,poſtquam hunc deluſi alterum.
Nam ego aliquid contrahere cupio litigi inter eos duos.
Sed eccum incedit.at quom aſpicias triſtem,frugi cenſeas.

STALINO, & CLEOSTRATA.

S. STultitia magna'ſt,mea quidem ſententia,
Hominem amatorem ullum ad forum procedere
In eum diem,quoi quod amet,in mundo ſiet.
Sicut ego feci ſtultus.contriui diem,
Dum aſto aduocatus quoidam cognato meo:
Quem hercle ego litem adeò perdidiſſe gaudeo,
Ne me nequicquam ſibi hodie aduocauerit.
Rogitare oportet prius,& percontarier
Adſit'ne ei animus,necne adſit,ſibi quem aduocet.
Si neget adeſſe,exanimatum amittat domum.
Sed uxorem ante ædeis eccam:hei miſero mihi,
Metuo ne non ſit ſurda,atque hæc audiuerit.
C. Audiui ecaſtor cum malo magno tuo.
S. Accedam propius. quid agis mea feſtiuitas?

C. Te ecaſtor præſtolabar. S. iamne ornata'ſt res?
Iamne hanc traduxti huc ad nos uicinam tuam,
Quæ te adiutaret? C. accerſiui ut iuſſeras:
Verum hic ſodalis tuus amicus optumus
Neſcio quid ſe ſufflauit uxori ſuæ,
Negauit poſſe, quandò arceſſo, mittere.
S. Vitium tibi iſtuc maxumu'ſt, blanda es parum.
C. NON MATRONARVM eſt officium, ſed meretricum,
Viris alienis, mi uir, ſubblandirier.
I tu, atque arceſſe illam: ego intus quod facto'ſt opus,
Volo accurare, mi uir. S. propera ergo. C. licet.
Iam pol ego huic aliquem in pectus iniiciam metum.
Miſerrumum hunc hodie ego habebo amaſium.

ALCESIMVS, & STALINO.

A. VIſo huc amator ſi à foro rediijt domum,
Qui me atque uxorem larua ludificatus eſt,
Sed eccum ante ædeis. ad te hercle ibam. S. commodum.
Atque hercle ego ad te. quid ais uir minimi preci?
Quid tibi mandaui? quid tecum oraui? A. quid eſt?
A. Vt tu bene uacuas ædeis feciſti mihi:
Vt traduxiſti huc ad nos uxorem tuam.
Satin' propter te pereo ego, atque occaſo?
A. Quin tu ſuſpendis te? nempe tute dixeras
Tuam arceßituram eſſe uxorem meam.
S. Ergo arceßiuiſſe ait ſeſe, & dixiſſe te,
Eam non miſſurum. A. quin ea ipſa ultrò mihi
Negauit eius operam ſe morarier.
S. Quin ea ipſa me allegauit, qui iſtam arceſſerem.
A. Quin nihili facio. S. quin me perdis. A. quin bene'ſt.
S. Quin etiam diu morabor? A. quin cupio tibi.
S. Quin aliquid ægre facere? A. quin faciam lubens.
S. Numquam tibi hodie quin erit plus, quàm mihi.
A. Quin hercle di te perdant poſtremò quidem.
S. Quid nunc? miſſurusne ad me es uxorem tuam?

A. Ducas, eaſq; in maxumam malam crucem,
Et cum hac, & cum iſtac, cumq; amica etiam tua.
Abi: & aliud cura: ego iam per hortum iuſſero
Meam iſtuc tranſire uxorem, ad uxorem tuam.
S. Amicus nunc tu mihi es in germanum modum.
Sorte qua ego hunc amorem aut eſſe mihi dicam datum?
Aut quod ego unquam erga Venerem inique fecerim,
Quoi ſic tot amanti mihi obuiam eueniant moræ?
At quid illud clamoris obſecro in noſtra domo'ſt?

PARDALISCA, ancilla. STALINO, ſenex.

P. NVlla nulla ſum, tota tota occidi: cor mortuu'ſt metu,
Membra miſeræ tremunt: neſcio unde auxilij, præſidij,
Perfugij mihi, aut opum nunc copiam comparē, aut ex- (petā:
Tanta facta modo mira ueris modis intus uidi, nouam
Atque integram audaciam. caue tibi Cleoſtrata, abſcede
Ab iſta obſecro: ne quid in te mali faxit ira percita.
Eripite quæſo iſti gladium, quæ ſui eſt impos animi.
S. Nā quid eſt, quod hæc huc timida, atq; exanimata exiluit foras?
Pardaliſca? P. perij, unde uſurpant aures ſonitum meæ?
S. Reſpice modo ad me. P. here mi. S. quid tibi'ſt? quid timida
es? P. perij.
S. Quid periſti? P. perij, & tu periſti. S. aperi quid tibi. P. uæ tibi.
S. Immò iſtuc tibi ſit. P. ne cadam tene me. S. quicquid eſt,
Eloquere mihi cito. P. contine pectus, face uentulum
Amabo pallio. S. timeo hoc negocium quidem,
Niſi hæc ἡμίρα γλῶσσαν uſpiam percuſsit flore Liberi. Dies
P. Obtine aureis amabo. S. in malam crucem pectus, aureis, caput, lin-
Teq; di perduint: nam niſi ex te ſcio quicquid hoc ſiet, iam guā.
Tibi pol execrata iſtuc cerebrum diſpertiam,
Ludibrio peſſuma adhuc quæ me habuiſti. P. here mi. S. quid uis *
Ancilla? P. nimiū ſæuis. S. * numero dicis? ſed hoc quicquid eſt, num
Loquere, atque in pauca refer. quidnam intus tumulti fuit? hero.
P. Audi, ſcibis. malum, peſſumumq; hic modo apud nos intus
Tua ancilla hoc pacto exordiri cœpit, quod haud Atticam

Addecet diſciplinam. S. quid eſt id? P. timor præpedit dicta
Linguæ. S. quid eſt? poſſum ſcire ego iſtuc quid negoci ſit?
P. Dicam. tua ancilla, quam tuo uillico uis dare uxorem,
Ea intus. S. quid intus ea? quid eſt? P. imitatur malarum malam
Diſciplinam, uiro quæ interminatur ſuo uitam. (dium.
S. Quid ergo? P. ah. S. quid eſt? P. interimere ait uelle ſe uitã. gla-
S. Hem? P. gladium. S. quid eum gladium? P. habet. S. hei miſero mihi: cur eum habet?
P. Inſectatur omneis domi, per ædeis: nec quenquam prope:
Ita omnes ſub arcis, ſub lectis latentes metu muſſitant.
S. Occidi atq; interij: quid illi obiectu'ſt malitiæ; epeme?
P. Inſanit. S. ſceleſtiſſumum me credo eſſe. P. imò ſi ſcias
Dicta, quæ dixit hodie. S. iſtuc expeto ſcire: quid dixit?
P. Audi: per omneis deos, & deas deiurauit, hac eum
Nocte occiſurum, quicum cubaret. S. me occidet? P. an quippiam
Ad te attinet? S. uah. P. quid cum ea negocij tibi'ſt?
S. Peccaui: illunc dicere uillicum uolebam. P. ſciens DE VIA IN SEMITAM regredere. S. nunquid mihi quoq; minatur?
P. Tibi ſoli infeſta'ſt plus quàm quoiquam. S. quamobrem? P. quia
Si ſe des uxorem Olympioni, neque tuam, nec ſuam,
Neque uiri uitam ſinet in craſtinum protolli.
Id huc miſſa ſum, tibi ut dicerem, ab ea ut caueas tibi.
S. Perij hercle ego miſer, neque'ſt, neque fuit me ſenex quiſquam
Amator adæque miſer. P. ludo hunc facetè: nam quæ omnia
Facta dixi huic, falſa dixi. hera dolũ hunc, atq; hæc ex proxumo
Protulerunt: ego huc miſſa ſum ludere.
S. Heus Pardaliſca. P. quid? S. eſt quod uolo (rorem.
Exquirere à te. P. moram offers mihi. S. at tu mihi offers mœ-
Sed etiámne habet & nunc Caſina gladium? P. habet: ſed duos.
S. Quid, duos? P. altero te occiſurum ait, altero uillicum hodie.
S. Occiſiſſumus ſum omnium qui uiuont. lorîcam induam
Mihi optumum eſſe opinor. quid uxor mea? non eam adijt,
Atque ademit? P. nemo audet properè accedere. S. exoret. P. orat, negat

Ponere

Ponere alio modo ullo profecto, ni ſe ſciat uillico
Non datum iri. S. atq; ingratis quem non uolt, ei nubet hodie.
Nam cur non ego id perpetrem, quod occœpi, ut nubat mihi?
Illud quidem uolebam: non, ſed noſtro uillico.
P. Sæpiuſcule peccas. S. timor præpedit uerba. uerùm obſecro,
Dic me uxorem orare, ut exoret illam, gladium ut ponat, &
Redire me intrò, ut liceat. P. nunciabo. S. & tu orato.
P. Et ego orabo. S. at blandè orato, ut ſoles. ſed audin'? ſi
Effexis hoc, ego ſoleas tibi dabo, & anulum
In digito aureum, & bona plurima. P. operam dabo. S. face ut impetres.
P. Sed nunc iã, niſi quippiam remorare me. S. abi, & cura. P. redit
Eccum tandem obſonatu eius adiutor, pompam ducit.

OLYMPIO, COQVVS, & STALINO.

O. Vide fur, ut ſentis, ſub ſignum ducas. C. qui uerò ſentes?
O. Quia quod tetigêre, illico rapiunt: ſi eas ereptum, illico ſcindunt.
Ita coqui adueniunt: ubi ubi ſunt, duplici dãno mulctant. C. eia.
O. Atat ceſſo magnificè, patricéq;, amicéq; hero meo
Ire aduorſum? S. bone uir, ſalue. O. fateor. S. quid fit? O. tu amas: ego
Eſurio, & ſitio. S. lepidè inceſſiſti excuratus. O. ah hodie.
S. Mane uerò, quanquam faſtidis. O. hei hei fœtet tuus mihi
Sermo. S. quæ res? O. hæc res. S. etiámne aſtas? enimuero πράγ- (ματα
μοι παρέχεις. O. dabo ναὶ κακὸν, ut ego opinor, niſi mihi reſiſtis, ὄζειν.
Potin' ut à me abeas, niſi me uis uomere hodie? S. mane. O. quid (eſt?
Quis hic homo'ſt? S. herus ſum. O. qui herus? S. quoius es ſeruos tu. O. ſeruos ego?
S. Atque meus. O. non ſum ego liber? memento. S. mane atque aſta. O. omitte: ſeruos ſum tuus.
S. Optume'ſt, obſecro Olympiſce mi, mi pater, mi patrone. C. hem ſapis (quam?
Sanè. S. tuus equidem ſum. O. quid mihi ſeruo opu'ſt tam ne-

Nego tium mi hi ex hibes Cer- tema lum olere

S. Quid nunc? quàm mox recreas me. O. cœna modo ſi ſit cocta. S. ergo abeant
Propere: cito introite, & cito deproperate: iam intus ero, facite
Cœnam mihi ut ebria ſit, lepide nitideq; uolo, nihil moror
Barbarico ritu. ne etiam is is? O. ego hic habito. S. nunquid eſt
Quod moræ ſit? O. Caſinam intus habere aiunt, (cæterum qui me atque te inuitat. S. ſcio:
Sic habere ſine, nugas agunt, noui ego malas illas merces.
O. Quin tu i modo domum mecum. S. at pol metuo malum: i tu modo, prius
Perſpicito quid intus agatur. O. tam mihi mea uita, quàm tua
Tibi cara'ſt. S. uerùm modo. O. ſi tu iubes, inibitur tecum.

ACTVS QVARTVS.

ANCILLA.

NEc pol ego Nemeæ credo, neque ego Olympiæ,
Neque uſquam ludos tam feſtiuos fieri, quàm
Hic intus fiunt ludi ludificabiles
Seni noſtro, & noſtro Olympioni uillico,
Omnes feſtinant intus totis ædibus.
Senex in culina clamat, hortatur coquos,
Quin agitis hodie? quin datis? ſi quid datis.
Properate, cœnam iam eſſe coctam oportuit:
Villicus hic autem cum corona candidè,
Lautè ueſtitus, exornatusq; ambulat.
Illæ autem in cubiculo armigerum ornant,
Quem dent pro Caſina nuptum noſtra. ſed nimium
Lepidè diſsimulant fore hoc futurum huius quod eſt:
Condigne autem nimis lepidè huc conducti coqui.
Ei rei dant operam, ne cœnet ſenex,
Aulas peruortunt: ignem reſtinguont aqua:
Illarum oratu faciunt. illæ autem ſenem
Incœnem extrudere cupiunt ex ædibus,
Vt ipſæ ſolæ uentres diſtendant ſuos.
Ego noui illas ambas eſtrices: corbitant,

Vbi comeſſe poſſunt. ſed aperitur oſtium.

STALINO, & ANCILLA.

S. SI ſapitis uxor, uos tamen cœnabitis,
Cœna ubi erit cocta: ego ruri cœnauero.
Nam nouom maritum hinc, & nouam nuptam uolo
Rus proſequi (noui hominum mores maleficos)
Ne quis eam arripiat: facite animo uoſtro uolup.
Sed properate, iſtum atque iſtam actûtum emittere
Tandem, ut ueniamus luci: ego cras hic ero,
Cras habuero uxor ego tamen conuiuium.
A. Fit, quod futurum dixi: incœnatum ſenem
Foras extrudunt mulieres. S. quid tu hic agis?
A. Ego eo, quò me ipſa miſit. S. ueròn'? A. ſerio.
S. Quid ſpeculare? A. nihil equidem ſpeculor. S. hinc abi.
Cunctaris? intus alij feſtinant. A. eo.
S. Abi hinc ſis ergo peſſumarum peſſuma.
Iámne abijt illæc? dicere hic quid uis licet:
QVI AMAT tantum, hercle ſi eſurit, nullum eſurit.
Sed eccum progreditur cum corona & lampade
Meus ſocer, compar, commaritus uillicus.

OLYMPIO, STALINO.

O. AGe tibîcen, dum illã educunt huc nouam nuptam foras,
Suaui cantu cõcelebra omnẽ hanc plateolam hymenæo.
Iò hymen hymenæe ô hymen. S. quid agis mea ſalus?
O. Eſurio hercle, atq; adeò nunc haud parum ſitio. S. at ego amo.
O. At ego hercle nihil facio tibi amor pericli,
Mihi inanitate iam dudum inteſtina murmurant.
S. Nam quid illæc nunc tã diu intus remoratur quaſi ob induſtriã?
Quanto ego plus propero, tanto illa minus. O. quid ſi etiam
occentem hymenæum?
S. Cenſeo, & ego te adiutabo in nuptijs communibus.
O. Iò hymen hymenæe ô hymen. S. perij hercle ego miſer:
Iam me ædepol dirumpi cantando hymenæum licet.
Illo morbo quo dirumpi cupio, non eſt copia.

O. Aedepol næ tu ſi eſſes equos, eſſes indomabilis.
S. Quo argumento? O. nimis es tenax. S. num me expertus uſpiam?
O. Di melius faciant. ſed crepuit oſtium, exitur foras.
S. Di hercle me cupiunt ſeruatum: iam oboluit Caſina procul.

ANCILLAE DVAE.
OLYMPIO, STALINO.

A. SEnſim ſuper attolle limen pedes noua nupta.
Soſpes iter incipe hoc, ut uiro tuo ſemper ſis ſuperſtes,
Atq; ut potior pollentia, ut uincasq; uirum, uictrixq; ſies,
Superetq; tuum imperium: uir te ueſtiat: tu uirum deſpolies:
Et diu ut uiro ſubdola ſies, obſecro memento.
O. Maxumo ſuo hercle illico, ubi tantulum peccaßit.
Non taceo. S. quæ res? O. mala malæ malè monſtrant,
Hanc rem mihi ex parata imparatam
Id quærunt: uolunt hæc ut infecta faciant.
A. Age Olympio, quando uis uxorem accipere hanc à nobis?
S. Date ergo, daturæ unquàm ſi eſtis, hodie uxorem. abite intrò.
A. Amabo, integræ, atque imperitæ huic impera: atque.
S. Futuru'st. ualete, ite iam, ualete. iamne abſceßit uxor?
O. Domi'st, ne time S. euax: nunc pol demum ego ſum liber.
Meum corculum, melliculum, uerculum. O. heus tu malo ſi ſapis,
Cauebis. mea'st hæc. S. ſcio: ſed meus fructus est prior.
O. Tene hanc lampadam. S. immò ego hanc tenebo.
Venus multipotens bonam uitam mihi dediſti: huius quom co-
Dediſti corpuſculum melliculum. O. eia uxorcula. (piam mihi
S. Quid est? O. inſtitit plantam. S. quaſi iocabor:
Nebula haud est mollis, atque hæc est.
Aedepol papillam bellulam. O. hei miſero mihi.
S. Quid est? O. pectus mihi agit nunc cubito.
S. Quid tu ergo hanc quæſo tractas tam?
At mihi, qui belle hanc tracto, non. O. uaha.
S. Quid negoti est? O. obſecro ut ualentula'st,
Penè expoſuit cubito. S. cubitum ergo ire uolt.
O. Quin imus ergo? S. bella bellatula Caſina.

Actus

ACTVS QVINTVS.

MYRINA, & PARDALISCA, ancilla.

M. ACceptæ bene, & commodè, eximus intus
Ludos uiſere huc in uia nuptialeis.
Nunquam ecaſtor ullo die riſi adæque:
Neque hoc quod reliquom'ſt, plus riſuram opinor.
Lubet Chalinũ, quid agat ſcire nouom nuptũ cum nouo marito.
Nec fallaciam aſtutiorem ullus fecit poëta, atque ut hæc eſt
Fabrefacta à nobis. obtunſo ore nunc peruelim progrediri
Senem: quo ſenex nequior nullus uiuit. ne ullum quidem
Nequiorem arbitror eſſe, qui locum præbet illi nunc præſidem.
Hic Pardaliſca eſto, qui hinc exeat: cum ut
Ludibrio habeas. P. lubens fecero, & ſolens.
M. Spectato hinc omnia intus, quid intus agant.
P. Pone me ámabo: & ibi audacius licet
Quæuis libere proloqui, tace: uoſtra foris crepuit.

OLYMPIO, CLEOSTRATA.

O. NEq; quò fugiam, neq; ubi lateam, neq; hoc dedecus quomodo celem,
Scio: tãtum herus, atq; ego flagitio ſuperauimus nuptijs
Ita nunc pudeo, atque ita nunc paueo, atque ita in (noſtris:
ridiculo ſumus ambo.
Sed ego inſipiens noua nunc facio: pudet quod prius non puditum unqua'ſt.
Operam date, dum mea facta itero, eſt operæ auribus accipere:
Ita ridicula auditu, iteratu ea ſunt, quæ ego intus tuli.
Vbi intrò hanc nouam nuptam deduxi uia recta, clauem
* Abduxi: ſed tamẽ tenebræ ibi erant tanq̃ nox. * aptè decumbẽ,
Colloco, fulcio, mollio, ut prior qua ſenex nuper,
Tardus eſſe illico cœpi: quoniam reſpecto identidem, ne ſenex
Illecebram ſtupri. principio eam ſauium poſco.
Repppulit mihi manum: neque mihi dare ſibi ſauium me ſinit.
Enim iam magis, iam appropero magis, iam lubet in Caſinam irruere.

Cupio illam operam ſeni ſurripere: forem obdo, ne ſenex me opprimeret.

C. Agedum tu, adi huc obſecro, ubi tua noua nupta'ſt?
O. Perij hercle ego, manufeſta res eſt. C. omnem in ordine rem
Fatere. O. ergo actu'ſt. C. quid intus agitur? quid agit
Caſina? ſatin' morigera'ſt? O. pudet dicere me.

Hæc ſcena, pleriſque in locis mutilos uerſiculos habet.

C. MEmora ordine, ut occœperas. O. pudet hercle. C. age audacter
Quam debuiſti, inde uolo memorare quid eſt factum.
O. Flagitiu'ſt. C. cauebunt qui audierint, faciant.
O. Hoc magnu'ſt. C. perdis, quin tu pergis? O. ubi ubi ſumptus porto.
Continuo inſto ſtricto gladio: atat maiorem inuenio.
C. Quid? O. habet. C. quid? O. papæ.
C. Eſt. O. oh. C. erat. O. maxumum
Haberet, metui. id quærere occœpi
Dum gladium quæro ne habeat, arripio capulum.
Sed quom cogito, non habuit gladium: nam eſſet frigidus.
C. eloquere.
O. At pudet. C. num radix fuit? O. non fuit. C. num cucumis?
O. Profecto hercle non fuit quicquam olerum:
Niſi quicquid erat, calamitas profecto attigerat nunquam.
Ita quicquid erat, grande erat.
C. Quid fit denique, ediſerta. O. ubi appello Caſinam, inquiens,
Amabo mea uxorcula, cur uirum tuum ſic me ſpernis?
Nimis tu quidem hercle nunc immerito
Meo mihi hoc facis, quia mihi te expetiui.
Illa haud uerbum facit: & ſepit ueſte id, qui eſtis.
Vbi illum ſaltum uideo obſeptum, rogo ut alterum ſinat adire:
Volo ut obuortat cubitiſſim, uerbum ullum mutite.
Surgo ut ineam, atque illam in
C. Perlepide narrat. O. ſauium
Ita quaſi ſetis labra mihi compungit barba.
Continuo in genua aſtanti pectus mihi pedibus percutit.

Decido

Decido de lecto præceps. ſubſilit, obtundit os mihi.
Inde foras tacitus exeo cum ornatu quo uides:
Vt ſenex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberet. C. optume'ſt.
Sed ubi eſt palliolum tuum? O. hic intus reliqui.
C. Quid nunc? ſatin' lepidè addita uobis manus merito?
Sed concrepuerunt fores: num illa ſenem ſequitur?

STALINO, CLEOSTRATA.

S. MAxumo ego ardeo flagitio: nec quid agam meis rebus,
Nec meam ut uxorem aſpiciam contrà oculis: (ſcio:
ita diſperij,
Quia palàm ſunt probra, omnibus modis òccidi miſer:
Ita manufeſto faucibus teneor.
Neq; quibus modis purgem ſcio me meæ uxori: qui expalliatus
Sum miſer. clandeſtinæ nuptiæ, cenſeo: mihi optumu'ſt.
Iis præſtigijs dux fuit uxor: ea hanc inuenit rimam.
Sed ecquis eſt, qui homo munus uelit fungier pro me?
Quid nunc agã? neſcio: niſi ut improbos famulos imiter, ac domo
Fugiam: nam ſalus nulla'ſt ſcapulis, ſi domum redeo.
Nugas iſtic dicere licet: uapulo hercle ego inuitus tamen,
Et ſi malũ merui, hâc dabo protinam, & fugiam. C. heus Stalino
Amator. S. òccidi, reuocor: quaſi non audiam abibo.

CLEOSTRATA, STALINO, OLYMPIO, MYRINA, CHALINVS.

C. VBi tu es, qui colere mores Maßilienſeis poſtulas?
Nunc tu ſi uenis ſubicitare me, proba'ſt occaſio,
Periſti hercle: age accede huc.
S. Hâc ibo: caninam cœnam ſpero meliorem fore.
C. Quid agis tu marite, mi uir? unde ornatu hoc
Aduenis? quid feciſti ſcipionem, aut quod habuiſti pallium?
In adulterio, dum mœchiſſat Caſinam, credo perdidit.
S. Occidi. CL. etiamne imus cubitũ? Caſina ſum. S. in malã crucem.
CL. Non amas me? quin reſponde, tuo quid factu'ſt pallio.
S. Bacche ergo hercle uxor, bacche bacche hercle uxor.
CL. Nugatur ſciens: nam ecaſtor nunc Bacchæ nullæ ludunt.

Oblitus

S. Oblitus fui: ſed tantum bacche, CL. quid bacche? id fieri non poteſt.
Times ecaſtor, S. egóne? O. haud mentire hercle: nam pallium.
S. Non taces? O. non hercle uerò taceo. nam tu maxume
Me obſecrauiſti, Caſinam ut poſcerem uxorem mihi.
Tui amoris cauſſa ego iſtuc feci. S. immò hercle illius:
Te quidem oppreßiſſet. feci ego iſta hæc dicta, quæ uos dicitis?
CL. Rogitas etiam? S. & ſi quidem hercle feci, feci nequiter.
CL. Redi modò huc intrò: monebo, ſi quidem meminiſti minus.
S. Hercle opinor, potius uobis credam, quod uos dicitis.
Sed uxor, da uiro hanc ueniam. Myrina ora Cleoſtratam:
Si unquam poſthac aut amaſſo Caſinam, aut occepſo modo.
Ne autem eã amaſſo: ſi ego unquã adeò poſthac tale admiſero,
Nulla cauſſa'ſt, quin pendentem me uxor uirgis uerberes.
M. Cenſeo ecaſtor ueniam hanc dandam. CL. faciam ut iubes.
Propter eam rẽ hanc tibi nunc ueniam minus grauate propero,
Hanc ex longa longiorem ne faciamus fabulam.
S. Non irata es? CL. non ſum irata. S. tuæ fidei credo. CL. meæ.
S. Lepidiorem uxorẽ nemo quiſquam quàm ego habeo, hac habet.
CL. Age tu redde huic ſcipionem, & pallium. CH. tene. S. lubet.
CH. Mihi quidem ædepol inſigniter facta'ſt magna iniuria:
Duobus nupſi: neuter fecit, quod nouæ nuptæ ſolet.

GREX.

SPectatores, quod futuru'ſt intus, id memorabimus.
Hæc Caſina, huius reperietur filia eſſe ex proxumo,
Eáq; nubet Theutunico noſtro herili filio.
Nunc uos æquom'ſt manibus meritis meritam mercedem dare.
Qui faxit: clàm uxorem ducat ſemper ſcortum, quod uolet.
Verùm qui non manibus, clarè, quantum poterit, plauſerit:
Ei pro ſcorto ſupponetur hircus unctus nautea.

ANNO-

ANNOTATIONES IN CASINAM.

HAec comœdia appellata eſt à nomine ancillæ Caſinæ, quam à ſene amari fingit poëta.

Vos omnes opere magno oratos eſſe uolo.) Inuenies non ſemel in aliis codicibus oratum.

Ne quis formidet flagitatorem ſuum.) Flagitatores dicuntur de ęre alieno uehementius inſtantiusq; appellantes.

Ludus datus eſt argentariis.) Spectaculorum tempore neq; libellos dare, neq; in ius prouocare hominem licuit.

Alcedonia ſunt circa forum.) Eraſmus in Chiliad. explicat. Lucianus in metamorphoſi Alcyonem magnos à diis conſecutam honores fingit, apud quem Socrates: ἐπὶ τῇ τούτου νεοττείᾳ inquit καὶ τὰς ἀλκυονίδας προσαγορευμένας ἡμέρας ὁ κόσμος ἄγει, κατὰ χειμῶνα μέσον διαφερούσας ταῖς εὐδίαις. In nidulationis huius tempore dies feſtos celebrant homines, quos Alcyonios uocant &c. Et apud Grãmaticos grecos ſic legere eſt de Alcyone: δεκατέσσαρας δὲ ἡμέρας φασὶν ὅταν γεννᾷ περὶ τὰς χειμερινὰς τροπὰς ἐνδιάζειν, ἃς καλοῦσιν ἀλκυονίδας. ἑπτὰ πρὸ τῆς γεννήσεως καὶ ἑπτὰ μετὰ τὴν γέννησιν. Non diſſimilia his quæ Plinius de Alcyone prodidit.

Comœdiæ nomen huius dare.) Aliter Comœdiæ nomen nunc laudare &c. prior eruditior eſt.

Qui in morbo cubat.) Dictum eſt in Curculione.

Intra præſepeis ſuas.) μεταφορικῶς in ſua poteſtate.

Pontem interrupit.) Prouerbialis eſt locutio pro eo quod eſt impediuit.

Seruiles nuptiæ.) Cœlius in hunc locum ſatis commentatur lib. 13. cap. 14.

Decretum eſt mihi, quaſi umbra.) Eraſmus inter prouerbia refert: Velut umbram ſequi.

Qui ruri es in præfectura tua.) Iocoſe quaſi loquatur de ditione aut prouincia.

Abi directus tuam in prouinciam.) Nonius: Abi dum recta tuam in prouinciam.

Primum omnium huic lucebis nouæ nuptæ facem.) Loquitur de tæda nuptiali, quæ nouæ nuptæ præferebatur, ſeruusq; qui eam præferebat δᾳδοῦχος græce, latine prælucens appellabatur. Virg.

Nec

Nec coniugis unquàm
Prætendi tædas, aut hæc in fœdera ueni.

Et una ſemita.) Non uideo qua ratione defendant qui legunt, ut ipſi aiunt ex uetuſtiſſimis exemplis Hemina, cum poëta loquatur de uia, ultro citroq; cum uini amphoris decurrenda.

Vt ex te poſtilena.) De poſtilena uide annotat. Andreæ Alciati in 3. poſteriore lib. C.

Eruum comederis.) Pabulum fuiſſe pecorum docent Plinius & Columella.

Noctu ut condignè.) Feſtus Pompeius pro condignè in tignis habet, quæ ueriſſima lectio.

Sine meo arbitrio.) Tu lege me arbitro. quanq; non uidentur omnino errare qui lectionem diuerſam tutantur.

Referte anulum.) Veteres in anulis ſigilla geſtaſſe (ut etiam nunc fit) teſtis eſt Plinius: hos autem anulos uocarunt σφραγιτηδοφόρȣς.

Sopor manus caluitur.) Pro fruſtratur teſte Nonio.

Diuidiæ.) Suppoſititium eſt quod multi codices habent dimidium, legendum eſt diuidiæ quo ueteres uſi ſunt pro diſcordijs & diſſidijs.

Vir me peſſumus deſpicatam.) αἰχρολογία ſubeſt.

Deliquum'ſt.) Certe Marcus Var. li. 6. de lingua latina deliquiũ legit & interpretatur. malim tamen deliquomſt.

Cana culex.) In Romano codice pro culex calex habebatur, opinor fuiſſe ſcriptum calix quæ lectio ſcio mundiſſimis auribus plane arridebit.

Id eſt me caſtor palliolũ.) In alijs pro id ad ſcriptũ erat.

Peculi nummus non eſt plũbeus.) ὑπερβολικῶς teſte Eraſ. pro minimo pecuniæ.

Et ſitulam huc tecum afferto.) In quibuſdam exemplarijs pro aqua cloaca inuenire eſt: de ſortibus autem quæ in urnam conijci ſolent Chiliades, album calculum addere, & ſequentibus.

Tragulam decidero.) Vide Chiliad. tragulam inijcere.

Nunc in fermento tota eſt ita turget.) Vide Chiliades in fermento iacere. Cæterum quod ſequitur ego illam mediam diruptam uelim, additq; Olympio Credo ædepol, ſi tu quidem frugi bonæ es, id eſt, ſi tu uirilis maritus es, media dirupta eſt, ſciendum poëtam alludere ad hymenem muliebris genitalis.

Tu iſtos

Tu iſtos minutos deos.) *Simul eſt alluſum ad deos minorum gentium.*

Neceſſe'ſt uorſis gladijs depugnarier.) Eraſmus in Chiliadibus explicat. Et quod ſequitur collatis ſignis depugnare, ſignificat rem ſeriam agere, ut loquimur uulgo, mit auff geſtrecktem uenlen.

Ille ędepol uidere te ardentem extra portam Metiam.) Mirum eſt quantum ſe torqueat in hac dictione Pius, pro Metia, Nyctuam, Meuiam, Nœuiam, neſcio tãdem quę portenta uocum non adferens. Omnes certe Plautini codices conſtanter Metiam habent, prę̨ter Roma. qui Menam habebat non ſine mendo, facillimus enim lapſus in ti. Metia itaq; porta eſt ea quæ nomen à Metio Aſthemio habet, qui pro peſte ſedata, dijs, omnia quæ nouo uere naſcebantur, & homines & pecora etiam obtulit. *Sunt autem* qui à Metio illo fœdifrago dictam portam uelint: & quoniam ibi torquerentur homines, Rom. po. inuiſam fuiſſe contendunt, de quorum numero Alexandrinus Georgius eſt.

Vix eram in uia.) Explicatur Chiliad. redire in uiam.

Vide ne qua ſit alia ſortis ſub aqua.) *Satis erudite explicat hunc locum Pius interpres, malim tamen ut Pauſaniam ipſum conſulas: uidentur enim quibuſdam magna ex parte ὑπερβολιμαῖα.*

Aut populna ſors aut abiegna.) Vide de his ſortib. commentaria Pici in hymnos ſuos, loco de diuinatione.

Camum & furcam.) Sunt qui legant canem & furcam: de cane etiam ſupplicij genere Cœlius.

Sicut Herculeis prædicant.) Nam ut autor eſt Diodorus, quos reliquit filios, omnibus humanarum rerum miſerijs expoſiti fuerunt.

Si hic literatus me ſinat.) Valla exponit à poëta ironicè dictum. *Sarracenus* de relatione in tribum, tu melius iudicabis, ubi ca. Cœlij 31. lib. 4. legeris. & Chilia. Samij literati, de cauterio ſcilicet ſeruis inuſto.

Cor lienoſum habeo.) Pulchrè mehercle philoſophatur ex Hippocrate in hunc locum Cœlius.

Si nunc me ſuſpendam.) Non poſſum huic loco non adijcere Eurypidea illa.

ἄξια καὶ σφαγᾶς τάδε.
καὶ πλέον ἢ βρόχῳ δέρην.
οὐρανίῳ πελάσαι. Ita enim miſerè ſortes hę Chalino cecidere.

Receſ-

Receſſim cedam ad parietem, imitabor nepam.) Vide Chiliades: Imitari nepam. Eraſmus pro receſſim retrouorſum habet quemadmodum uetuſti etiam, melius tamen receſſim.

Facere Atrienſem.) Atrienſes ſunt qui familiæ & uicarijs officijs præſunt, nomen habent ab atrio.

Nunc ego pol in rectam redij ſemitam.) Conſulatur adagium Eraſ. Rectam ingredi uiam.

Iam ego uno in ſaltu.) Refertur in Chiliadibus.

Sepiolas lepadas.) Sic omnes legunt, nec ſane peruerſe, malim tamen cum Roma. codice legas lopadas. Sunt autem λοπάδας conchulæ quædam marinæ petris adhærentes oſtreis quibuſuis minores, quæ ueteribus delicatiſſimæ habebantur.

Ordeias.) Ordea piſcis nomen, ſimiliter & ſolea quorum Plinius lib. 32. mentionem facit. Ludit Plautus in dictione triticea ſuo more, ſimiliter iudicabis de ſculponeis, ſunt autem ſculponeæ calcei ex lana confecti, utitur ea dictione Cato de re ruſt.

Vin' lingulacas.) Lingulaca, hunc piſcem Varro ſoleam uocat, neq; diſtinguit à ſolea, quod tamen Plautum hic feciſſe conſtat à Græcis βούγλωσσος dictus.

Ea lingulaca eſt nobis.) Iocus in ambiguitate uocis: nã lingulaca etiam dicitur uerboſa & locutuleia, à procacitate linguæ, autor Nonius.

Noſtra omnis lis eſt.) Id eſt, uicimus. Traducta metaphora à iudicijs.

Quod alius condiuit coquus.) Vide Chiliades: Quod alius condiuit coquus.

Quaſi eant ſutrium.) Vide eaſdem, Quaſi eant Sutriũ.

In queſitione.) Plautinus hic mos, ſic utitur uerbalibus his frequentiſſimè.

Subducam nauim rurſum in puluinario.) Quaſi dicat rurſus me periculo exponam. Puluinaria ſunt arenoſi colliculi, & eminentiores acerui arenarum, ad quos ſubinde naues impingunt.

Niſi hæc himera gloſſam.) ἡμέρα græcis diem ſignificat. γλῶσσα linguam.

Numero dicis.) Vide Chiliades: Numero dicis.

Altero te occiſurum.) Occiſuram habent fere omnes, occiſurum autem legendum hic docet Gellius li. 1. cap. 7.

πράγματά μοι παρέχεις.) Id eſt, moleſtus mihi es, negocia mihi facis. ναὶ κακὸν næ malum, certe malum, ὄζειν, olere, meſum uerbum tam bene quàm male olere ſignificans.

Corbitant.) Id eſt, quaſi in nauem onerariam deijciunt.

Cum corona & lampadibus.) Sponſi ſolent coronari ſyſymbrij folijs, ut teſtatur interpres Ariſtoph. in auibus.

Hymen hymenæe ô hymen.) Obſeruatum in Menandri cis cani in nuptijs ſolitum ad eum propè modum ὦ ὑμὴν ὑμέναι ὦ ὑμήν. Quod in auibus eſt ab Ariſtophane quoque poſitum. Et Catullus imitatus eſt, quid ſi legas?

O hymen hymenæe ô hymen, ut ſit græca imitatio.

Vbi tu es qui colere mores Maſſilienſes.) Maſſilienſes mores hic pro effœminatis & delicatis & mollibus moribus à Plauto dici Cœlius putat ex Athenæo. Eraſmus pro grauibus & bene inſtitutis. Maſſilienſes eleganter contra Græcos, defendit Cœlius lib. 9. cap. 8. Elegantius Eraſmus in adagio: Nauiges in Maſſiliam. Elegantiſſime Lazarus Bayſius lib. de ueſtibus ca. 21. Quare mihi uidetur ἀντίφρασις in uerbis Plauti. Fuit enim Maſſilienſium ſeueritas ſpectabilis, ut eſt apud Liuium.

M. ACTII PLAVTI
CISTELLARIA.

DRAMATIS PERSONAE.

SILENIVM, *meretrix.*
GYMNASIVM, *meretrix.*
LENA.
AVXILIVM, *prologus.*
MELAENIS, *lena.*
ALCESIMARCHVS, *adoleſcens.*
LAMPADIO, *ſeruos.*
PHANOSTRATA, *uxor.*
HALISCA, *ancilla.*
DEMIPHO, *ſenex.*
GREX.

ARGVMENTVM.

Comprimit adoleſcens Lemnius Sicyoniam.
Is redit in patriam, & gnatam generat nuptijs.
Sicyonia æque parit puellam: hanc ſeruolus
Tollit, atque exponit, & ex inſidijs aucupat:

Eam ſublatam meretrix alij detulit,
Lemnius poſt rediens ducit, quam compreſſerat:
Lemniq; natam deſpondit adoleſcentulo
Amore capto illius proiectitiæ.
Requirens ſeruos reperit, quam proiecerat.
Itaque hanc lege, & rite ciuem cognitam
ALCESIMARCHVS, *ut erat nactus, poſſidet.*

ALIVD ARGVMENTVM.

DEmipho Lemnius profectus Sicyonem, mulierem ibi Phanoſtratam comprimit: quæ grauida puellam parit. Eam dum ſeruus Lampadiſcus exponit, à muliere lena ſuſcipitur, meretriciq; traditur Melænidi, quam pro filia educat, eiq; nomen indidit Silenium: cuius amore adultæ Alceſimarchus capitur. Demipho Phanoſtrata relicta, Lemnũ redit: uxorem ciuẽ capit. ex qua alterã ſibi ſuſcipit filiam. moritur uxor, is Sicyonem reuertitur, Phanoſtratam ducit coniugem, eiq; aperit per communem ſeruum expoſitam filiam, accerſitur ſeruus qui proiecerat, is it quæſitum lenã, quæ puellam ſuſtulerat. interea Melęnis reſciens quibus eſſet puella parentibus, ultrò hortatur ad patrios ut redeat lareis, ſed dum it, ab ancilla Haliſca, quam geſtabat excidit in uias ciſtellula, in qua puellę inerant quibus cum fuerant expoſita crepundia. inuentam ciſtellam Lampadio defert Phanoſtratæ, & ob hoc Ciſtellaria Comœdia nomen habet. Agnoſcit mulier filiæ crepundia, quam inuentam & agnitam ſuus Alceſimarchus nanciſcitur.

ACTVS PRIMVS.

SILENIVM, & GYMNASIVM, *meretrices.*

LENA.

S. TVm antehac te amaui, & mihi amicam eſſe creui mea Gymnaſium, (ſoror
Et matrem tuam: tũ id mihi hodie aperuiſtis, tu atq; hæc.
Si mea eſſes, quî mihi magis potueritis ire honorem habitum
Neſcio: ut meus eſt animus, fieri non poſſe arbitror: ita
Omnibus relictis mihi frequentem operam dediſtis. &
Ego uos amo: & eò à me magnam iniſtis gratiam.
G. *Pol iſtoc quidem nos precio facile eſt frequentarę tibi*

Vtileisq; habere: ita lepide, nitideq; in prandio
Accepiſti apud te, ut ſemper meminerim. S. ædepol factum id eſt
Lubenti animo: fictq;, ut quæ uos arbitrer uelle, ea expetam.
L. Quod ille dixit, qui ſecundo uectus eſt mari,
Ventum gaudeo ad te ecaſtor: ita hodie hic acceptæ ſumus
Suauibus modis: hæc niſi * diſciplina, apud te quicquam fuit,
Quin mihi placeret. S. quid ita amabo? L. raro nimium dabat, quod biberem:
Atque id merum infuſcabat. G. amabo hiccine iſtud decet?
Ius, faſq; eſt? L. nemo alienus hic eſt. S. merito uoſtro amo uos;
Quia me colitis, & magnifacitis. L. decet mea Silenium
Hunc eſſe ordinem: beneuolenteis inter ſe, beneq; utier
Amicitia ubi iſtas uideas ſummo genere natas
Summateis matronas, ut ſancte amicitiam colunt,
Atque ut eam uinctam bene habent inter ſe? ſi idem iſtuc nos
Facimus, ſi idem iſtuc imitamur, ita tamen uix uiuimus.
Cum inuidia ſumma opum ſuarum nos illæ uolunt
Eſſe indigentes, noſtra copia nihil poteſſe,
Suiq; omnium rerum nos indigere, ut ſibi ſimus ſupplices:
Eas ſi adeas, abitum quàm aditum malis, ita noſtro ordini
Palàm blandiuntur: clàm ſi occaſio uſquàm eſt, frigidam
Subdole ſuffundunt: uiris cum ſuis nos ſolere prædicant:
Suas pellices eſſe aiunt: eunt depreſſum, quia nos ſumus
Libertinæ: & ego, & tua mater, ambæ meretrices fuimus.
Illa te, ego hanc mihi educaui ex patribus conuiguis: ego
Neque hanc ſuperbiæ cauſſa reppuli ad meretricium
Quæſtum: niſi ut ne eſurirem. S. at ſatius fuerat eam uiro
Dare nuptum potius. L. eia, hæc quidem ecaſtor quotidie uiro
Nubit: nupſitq; hodie, nubet mox noctu. nunquam ego hanc
Viduam cubare ſiui: nam ſi hæc non nubat, lugubre
Fame familia pereat. G. neceſſe eſt, quo tu me modo
Voles eſſe, ita eſſe mater. L. ecaſtor haud me pœnitet,
Si ut dicis, ita futura es. nam ſi quidem ita eris ut uolo,
Nunquam Hecale fies: ſemperq; iſtanc, quam habes ætatulam

* diſciplina uel diſcipula.

Obtinebis:multisq́; damno,& mihi lucro ſine ſumptu eriſ.
G. Di faxint. L. ſine tua opera nihil di horum facere poſſunt.
G. Equidem hercle addam operam ſedulo. ſed tu inter hæc uerba
Meus oculus,mea Silenium,nunquam triſtiorem te
Vidi eſſe.cedò quid tam abhorret hilaritudo,te obſecro?
Neque munda es adæque,ut ſoles:hoc ſis uide ut ſuſpirium
Petiuit alte,& pallida es? eloquere nobis utrunque,
Et quid tibi eſt,& quid uelis noſtram operam:ut ſciamus nos.
Noli obſecro impetrare lachrumis mihi excruciatum tuis.
S. Male excrucior Gymnaſium mea, male mihi'ſt, male maceror:
Doleo ab animo,doleo ab oculis,doleo ab ægritudine.
Quid dicam,niſi ſtultitia mea me in mœrorem rapit?
G. Indidem unde oritur,facito ut facias ſtultitiam ſepelibilem.
S. Quid faciam? G. in latebras abſcondas pectore penitiſſumo
Tuam ſtultitiam,ſola facito ut ſcias ſine arbitris.
S. At mihi cordoliū eſt.G.quid id?unde eſt tibi,cōmemora obſecro,
Quod neque ego habeo, neque quiſquam alia mulier,ut perhibent uiri?
S. Si quid eſt quod doleat,dolet:ſi autem non eſt, tamen hoc hic dolet.
G. Amat hæc mulier.S.chò,an amare occipere,amarū eſt,obſecro?
G. NANQVE ECASTOR AMOR & melle,& felle eſt fœcundiſſumus:
Guſtu dat dulce,amarum ad ſatietatem uſque aggerit.
S. Ad iſtam faciem eſt morbus,qui me Gymnaſium macerat.
G. Perfidioſus eſt amor. S.ergo in me peculatum facit?
G. Bono animo es,erit iſti morbo melius. S. confidam fore,
Si medicus ueniat,qui huic morbo facere medicinam poteſt.
G. Veniet. S. ſpiſſum iſtud amanti'ſt uerbum,ueniet,niſi uenit.
Sed mea ego culpa,& ſtultitia peius miſera maceror:
Quia ego illum mihi unum exoptaui, quicum ætatem degerem.
G. Matronæ magis conducibile'ſt iſtuc,mea Silenium,
Vnum amare, & ætatem cum illo exigere, quoi nupta'ſt ſemel.
Verum enim meretrix fortunati eſt oppidi ſimilluma,
Non poteſt ſuam rem obtinere ſola ſine multis uiris.

S. Hoc uolo agatis: qua accerſitæ cauſſa ad me eſtis, eloquar:
Nam mea mater, quia ego nolo me meretricem dicier,
Obſecuta eſt, de ea re geßit morem morigeræ mihi,
Vt me, quem ego amaui grauiter, ſineret cum eo uiuere.
L. Stulte eccaſtor fecit. ſed tu en unquam cum quiquam uiro
Conſueuiſti? S. niſi quidem cum Alceſimarcho, nemine.
Neque pudicitiam meam mihi alius imminuit quiſquam.
L. Obſecro quo is homo inſinuauit pacto ad te? S. per Dionyſia
Mater pompam me ſpecitatum duxit. dum redeo domum,
Conſpicillo conſecutus eſt clanculum me uſque ad foreis.
Inde in amicitiam inſinuauit cum matre & mecum ſimul
Blãditijs, muneribus, donis. G. mihi iſtum hominem uellem dari.
Vt ego illum uorſarem. S. quid opus uerbis? conſuetudine
Cœpi amare contrà ego illum, & ille me. L. ô mea Silenium. S. (quid eſt?
L. Aßimulate amare oportet: nam ſi éxtemplo ames,
Melius illi multo, quem ames, conſulas quàm rei tuæ.
S. At ille conceptis iurauit uerbis apud matrem meam,
Me uxorem ducturum eſſe: ei nunc alia ducenda'ſt domum,
Sua cognata Lemnienſis quæ habitat hic in proxumo:
Nam eum pater eius ſubegit. nunc mea mater mihi irata'ſt,
Quia non redierim domum ad ſe, poſtquam eam rẽ reſciuerim,
Eum uxorem ducturum eſſe aliam. L. nihil amare iniurium eſt.
S. Nũc ego te ámabo obſecro, ut hanc mecum triduũ hoc ſolũ ſinas
Eſſe, & hic ſeruare apud me: nam ad matrem accerſita ſum.
L. Quanquam mihi iſtud erit moleſtum triduum, & damnũ dabis,
Faciam. S. facis benigne: ſed tu Gymnaſium mea,
Si me abſente Alceſimarchus ueniet, nolito acriter
Eum inclamare, & utut me erga'ſt meritus, tamen incordies:
Sed tranquille ámabo, ne quid quod illi doleat, dixeris:
Accipias claueis: ſiquid tibi opus erit promptu, promito:
Ego uolo ire. G. ut exciuiſti mihi lachrumas? S. Gymnaſium mea
Bene uale. G. cura te ámabo: ſiccine immunda obſecro, abis?
S. Immundas fortunas meas æquom'ſt ſqualorem ſequi.
G. Amiculum hoc ſuſtolle ſaltẽ. S. ſine trahi, quom egomet trahor.

G. Quandò ita tibi iuuat, uale atq; ſalue. S. ſi poßim, uelim.
G. Nunquid me uis mater intrò quin eam? ecaſtor mihi
Viſa amare. L. iſtoc ergo aureis grauiter obtundo tuas,
Ne quem ames. abi intrò. G. nũquid me uis? L. ut ualeas. G. uale.

LENA.

ID mihi, magnæ quod parti eſt uitium mulierum,
Quæ nunc quæſtum facimus, quæ ubi ſaburratæ ſumus,
Largilo quæ extemplo ſumus, plus loquimur, quàm ſat eſt.
Nam ego illam olim, quæ flens hinc abijt, paruolam
Puellam proiectam ex angiportu ſuſtuli.
Adoleſcens quidam hinc eſt apprime nobilis:
Quin ego nunc quaſi ſum honeſta mea ex ſententia:
Quia quom adeò me compleui flore Liberi,
Magis libera uti lingua collubitu'ſt mihi:
Tacêre nequeo miſera, quod tacito uſus eſt.
Sicyone ſummo genere ei uiuit pater:
Is amore miſere hanc deperit mulierculam,
Quæ hinc modo flens abijt: contra amorem cũ hæc perdita eſt.
Eam meæ ego amicæ dono huic meretrici dedi,
Quòd ſæpe mecum mentionem fecerit,
Puerum, aut puellam alicunde ut reperirem ſibi
Recens natum, capſe quod ſibi ſupponeret.
Vbi mihi poteſtas primùm euenit, illico
Feci eius ei, quod orauit me, copiam.
Poſtquam puellam eam à me accepit, illico
Eandem puellam peperit, quam à me acceperat
Sine obſtetricis opera, & ſine doloribus
Item ut aliæ pariunt, quæ malum quærunt ſibi.
Nam amatorem aiebat eſſe peregrinum ſibi:
Suppoſitionem, eius rei facere gratia.
Id duæ nos ſolæ ſcimus, ego quæ illi dedi,
Et illa quæ à me accepit, præter uos quidem.
Hæc ſi res geſta: ſi quid uſus uenerit,
Meminiſſe ego hanc rem uos uolo: ego abeo domum.

AVXILIVM, *prologus.*

VTrunque hæc, & multiloqua, & multibiba eſt anus,
Satineſ uix reliquit deo quod loqueretur loci,
Ita properauit de puellæ proloqui
Suppoſitione. quod ſi tacuiſſet, tamen
Ego eram dicturus deus, qui poteram planius:
Nam mihi nomen eſt AVXILIO. *nunc operam date,*
Vt ego argumentum hoc uobis planè perputem.
Fuêre SICYONI *iamdiu Dionyſia.*
Mercator uenit huc ad ludos Lemnius:
Isq́; hic compreſſit uirginem adoleſcentulus,
Vinolentus, raptam multa nocte in uia.
Is ubi malam rem ſcit ſe meruiſſe, illico
Pedibus perfugium peperit, in Lemnum aufugit,
Vbi habitabat. tunc illa quam compreſſerat,
Decumo pòſt menſe exacto, hic peperit filiam.
Quoniam reum eius facti neſcit qui ſiet,
Paternum ſeruom ſui participat conſilij:
Dat eam puellam ei ſeruo exponendam ad necem:
Is eam proiecit. hæc puellam ſubſtulit:
Ille clàm obſeruauit quò hæc puellam deferat,
Vt eampſe uos audiſtis confiterier.
Dat eam puellam meretrici MELAENIDI:
Eaq́; educauit eam ſibi pro filia
Bene, ac pudicè. tum illic autem Lemnius
Propinquam uxorem duxit cognatam ſuam.
Ea diem ſuum obijt: facta morigera'ſt uiro.
Poſtquàm ille uxori iuſta fecit, illico
Huc commigrauit: duxit uxorem hic ſibi
Eandem, quam olim uirginem hic compreſſerat,
Et eam cognoſcit eſſe, quam compreſſerat.
Illa illi dicit eius ſe ex iniuria
Peperiſſe gnatam, atque eam ſe ſeruo illico
Dediſſe exponendam. ille extemplo ſeruolum

Iubet illum eundem proſequi, ſi qua queat.
Reperire, quæ ſuſtulerit. ei rei ſuam
Nunc operam ſeruos uſque dat, ſi poßiet
Meretricem illam inuenire, quam olim tollere,
Quom ipſe exponebat, ex inſidijs uiderat.
Nunc quod reliquom reſtat, uolo perſoluere,
Vt expungatur nomen, ne quid debeam.
Adoleſcens hic eſt Sicyone: ei uiuit pater.
Is amore proiectitiam illam deperit,
Quæ dudum flens hinc abijt ad matrem ſuam.
Et illa hunc contrà, qui eſt amor ſuauißumus.
Vt ſunt humana, NIHIL EST PERPETVVM DATVM.
Pater adoleſcenti dare uolt uxorem. hoc ubi
Mater reſciuit, iußit accerſi eam domum,
Hæc res geſta ſic eſt. bene ualete, & uincite
Virtute uera, quod feciſtis antehac.
Seruate ueſtros ſocios ueteres, & nouos.
Augete auxilia uoſtris uictis legionibus.
Perdite perduelles. parite laudem, & lauream,
Et uobis uicti Pœni pœnas ſufferant.

ACTVS SECVNDVS.

ALCESIMARCHVS, adoleſcens. MELAENIS, lena.

A. CREDO EGO amorem primùm apud homines carnuficinam commentum:
Hanc de me coniecturam domi facio, ne foris quæram:
Qui omnes homines ſupero, atque antideo cruciabilitatibus:
Iactor, crucior, agitor, ſtimulor, uerſor in amoris rota: miſer
Exanimor, feror, differor, diſtrahor, deripior, ita
Nullam mentem animi habeo: ubi ſum, ibi non ſum: ubi non ſum, ibi'ſt animus.
Ita mihi ingenia ſunt, quod lubet non lubet iam id continuo:
Ita me amor lapſum animi ludificat, fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet. iactat, largitur. quod dat, non dat, eludit.
Modo quod ſuaſit, diſſuadet; quod diſſuaſit, id oſtentat.

Maritumis moribus mecum experitur, ita meum
Frangit amantem animum: neq;, niſi quia miſer ne eo peſſum,
Mihi ulla abeſt iam perdito pernicies: ita pater
Apud uillam detinuit me hoſce ſex dies ruri
Continuos, neque licitum interea'ſt meam amicam uiſere:
Eſt'ne hoc miſerum memoratu? M. eò facetus, quia tibi
Alia'ſt ſponſa locuples Lemnia: habeas: neque nos tanta
Factione ſumus, neq; opes noſtræ tam ſunt ualidæ, quàm tuæ:
Verùm haud metuo ne iurandum noſtrum quiſquam culpitet.
Tu iam ſi quid dolebit, ſcies qua doleat gratia.
A. Di me perdant. M. quodcunque optes, tibi uelim contingere.
A. Si illam uxorem duxero mihi unquam, quam deſpondit pater.
M. Et me, ſi unquam tibi uxorem filiam dedero meam.
A. Periurare me patière? M. atque quàm me, aliquanto facilius,
Meamq; rem perire, & ludificare filiam.
Abi quærere ubi tuo iurando ſatis ſit ſubſidij:
Hic apud nos iam Alceſimarche confregiſti teſſaram.
A. Face ſemel periculum. M. ſæpe feci, quod factum queror.
A. Redde mihi illam. M. inter nouam rem uerbum uſurpabo uetus:
Quod tibi dedi, datum non uellem: quod reliquom'ſt, non dabo.
A. Non remiſſura es mihi illam? M pro me reſponſa tibi.
A. Non remittes? M. ſcis iamdudum omnem meam ſententiam.
A. Satin' iſtuc tibi in corde certu'ſt? M. quin ego cõmentor quidem:
Non, ædepol, iſtæc tua dicta nunc in aureis recipio.
A. Non? hem quid agis? M. igitur animaduorte iam: quod agas,
A. At ita me di, deæq;, ſuperi, inferi, & medioxumi, (ſcias.
Itaq; me regina Iuno, & Iouis ſupremi filia,
Itáque me Saturnus patruus eius. M. ecaſtor pater.
A. Itaq; Ops opulenta illius auia. M. quinimmò mater quidem.
A. Iuno filia, & Saturnus patruus eſt, ſummus Iupiter:
Tu Melænis, nunc propter te hæc pecco. M. perge dicere.
A. An ne ut etiam quid conſultura ſis ſciam? M. perge
Eloqui, non remittam, definitu'ſt. A. enimuero ita Iupiter,
Itaq; me Iuno, & Saturnus rex, quid dicam neſcio.

Iam ſcio. immo mulier audi, meam ut ſcias ſententiam:
Dij me omnes magni, minutiq;, & patellarij
Faxint, ne ego uiuos dem ſauium Silenio,
Niſi ego te, tuamq; filiam, meq; hodie obtruncauero:
Poſtea autem cum primo lucu cras niſi ambos occidero:
Et equidem hercle niſi perdam te tertio, omneis effiixero,
Niſi tu illam remittis ad me. dixi quæ uolui, uale.
M. Abit intrò iratus. quid ego nunc agam? ſi redierit
Illa ad hunc, ibidem loci res erit: ubi odium occœperit,
Illam extrudet, quom hanc uxorem Lemniam ducet domum.
Sed tamen ibo, & perſequar: amans ne quid faciat, cauto opu'ſt.
Poſtremò, quandò æqua lege pauperi cum diuite
Non licet, perdam operam potius, quàm carebo filia.
Sed quis hic eſt, qui recta platea curſum huc contendit ſuum?
Illud pauco, & hoc formido, ita tota ſum miſera in metu.

LAMPADIO, ſeruos.

ANum ſectatus ſum clamore per uias:
Miſerrumam habui: ut illæc hodie quot modis
Sibi moderatrix fuit: atque immemorabilis?
Quot illi blanditias? quid promiſi boni?
Quot admoui fabricas? & quot fallacias
In quæſtione? uix exculpſi ut diceret,
Quia ei promiſi modiolum uini dare.

PHANOSTRATA, uxor. LAMPADIO, MELAENIS.

P. AVdire uocem uiſa ſum ante ædeis modo
Mei Lampadiſci ſerui. L. non ſurda hera es,
Rectè audiuiſti. P. quid agis hic? L. quod gaudeas.
P. Quid id eſt? L. hinc ex hiſce ædibus paulo prius
Vidi exeuntem mulierem. P. illam, quæ meam
Gnatam ſuſtulerat? L. rem tenes. P. quid poſtea?
L. Dico ei, quo pacto eam ab hippodromo uiderim
Herilem filiam noſtram ſuſtollere.
P. Extimuit tum illam? M. iam horret corpus, cor ſalit:
Nam mihi ab Hippodromo memini afferri paruolam

Puellam, eamq́; me mihi ſupponere.

P. Age, perge quæſo: nam animus audire expetit
Vti res geſta ſit. M. utinam audire non queas.

L. Pergo illò. ſubagito blandis, & benedicis
Dictis: illæc forti fortuna fortius
Aures obſerat. ego Lemniam foras uoco:
Nam illæc tibi nutrix eſt, ne matrem cenſeas.
Ego te reduco, & reuoco ad diuitias, ubi
Tu iam locêre in luculentam familiam,
Vnde tibi talenta magna uiginti pater
Det dotis: non enim hic, ubi ex Tuſco modo
Tute tibi indigne dotem quæras corpore.

P. An ámabo meretrix illa'ſt, quæ illam ſuſtulit?

L. Immò meretrix fuit: ſed ut ſit de ea re, eloquar.
Iam perducebam illam ad me ſuadela mea,
Anus ei amplexa'ſt genua plorans, obſecrans
Ne deſerat ſe, eam ſuam eſſe filiam,
Seq́; eam peperiſſe, ſanctè adiurabat mihi.
Iſtanc, quám quæris, inquit, ego amicæ meæ
Dedi, quæ educeret eam pro filiola ſua.
Et uiuit inquit. ubi ea'ſt, inquam éxtemplo?

P. Seruate di me obſecro. M. at me di perditis.

P. Quò illam dediſſet, exquiſiſſe oportuit.

L. Quæſiui, & dixit, meretrici Melænidi.

M. Meum elocutu'ſt nomen, interij oppidò.

L. Vbi elocuta'ſt, ego continuo anum interrogo,
Vbi habitat, inquam? duc, ac demonſtra mihi.
Auecta'ſt, inquit, peregre hinc habitatum longius.

M. Obſtipat aquulam. L. quò aduecta'ſt, eò ſequimur?
Siccine agis nugas? perijſti hercle. non deſtiti
Inſtare uſque adeò, donec adiurat ſe anus
Eam mihi monſtrare. P. ah non miſſam oportuit.

L. Seruatur. ſed ſe quandam aiebat mulierem
Suam beneuolentem conuenire etiam prius,

Commu-

Commune quia cum id eſſet ſibi negotium:
Et ſcio me uenturam. M. me indicauit, & ſuas,
Ac meas miſerias alias faciam conſcias.
P. Quid nunc uis facere me? L. iurò abi, atque animo bono es.
Vir ſi tuus ueniet, iube domi opperier,
Ne quæſtioni mihi ſit, ſi quid cum uelim:
Ego ad anum recurro curſum. P. Lampadio obſecro
Cura. L. perfectum ego hoc dabo negotium.
P. Deos, teq; ego ſpero. L. eoſdem ego, uti abeas domum.
M. Adoleſcens aſta, atque audi. L. men' mulier uocas?
M. Te. L. quid negoci'st? nam occupatus ſum ampliter.
M. Quis iſtic habitat? L. Demipho dominus meus.
M. Nempe iſtic eſt, qui Alceſimarcho filiam
Suam deſpondit in diuitias maxumas?
L. Is ipſus eſt. M. ehò tu, quam igitur filiam
Nunc quæritatis alteram? L. ego dicam tibi.
Non ex uxore gnatam, uxoris filiam.
M. Quid iſtuc eſt uerbi? L. ex priore muliere
Nata, inquam, meo hero eſt filia. M. certo modo
Huius quæ locuta'st, quærere aiebas filiam.
L. Huius ego quæro. M. quo modo igitur obſecro
Hæc eſt prior, quæ nupta nunc eſt? L. conteris
Tu tua me oratione mulier, quiſquis es:
Medioxumam quam duxit uxorem, ex ea
Nata'st hæc uirgo, Alceſimarcho quæ datur.
Ea uxor diem obijt. ſcis? M. teneo iſtuc ſatis:
Sed ego illud quæro confragoſum, quo modo
Prior poſterior ſit, poſterior ſit prior.
L. Prius hanc compreſſit, quàm uxorem duxit domum:
Prius grauida facta'st: prius peperit filiam.
Ea poſtquàm peperit, iuſſit paruam proijci.
Ego eam proieci. alia mulier illam ſuſtulit:
Ego inſpectaui. meus herus hanc duxit pòst ibi.
Eam nunc puellam, filiam eius quærimus.

Quid

Quid nunc ſupina ſurſum in cœlum conſpicis?
M. I nunc iam: iſtuc quod properabas, nihil moror,
Nunc intellexi. L. dijs hercle habeo gratiam:
Nam ni intellexiſſes, nunquam credo amitteres.
M. Nunc mihi bonæ neceſſu'st eſſe ingratijs:
Quanquam eſſe nolo, rem palàm eſſe intellego.
Nunc egomet potius hanc inibo gratiam
Ab illis, quàm illæc indicet me. ibo domum,
Atque ad parentes ſuos reducam Silenium.

ACTVS TERTIVS.

MILAENIS. ALCESIMARCHVS. SILENIVM.

M. REm elocuta ſum tibi omnem, ſequere me mea Silenium,
Vt eorum, quoniam eſſe oportet te, ſis potius, quàm meà.
Quanq̃ inuita te carebo, meũ animũ ego inducam tamen
Vt illud, quod tuam in rem bene conducat, conſulam.
Nam hic crepundia inſunt, quibuſcum te illa olim ad me detulit:
Quæ mihi dedit, parentes te ut cognoſcant facilius.
Accipe hanc ciſtellam Haliſca, atque agedum pulta illas forcis.
Dic me orare, ut aliquis intus prodeat: propera ocyus.
A. Recipe me ad te mors amicum, & beneuolum. S. mater mea
Perimus miſeræ. A. utrum hac me feriam, an ab læua latus?
M. Quid tibi'st? S. Alceſimarchum ferrum tenentem non uides?
A. Ecquid agis? ne morare: lumen linque. S. accurrite,
Ne ſe interimat. A. ô ſalute mea ſalus ſalubrior:
Tu nunc ſi ego uolo, ſeu nolo, ſola me ut uiuam, facis.
M. Hau uoluiſti iſtuc ſæuum facere? A. nihil mecum tibi:
Mortuus tibi ſum, hanc ut habeo, certu'st non amittere.
Nam hercle iam ad me agglutinandum totam decretu'st dare.
Vbi eſtis? occludite ædeis peſſulis, repagulis.
Ibo, hanc ego tetulero intra limen. M. abijt, abſtulit
Mulierem. ibo, perſequar iam illum intrò, ut hæc ex me ſciat
Eadem, ſi poſſum tranquillum facere ex irato mihi.

ACTVS QVARTVS.

LAMPADIO, & PHANOSTRATA.

Nullam

L. NVllam ego me uidiſſe credo magis anum excruciabilem,
Quā illæc eſt, quæ dudū faſſa'ſt mihi, quæ ucinficias eat.
Sed eccam herā uideo. ſed quid hoc eſt, quòd ciſtella hic (iacet
Cum crepundijs, nec quenquam conſpicor alium in uia?
Faciundu'ſt puerile officium, conquiniſcam ad ciſtellam.
P. Quid agis Lampadio? L. hæc ciſtella num nam hinc ab nobis domo'ſt?
Nam hinc ab oſtio iacentem ſuſtuli. P. quid nuntias
Super anu? L. ſceleſtiorem in terra nullam eſſe alteram:
Omnia inficiatur ea, quæ dudum confeſſa'ſt mihi:
Nam hercle ego illam anum irridere me ut ſinam, ſatius mihi'ſt
Quouis exitio interire. P. di obſecro uoſtram fidem?
L. Quid deos obſecras? P. ſeruate nos. L. quid eſt? P. crepundia
Hæc ſunt, quibuſcum extuliſti noſtram filiolam ad necem.
L. Sanane es? P hæc ſunt profecto. L. perge hinc. P. hæc ſunt. L. ſi (mihi
Alia mulier iſtoc pacto dicat, dicam eſſe ebriam.
P. Non ecaſtor caſſa memoro: nam obſecro unde hæc gentium,
Aut quis deus obiecit hanc ante oſtium noſtrum? quaſi
Dedita opera in tempore ipſo Spes mihi ſancta ſubuenit.

HALISCA, ancilla. LAMPADIO. PHANOSTRATA.

H. NIſi quid mihi opis dij dant, diſperij: neque
Vnde auxilium mihi, aut præſidium expetam, habeo.
Itaque petulantia mea me animi miſeram habet:
Quæ in tergum meum ne ueniat, formido male,
Si hera mea tam ſocordem eſſe me, quàm ſum, ſciat.
Quam næ in manibus tenui, atque accepi ciſtulam
Hic ante ædeis noſtras, ubi ea ſit, neſcio:
Niſi, ut opinor, loca hæc circiter excidit mihi.
Mi homines, mî ſpectatores obſecro facite
Indicium, ſi quis uidit, ſi quis eam abſtulit,
Quiſue ſuſtulit, & utrum hâc an illâc iter inſtitit.
Sed nónne ecaſtor ego ſum multo inſcitior,
Hos quæ rogem, aut quæ fatigem, qui ſemper malo
Mulicbri ſunt lubentes? nunc ueſtigia

Hic

Hic ſi qua ſunt, iam noſcitabo: nam niſi
Nemo hâc prætериjt, poſtquam intrò abij, ciſtella hic
Iaceret. quid hic? hic perijt opinor. illicet,
Actu'ſt. me infelicem & ſceleſtam, nulla hic eſt,
Atque neque ego ſum uſquam, perdita me perdidit.
Sed pergam, ut cœpi: quæritabo ego hic tamen:
Nam & intus pauco, & formido foris, ita metus
Nunc utrobique me agitat, ille nunc lætus eſt,
Quiſquis eſt, qui illam habet:
Quæ neque illa illi quicquam uſui'ſt,
Mihi poteſt eſſe. ſed nunc ego memet moror.
Quin hoc Haliſca, hoc inquam age, ad terram aſpice:
Et deſpice, oculis inueſtiga, aſtute augura.
Hera? hẽ tibi. P. quid eſt? L. hæc eſt. P. quis? L. quoi hæc excidit.
L. Ciſtella: eccam locum ſignat, ubi ea excidit.
H. Sed is hâc, aut hâc, ſocci uideo ueſtigium
In puluere. perſequar hâc: iam hoc loco cum altero conſtitit.
Meis hic oculis turba ſe obiecit modo:
Neque prorſum ijt hâc: hic ſtetit, hinc illuc exijt.
Hic concilium fuit, ad duos hoc attinet.
Si quis. atat ſingulum uideo ueſtigium.
Sed is hâc abijt: contemplabor. is hinc huc ijt.
Hinc nuſquam abijt. actam rem ago: quod perijt, perijt,
Meumq; corium cum ciſtella. redeo intrò.
P. Sunt qui uolunt te conuentam. H. quis me reuocat?
P. Bona fœmina, & malus maſculus hic te uolunt.
H. Plus qui uocat, ſcit quod uelit, quàm ego quæ uocor.
Reuortor. ecquem tu uidiſti tollere hic,
Amabo in hac regione cum crepundijs
Ciſtellam, quam ego hic amiſi miſera? nam dudum
Vt ad Alceſimarchum iſtuc omnes accurrimus,
Capillo ſciſſo atque exciſſatis auribus
Tumultuantem, ne ſe uita interimeret,
Timore puto excidiſſe ciſtellam mihi.

Diſperij miſera, quid ego heræ dicam meæ,
Quæ me opere tanto eam ſeruare iuſſerat,
Quî ſuos Silenium parentes facilius
Poſſet noſcere, quæ meæ heræ ſuppoſita'ſt parua,
Quam quædam dedit ei meretrix. L. hæc noſtram rem
Fabulatur: hanc ſcire oportet filia tua ubi ſit,
Signa ut dicit. H. nunc eam uolt ſuæ matri & patri,
Quibus nata'ſt, ultrò reddere. mi homo obſecro
Alias res geris, ego tibi meas mando. L. iſtuc ago:
Atque iſtic, quod tu fabulare, mihi cibus eſt.
Sed inter rem agendam iſtam heræ: huic reſpondi quod rogat.
Nunc ad te redeo ſi quid opu'ſt, dic, impera.
Et tu quid quæritabas? H. mi homo, & mea mulier,
Ego uos ſaluto. P. & nos te. ſed quid quæritas?
H. Veſtigium hic requiro, quâ aufugit mihi
Quædam. L. quid id eſt, quidnam eſt, quod quæris? neſcio.
P. Alienámne, an familiarem hanc ego memorem?
L. Mala merx hera hæc, & callida. P. ecaſtor mihi
Ita uidetur. L. imitatur nequam beſtiam,
Et damnificam. P. ſed quidnam ámabo? L. inuoluolum,
Quæ in pampini folio intorta implicat ſe: itidem hæc
Intortam orationem exorditur ſibi.
Quid quæritas? H. ciſtellam adoleſcens: hic mihi
Euolauit. L. in cauea latam oportuit. H. ædepol
Non præda magna'ſt? L. mirum quin grex uenalium
In ciſtella infuerit una. P. ſine ut dicat.
L. Si dicat quidem. P. age, loquere tu, quid ibi infuerit.
H. Crepundia una. L. eſt quidam homo, qui illam ſe ait
Scire ubi ſit. H. at pol ille à quadam muliere,
Si eam demonſtret, ineat magnam gratiam.
L. At pol ſibi ille quidam uolt mercedem dari.
H. At pol illa quædam, quæ illam ciſtellam perdidit,
Eam qui dat, ſibi eſſe quod ei det, negat.
L. At enim ille quidam ſibi dari argentum expetit.

At pol

H. At pol illa quædam mulier in nulla'ſt opera
Gratuita. L. commoda loquelam iam tuam,
Tibi nos prodimus, ac confitemur ciſtellam
Habere. H. at uos ſeruaßit ſalus. ubi ea nunc eſt?
P. Saluam eccam: ſed ego rem meam magnam tecum
Confabulari uolo, ſociam te mihi opto
Ad meam ſalutem. A. quid iſtuc eſt negocij?
Aut quis tu nunc es? P. ego ſum mater illius
Quæ hæc geſtitauit. H. hic ergo habitas. P. hariola es.
Sed quæſo ambages mulier mitte, atque hoc age:
Eloquere, unde hæc ſunt tibi cito crepundia.
L. Mea hæc herilis geſtitauit, non tua.
P. Ne obloquere. L. taceo. mulier perge dicere:
Vbi ea'ſt quæ geſtitauit? H. hic in proxumo.
P. Iſtic quidem ædepol mei uiri habitat gener.
L. Ne obloquere rurſus. perge porrò dicere.
Quot annos nata dicitur? H. ſeptemdecim.
P. Mea'ſt. L. equolam hanc ſoli ſi detur, poſſum ego,
Ita muſtulemus æſtus nares attigit.
P. Quod quæritabam, filiam inueni meam.
H. At æquom'ſt, per fidem quod creditum eſt tibi,
Ne bene merenti ſit malo benignitas
Noſtra. hæc calumnia tua profecto eſt: filiam
Et reddiitura eſt tibi tuam, & ea gratia
Domo profecta'ſt. cæterum ex ipſa obſecro
Exquiritote: ego ſerua ſum. P. æquom poſtulas.
Illius ego iſtam inceſſo malle gratiam.
H. Sed iſtanc ciſtellam te obſecro, ut reddas mihi.
P. Quid fit Lampadio? H. quod tuu'ſt, teneas tuum.
P. At me huius miſeret. L. ſic faciundum cenſeo.
P. Da ciſtellam. L. tu intro hâc abi cum iſtac ſimul.
P. Tibi auſcultabo. tene tu ciſtellam tibi.
Abeamus intrò. ſed quod nomen eſt tuæ
Dominæ? H. Melænis. P. i præ, iam te ego ſequar.

ACTVS QVINTVS.

DEMIPHO, *ſenex.* LAMPADIO, *ſeruos.*

D. *QVid hoc negoti'ſt, quod homines fabulantur per uiam?*
Mihi eſſe filiam inuentam, & Lampadionem me in foro
Quæſiuiſſe, aiũt. L. here, unde is? D. ex ſenatu. L. gaudea
Tibi mea opera liberorum eſſe amplius. D. etenim non placet,
Nihil moror aliena mihi opera fieri plures liberos.
Sed quid nam iſtuc eſt? L. propera ire intrò ad affinem tuum:
Filiam tuam iam cognoſces, intus ibidem uxor tua'ſt.
Abi cito. D. præuorti hoc certu'ſt rebus alijs omnibus.

GREX.

NE expectetis ſpectatores, dum illi huc ad uos exeant:
Nemo exibit, omnes intus conficient negotium.
*Vbi id erit factum, ornamenta ponent. post id * ca loci*
Qui deliquerit, uapulabit: qui non deliquit, bibet.
Nunc ad uos ſpectatores, quod reliquom relinquitur,
More maiorum date plauſum poſtrema in comœdia.

*Ca licibus.

ANNOTATIONES IN CISTELLARIAM.

IN argumẽto, in uerſu illo: requirẽs ſeruos reperit, quam proiecerat. Nonnulli codices retulit pro reperit habent. Mihi magis probatur, ut legamus reperit.

Atq; id merum infuſcabat.) Aliter incruſtabat, loquitur de commixtione.

Frigidam ſubdole ſuffundunt.) Vide Chiliades frigidã ſuffundere, & Ludouicum Cœlium lib. 8. cap. 2.

Siquidem eris ut uolo nunquã Hecale fies.) Hecales paupertas carmine nobilitata eſt, de qua Ouidius:

Cur nemo eſt Hecalen, nulla eſt quæ ceperit Irum.
Nempe quod alter egens, altera pauper erat.

Nunquam Hecale fies, id eſt, aut nunquam pauper & inops fies, uel nunquam anicula aut annoſa, fingitur enim anus eſſe Hecale.

Neque pudicitiam meam mihi alius imminuit quiſquã.) Immi-

Imminuere pudicitiam, eſt uitiare pudicitiam, imminuit autem ſignificat hoc loco διακορῆσαι διαφθεῖραι.

Quæ nunc quæſtum facimus, quæ ubi ſaburratę ſumus.) Vide Chiliades adagiorum, ſaburratus.

Quia quom adeo me compleui flore liberi magis libera uti lingua.) Alludit ad nomen Liberi patris, qui ſic appellatus eſt teſte F. Pompeio, quod uino nimio uſi omnia libere loquantur.

Amore cum hæc aperit.) Legendum ex Romano codice adperit, à pereo, perdite amo.

Tum illa quam compreſſerat decumo menſe.) Vide cap. Gellij 16. lib. 3.

Et uobis uicti pœni.) Nonius ſic citat, ut noſtri uictis pœnis pœnas ſuggerant.

Lauream.) Lauream, myrteam. Frequens autoribus ſubticere per eclypſim in huiuſmodi dictionibus coronam.

Hanc de me domi coniecturam facio.) Vide Chiliades adagiorum Domi coniecturam facio.

Maritumis moribus.) Lege prouerbium: Maritumi mores.

Hic apud nos iam Alceſimarche confregiſti teſſeram.) Extat in Chiliadibus: Confringere teſſeram.

Quod tibi dedi datum nollem.) Extat & hoc in Chiliadibus.

Itáque me Iuno & Saturnus rex.) Codex Romanus ita habuit.

Itáque me Iuno & Saturnus.) Grexq́ꝫ deum Cœlicolarum, quibus terra cœlum, quid dicam neſcio &c.

Magni minutiq́ꝫ & patellarij.) De dijs patellarijs uide Cœlium lib. 1. cap. 24.

Ab Hippodromo ſuſtollere.) Hippodromus certaminis genus in quo de equorum pernicitate certabatur, celebratur autem Athenis, inſtitutum à Theſeo eſt.

Tuſco modo.) In Tuſco uico ſcorta habitaſſe tradit Cœlius ex Feſto Pomp.

M. ACTII PLAVTI
EPIDICVS.

DRAMATIS PERSONAE.

EPIDICVS, *ſeruos.*
TESPRIO, *ſeruos.*
STRATIPHOCLES, *adol.*
CHAERIBOLVS, *adol.*
APOECIDES, *ſenex.*
PERIPHANES, *ſenex.*
MILES.
FIDICINA.
MVLIER.
DANISTA.
VIRGO.
GREX.

ARGVMENTVM.

EMit Fidicinam, filiam credens ſenex
Perſuaſu ſerui: atque conductam conductitiam
Iterum pro amica ei ſubiecit filij.
Dat herili argentum: eo ſororem deſtinat
Imprudens iuuenis. mox compreſſæ, ac militis
Cognoſcit opera ſibi ſenex os ſublitum:
Vt ille amicam, hæc inquirebat filiam.
Sed gnata inuenta, ſeruolum emittit manu.

ALIVD ARGVMENTVM.

ATheníenſis Periphanes mulierem comprimit Epidauri: ex ea ſuſcipit filiam, quæ urgente bello hoſtium fit præda. Filius huius Stratiphocles inſcio patre amabat Fidicinam. cumq́; ei opus eſſet pecunia, quam lenoni traderet, Epidicus ſeruus opportune confingit fallaciam: ſuadet Periphani hanc redimi pro filia: hoc pacto ſenex multatur pecunia, domiq́; habet pro filia fidicinam. Stratiphocles domum rediens ab exercitu, prioris amoris immemor, mercatur ingenuam uirginem ex hoſtium præda, hæc erat ea Periphanis filia iam hoſtium potita: ſicq́; ſororem inſcius pro captiua redemit. cuius amore captus urget Epidicum, inuentis opus eſſe quadraginta minis, Daniſtę ut dentur pro mercata uirgine. mox Epidicus nouum eſt conſilium, nouum commentus dolum: herum Periphanem conuenit: nuntiat aduentare filium, illumq́; deperire fidicinam, pro qua daturus pe-

gus pecuniam eſt ut emittatur manu. pater timens filio, à ſeruo expetit conſilium. ille uafer ſuadet, ſenex prior fidicinam emat, quoniam hoc pacto ſpes amorum adoleſcentis falſa futura eſſet: polliceturq́ue de empta uirgine futurum lucrum, uenturum enim militem inquit, multa pecunia qui puellam redimat. placet conſilium ſeni: dat ſeruo petitos nummos, qui poſtremo dantur pro credita fidicina: Epidicusq́ue ut rei fidem faciat, conductam aliam pretio fidicinam pro empta ſubijcit. Interim aduenit miles amore allectus prioris fidicinæ quam Periphanes emerat pro filia: eam ſibi popoſcit dari. Periphanes eam ratus, quam ſeruus poſtremo emi ſuaſerat, ultrò aſſentitur militi: qui dum ſuam non eſſe aſſeuerat, eam tandem inueniunt non emptam, ſed conductam pretio: dolusq́ue hoc pacto detegitur Epidici. Poſtremo ex Epidauro mulier adiẽs, quæſitura captiuam filiam, incidit in Periphanem, agnoſcunt ſe inuicem, is aperit eſſe redemptam communem filiam, quam mulier cupiens amplexari, ſuam negat eſſe, ut uidit, gnatam, ſicq́ue, pro filia inuenitur empta fidicina. Periphanes ira percitus perdere quærit Epidicum: ſed ille dum intuetur emptam poſtremo puellam: nouit herilem eſſe filiam, indicat Stratiphocli inuentam ſororem & agnitam. Rerum harum inſcius Periphanes incidit in Epidicum. minatur ſupplicium ob fictos dolos. is ultrò præbet ligandas manus. Tandem re cognita, emptam poſtremo herilem eſſe natam, Epidicus ſeruus, cuius factum hoc obuenerat opera, libertate donatur.

ACTVS PRIMVS.

EPIDICVS, TESPRIO, *ſerui.*

E. *Heus adoleſcens.* T. *quis properantem me prehendit pallio?*
E. *Familiaris.* T. *fateor: nam odio es nimium familiariter.*
E. *Reſpice uerò Teſprio.* T. *oh: Epidicumne ego nunc conſpicor?* (*uelis:*
E. *Certe oculis uteris.* T. *ſalue.* E. *dij dent quæ*
Venire ſaluom gaudeo. T. *quid cæterum?* E. *eſſe quod aſſolet:*
Cœna tibi dabitur. T. *ſpondeo.* E. *quid?* T. *me accepturũ ſi dabis.*
E. *Quid tu autem, agis ut uelis?* T. *exemplum adeſſe intellego.*

E. Euge, corpulentior uidére atque agilior. T. hac gratiâ.
E. Quam quidem te iamdiu perdidiſſe oportuit. T. minus
Iam furtificus ſum, quàm antehac. E. quid ita? T. quid ita? rapio propalam.
E. Di immortales te infelicitent, ut tu is gradibus grandibus:
Nam ut apud portum te conſpexi, curriculo occœpi ſequi,
Vix adipiſcendi poteſtas modo fuit. T. ſcurra es. E. ſcio,
Te eſſe quidem hominem militarem. T. audacter quid uis dicito.
E. Quid agis? perpetuom ualuiſti? T. uarie. E. qui uariè ualent,
Caprigenum hominum nō placet mihi, neq; pantherinū genus.
T. Quid uis dicam, niſi quod eſt? E. ut illa reſpondeas probe:
Quid herilis noſter filius ualet? T. pugilice, atque athletice.
E. Voluptabilem mihi tuo aduentu attuliſti nuntium.
Sed ubi is eſt? T. adueni ſimul. E. ubi ergo'ſt, niſi ſi in uidulo,
Aut ſi in mellina attuliſti. T. di te perdant. E. te uolo
Percontari, operam da, opera reddetur tibi. T. ius dicis.
E. Me decet quidem. T. iam tu autem nobis præturam geris?
E. Quem dices digniorem eſſe hominem hodie Athenis alterum?
T. At unum à prætura tua Epidice abeſt. E. quid nam? T. ſcies:
Lictores duo, duo uiminei faſces uirgarum. E. uæ tibi.
Sed quid ais? T. quid rogas? E. ubi arma ſunt Stratiphocli?
T. Pol illa ad hoſtes transfugêre. E. arma nê? T. atque quidem cito.
E. Serione dicis tu? T. ſerio inquam, hoſtes habent.
E. Aedepol facinus improbum. T. at iam antè alij fecerunt idem:
Erit illi illa res honori. E. quî? T. quia antè alijs fuit.
Mulciber credo arma fecit, quæ in bello habuit Stratiphocles:
Tranſuolauerunt ad hoſtes. E. tum ille prognatus Theti,
Sine perdat, alia apportabunt ei Nerei filiæ.
Id modo uidendum, ut materies ſuppetat ſcutarijs,
Si in ſingulis ſtipendijs ad hoſteis exuuias dabit.
T. Superſede iſtis rebus iam. E. tu ipſe, ubi lubet, finem face.
T. Deſiſte percunctari. E. loquere, ubi ipſe eſt Stratiphocles?
T. Eſt cauſſa, qua cauſſa mecum ire ueritu'ſt. E. quidnam id eſt?
T. Patrem ſe uidere non uolt etiam nunc. E. quapropter? T. ſcies.

Quia forma lepida, & liberali captiuam adoleſcentulã (lor.
De præda mercatu'ſt. E. quid ego ex te audio? T. hoc, quod fabu
E. Cur eam emit? T. animi cauſſa. E. quot illic homo animos habet?
Nam certò priuſquam hinc ad legionem abijt domo, ipſe mihi
Mandauit, ab lenone ut fidicina, quam amabat, ſibi
Emeretur. id ei ego impetratum reddidi. T. VTCVNQVE
IN ALTO VENTV'ST Epidice, ex imo uelum uortitur.
E. Væ miſero mihi, male perdidit me. T. quid iſtuc? quid nam eſt?
E. quid?
Iſtanc quã emit, quãti eã emit? T. uili. E. haud ego iſtuc te rogo.
T. Quid igitur? E. quot minis? T. tot, quadragima minis. E. id
Adeò argentũ? T. ab Daniſta apud Thebas. E. ſumpſiſti fœnore?
T. In dies minasq; argenti ſingulas numus. E. papæ.
T. Et is Daniſta aduenit unà cum eo, qui argentum petit.
E. Di immortales ut ego interij baſilice. T. quid iam, aut quid eſt
Epidice? E. perdidit me. T. quis? E. ille qui arma perdidit.
T. Nam quid ita? E. quia quotidie ipſe ad me ab legione epiſtolas
Mittebat. ſed taccam optumũ eſt: PLVS SCIRE SATIVS EST,
Quàm loqui, ſeruom hominẽ: ea ſapientia eſt. T. neſcio ædepol
Quid tu timidus es: trepidas Epidice, ita uoltum tuum
Videor uidere commeruiſſe hic me abſente aliquid mali.
E. Potin' ut moleſtus ne ſis? T. abeo. E. aſta, abire nunc non ſinam.
T. Quid nunc me retines? E. amàtne iſtam quam emit de præda?
T. rogas?
Deperit. E. degetur corium de tergo meo. T. plus te amat,
Quàm unquam amauit. E. Iupiter te perduit. T. mitte nũc iam.
Nam ille me uetuit domum uenire: ad Chæribolum iuſsit huc
In proxumum ibi manere: eò eſt ipſe uenturus. E. quid ita?
T. Dicam: quia patrem prius conuenire ſe non uolt, neq;
Conſpicari, quàm id argentum, quod debet, dinumerauerit.
E. Tu ædepol re es turbulentus. T. mitte me, ut eam nunc iam.
E. Hæccine ubi ſcibit ſenex, iſtæc puppis percunda'ſt probè?
T. Quid iſtuc ad me attinet? uel quo tu intereas modo?
E. Quia perire ſolus nolo: te cupio perire ſimul

Beneuolens cum beneuolente. T. abi à me in malã rem maxumã
Cum iſtac conditione. E. i ſanè, ſi quid feſtinas magis.
T. Nunquam hominem quenquam conueni, unde abierim lubẽtius.
E. Illic hinc abijt: ſolus es nunc Epidice. quomodo
Me expeditum ex impedito faciam? conſilium placet.
Ego primùm miſer perpuli meis dolis ſenem,
Vt cenſeret ſuam argento ſeſe emere filiam.
Is filio ſuo fidicinam emit: quam ipſe amat: quam abiens
Mandauit mihi: ſibi nunc ab legione alteram adduxit
Animi cauſſa: corium perdidi. nam ubi ſenex ſenſerit
Sibi data eſſe uerba, uirgis dorſum deſpoliet meum.
At enim tu præcaue: nihil eſt iſtuc: plane hoc corruptu'ſt caput.
Nequam homo es Epidice: * quoi lubido'ſt male loqui:
Quia tu te deſeris. quid faciam? mén' tu rogas? tu quidem
Antehac alijs ſolebas dare conſilia mutua.
Quid? aliqua reperiundu'ſt. ſed ego ceſſo ire obuiam
Adoleſcenti, ut quid negoti ſit, ſciam? atque ipſe illic eſt.
Triſtis eſt: huc cum Chæribolo incedit æquali ſuo.
Huc concedam: orationem unde eorum placide perſequar.

* Fortaſſe legendum quia tibi.

STRATIPHOCLES, CHAERIBOLVS, adoleſcentes. EPIDICVS.

S. REm tibi elocutus ſum omnẽ Chæribole iam: atq; admodũ
Meûm mœrorum, atque amorum ſummam edictaui tibi.
C. Præter ætatem, & uirtutem ſtultus es Stratiphocles.
Id ne pudet te, quia captiuam genere prognatam bono
In præda es mercatus? quis erit, uitio qui id non uortat tibi?
S. Qui inuident, omnes inimicos mihi illoc facto repperi:
At eius pudicitiæ nunquam nec uim, nec uitium attuli.
C. Iam iſtoc probior es meo quidem animo, cum in amore tẽperes.
S. NIHIL AGIT, qui diffidentem uerbis ſolatur ſuis.
Is amicus eſt, qui in re dubia re iuuat, ubi re eſt opus.
C. Quid tibi me uis facere? S. argenti dare quadraginta mnas,
Quod Daniſtæ detur: unde ego illud ſumpſi fœnore.
C. Si haberem hercle. S. nam quid igitur te mihi eſſe rettulit

Beneſi-

Beneficium oratione, ſi ad rem auxilium emortuu'ſt?
C. Quin ædepol egomet amore differor. S. malim
Iſtiuſmodi mihi amicos furno merſos, quàm foro.
Sed operam Epidici nunc me emere precio precioſo uelim,
Quem quidem ego hominem irrigatum plagis piſtori dabo,
Niſi hodie prius comparaßit mihi quadraginta minas,
Quàm argenti fuero elocutus ei poſtremam ſyllabam.
E. Salua res eſt, bene promitte modo: ſpero ſeruabit id
Sine meo ſumptu: paratæ iam ſunt ſcapulis ſymbolæ.
Aggrediar hominem. aduenientem herum ſuum Stratiphoclem
Salua impertit ſalute Epidicus ſeruos. S. ubi is eſt? E. adeſt.
Saluom te gaudeo huc aduenisse. S. tam tibi credo iſtuc, q̃ mihi.
E. Benéne uſque ualuiſti? S. à morbo ualui, ab animo æger fui.
E. Quod ad me attinuit, ego curaui: quod mandaſti mihi,
Impetratum eſt: empta'ſt ancilla, quod tute ad me literas
Mißiculabas. S. perdidiſti omnem operam. E. nam quî perdidi?
S. Quia meo neque chara cordi'ſt, neq; placet. E. quid retulit mihi
Tantopere te mandare, & mittere ad me epiſtolas?
S. Illam amabam olim, nunc iam alia cura impendet pectori.
E. HERCLE MISERV'ST, ingratũ eſſe hominẽ id quod facias bene:
Ego quod benefeci, malefeci: quia amor mutauit locum.
S. Deſipiebam mentis, quom illas ſcriptas mittebam tibi.
E. Mén' piacularem oportet fieri ob ſtultitiam tuam,
Vt meum tergum ſtultitiæ tuæ ſubdas ſuccidaneum?
S. Quid uerba facimus? homini huic opus eſt quadraginta mnis
Celeriter calidè, Daniſtæ quas reſoluat, & cito.
E. Dic modo, unde auferre me uis? à quo trapezita peto?
S. Vnde lubet: nam ni illas ante ſolis occaſum hodie ἐλω, Id eſt
Meam domum tu ne imbites, tu te in piſtrinum. acce-
E. Facile tu iſtuc ſine periculo, & cura corde libero pero.
Fabulare Ioui: tergo noſtro ſed dolet quom ego uapulo.
S. Quid tu nunc, patierin' ut ego me interimam? E. ne feceris.
Ego iſtuc accedam potius periclum, atque audaciam.
S. Nunc places, nunc ego te laudo. E. patiar ego iſtuc, quod lubet.

S. Quid de illa fiet fidicina igitur? E. aliqua reperibitur,
Aliqua ope exoluam, extricabor aliqua. S. plenus conſili es,
Noui ego te. E. Euboicus miles locuples, multo auro potens,
Qui tibi quom iſtam emptam eſſe ſcibit, atque hanc adductam alteram,
Continuo te orabit ultro, ut illam tranſmittas ſibi.
Sed ubi illa'ſt, quam tu adduxiſti tecum? S. iam faxo hic erit.
C. Quid hic nunc agimus? S. eamus intrò ad te: ut hũc hodie diem
Luculente habeamus. E. ite intrò: ego de re argentaria
Iam ſenatum conuocabo in corde conſiliarium,
Quoi potiſſimum indicatur bellum, unde argentum auferam.
Epidice uide quid agas, ita res ſubito hæc obiecta'ſt tibi:
Non enim nunc tibi dormitandum, neque cunctandi copia'ſt.
Tibi audendum eſt. ſenem oppugnare certum eſt conſilium.
Abi intrò, atque adoleſcenti dic noſtro herili filio,
Ne hinc foras ambulet, néue uſquam ueniat obuiam ſeni.

ACTVS SECVNDVS.

APOEÇIDES, PERIPHANES, ſenes.

A. PLerique homines, quos quom nihil refert, pudet:
Vbi pudendum'ſt, ibi deſerit eos pudor,
Quom magis uſus eſt, ut pudeat. is tu adeò es, qui des
Quod pudendum ſiet, genere natam bono pauperem
Domum ducere uxorem, præſertim eam, qua ex tibi
Commemores hanc, quæ domi'ſt, prognatam filiam.
P. Reuereor filium. A. at pol ego te credidi.
Vxorem, quam extuliſti, pudore te exequi:
Quoius, quoties uides ſepulchrum, ſacruficas
Horco illico hoſtias. neque adeò iniuria:
Quia licitu'ſt eam tibi uiuendo uincere.
P. Oh, Hercules ego fui, dum illa mecum fuit:
Neque ſexta ærumna acerbior Herculi, quàm mihi
Illa obiecta' ſt. A. pulchra ædepol dos pecunia'ſt.
P. Quæ quidem ædepol eſt non marita Apoëcide.

EPIDICVS. APOECIDES. PERIPHANES.

E. ATat tacete. habete animum bonum, liquido exeo
Foras auſpicio, aui ſiniſtra: acutum cultrum habeo,
Qui ſeni exenterem marſupium. ſed eccum ipſum ante (ædeis
Conſpicor Apoëcidæ, quales uolo uetulos duos.
Iam ego me uortam in hirudinem, atq; horũ exugebo ſanguinẽ,
Senati qui columen cluent. A. ut continuo fiat
Maritus. P. laudo conſilium tuum: nam illum ego audiui
Hærere iuniorem apud neſcio quam fidicinam,
Id ego excrucior. E. di hercle omnes me adiuuãt, augẽt, amant:
Ipſi hi mihi dant uiam, quo pacto ab ſe argentum auferam:
Age nunc iam orna te Epidice, & palliolum in collum conijce,
Atque aſsimulato quaſi per totam urbem hominem quæſieris:
Age ſi quid agis. di immortales utinam conueniam domi
Periphanem, per totam urbem quem ſum defeſſus quærere.
Per medicinas, tonſtrinas, in gymnaſio, atque in foro,
Per myropolia, & lanienas, circumq; argentarias,
Rogitando ſum raucus factus, penè in curſu concidi.
A. Epidice. E. Epidicũ quis eſt qui reuocat? P. ego ſum Periphanes.
A. Et ego Apoecides ſum. E. & ego quidem ſum Epidicus. ſed here optuma
Vos uideo ambo aduentare opportunitate. P. quid rei'ſt?
E. Mane, ſine reſpirẽ quæſo. P. immò adquieſce. E. animo male'ſt,
Recipiam anhelitum. A. clementer quieſce. E. animũ aduortite:
A legione omnes remiſsi domum ſunt Thebis. A. ſic factum?
E. Ego ita factum eſſe dico. P. ſcin' tu iſtuc certò? E. ſcio.
P. Quî tu ſcis? E. quia ego ire uidi milites plenis uijs:
Arma referunt, iumenta ducunt. P. nimis factum bene.
Tum captiuorum quid ducunt ſecum? E. pueros, uirgines,
Binos, ternos, alius quiſque: fit concurſus per uias,
Filios ſuos quiſque uiſit. P. hercle rem geſtam bene.
E. Tum meretricum numerus tantus, quantus in urbe omni fuit:
Obuiam ornatæ occurrebant, ſuis quæq; amatoribus: eos
Captabant. id adeò ſcio, qui maxume animum aduorterim.
Plæræq; hæ ſub ueſtimentis ſecum habebant retia.

Quam

Quom ad portam uenio, atq; ego illam illi uideo præſtolarier.
Et cum ea, tibicinæ ibant quatuor. P. quicum Epidice?
E. Cum illa, quam tuus gnatus annos multos deamat, deperit,
Vbi fidemq́;, remq́;, ſeq́;, teq́; properat perdere:
Ea præſtolabatur illum ad portam. P. uidén' ueneficam?
E. Sed ueſtita aurata ornamenta ut lepidè, ut concinne, ut noue?
P. Quid erat induta? an regillam induculam, an mendiculam?
E. Impluuiatam, ut iſtæc faciunt ueſtimentis nomina:
P. Vt impluuium erat induta? E. quid iſtuc mirabile'ſt?
Quaſi non fundis exornatæ multæ incedant per uias.
At tributus quom imperatus eſt, negant pendi poteſſe.
His quibus tributus maior penditur, pendi poteſt.
Quid iſtæ, quæ quotannis nomina inueniunt noua,
Tunicam rallam, tunicam ſpiſſam, linteolum cæſicium,
Induſiatam, patagiatam, caltulam, aut crocotulam,
Supparum, aut ſubminiam, ricam, baſilicum, aut exoticum,
Cumatile, aut plumatile, aut cerinum? gerræ maxumæ.
Cani quoque ademptu'ſt nomen. E. qui? E. uocant Laconium.
Hæc uocabula auctiones ſubigunt ut faciant uiri.
P. Quin tu, ut occœpiſti, loquere. E. occœpêre aliæ mulieres
Duæ poſt me fabulari inter ſeſe: ego abſceſſi ſolens
Paulùm ab illis: diſsimulabam me harum ſermoni operam dare:
Nec ſat exaudiebam, nec ſermonis fallebar tamen
Quem loquerentur. P. id lubido'ſt ſcire. E. ibi illarum altera
Dixit illi, quicum ipſa ibat. P. quid? E. tace ergo, ut audias.
Poſtquam illam ſunt conſpicatæ, quam tuus gnatus deperit:
Quàm facilè & fortunatè illi euenit obſecro mulieri,
Liberare quam uolt amator? quiſnam is eſt, inquit altera?
Illa ibi nominat Stratiphoclem Periphanæ filium.
P. Perij hercle, quid ego ex te audio? E. hoc, quod actum. egomet poſt ubi
Cœpi rurſum uorſum ad illas pauxillatim accedere,
Quaſi retruderet hominum me uis inuitum. P. intellego.
E. Ibi illa interrogat illam, Qui ſcis? qui id dixit tibi?

Quin

Quin hodie allatæ ſunt tabellæ ad eam à Stratiphocle, eum
Sumpſiſſe argentum apud Thebas ab Daniſta fœnore:
Id paratum, & ſeſe ob eam rem id ferre. P. ego occidi.
E. Hæc aiebat ſic audiuiſſe ſe abs ſe, atque epiſtola.
P. Quid ego nunc faciam? conſilium à te expeteſſo Apoecides.
Reperiamus aliquid callidi, conducibilis conſili. (ſiet,
Nam ille aut iã hic aderit credo hercle, aut iã adeſt. E. ſi æquom
Me plus ſapere, quàm uos, dederim uobis conſilium catum,
Quod laudetis (ut ego opinor) uterq;. P. ergo ubi id eſt Epidice?
E. Atque eam ad rem conducibile. A. quid iſtuc dubitas dicere?
E. Vos priores eſſe oportet, nos poſterius dicere,
Quòd plus ſapitis. A. eia uerò, age dic. E. at deridebitis.
A. Non ædepol faciemus. E. ſi placebit, utiminor
Conſilium: ſi non placebit, reperitote rectius:
MIHI ISTIC NEC ſeritur, nec metitur: niſi ea, quæ uis, uolo.
P. Gratiam habeo, fac participes nos. E. nunc occaſio'ſt
Faciundi prius, in urbem quàm aduenit: ſicut cras hic
Aderit, hodie non uenerit. P. quî ſcis? E. ſcio: quia
Mihi alius dixit, qui illinc uenit, mane hic hunc adfore.
P. Quin tu eloquere quid faciemus. E. ſic faciundum cenſeo,
Quaſi tu cupias liberare fidicinam animi gratia,
Quaſiq; ames tu uehementer illam. P. quam ad rẽ iſtuc refert?
E. Vt enim præſtines argento, priuſquam ueniat filius,
Atque ut eam te in libertatem dicas emere. P. intellego.
E. Vbi erit empta, ut aliquò ex urbe amoueas: niſi quid tua ſecus
Sententia'ſt. P. immò doctè. E quid tu autem Apoecides?
A. Quid ego iam, niſi te commentum nimis aſtute intellego?
E. Iam tum igitur amota ei erit omnis conſultatio
Nuptiarum, ne grauetur: quod uelis. A. ut ſapis, & placet.
Tum tu igitur callide iam, quicquid acturus es, age.
P. Rem hercle loquere. E. repperi & hæc te quî abſcedat, ſuſpicio,
P. Sine me ſcire. E. ſcibis, audi. A. ſapit hic pleno pectore.
E. Opus eſt homine, qui illò argentum deferat pro fidicina:
Nam te illò non æque opus facto'ſt. P. quid iam? E. ne te cenſeat

Filiſ

Filij cauſſa facere. P. doctè. E. quo illum ab illa prohibeas:
Ne qua ob eam ſuſpicionem difficultas eueniat.

P. Quē hominem inueniemus ad eã rem utilē? A. hic erit optumus,
Hic poterit cauere rectè, iura qui & leges tenet.

P. Epidice habeas gratiam. E. ſed ego iſtuc faciam ſedulò:
Ego conueniam illum, atque adducam ad te quoia'ſt fidicina.

A. Illáne? E. atque argentum ego cum hoc feram. P. quanti emi poteſt minimo?

E. Ad quadraginta fortaſſe eam poſſe emi minimo minas:
Verùm ſi plus dederis, referam: nulla in ea re captio'ſt.
Atq; id non decem datum occupatum tibi erit argentum dies.

P. Quidum? E. quia enim mulierem illam alius adoleſcens deperit,
Auro opulentus, magnus miles Rhodius, raptor hoſtium
Glorioſus: hic emet illam de te, & dabit aurum. iubeas:
Tace modo: eſt lucrum hic tibi amplum. P. deos quidem oro. E. impetra.

A. Quin tu is intrò, atq; huc argentũ promis? ego uiſam ad forum.
Epidice eò ueni. E. ne abeas prius quàm ad te uenero.

A. Vſq; opperiar. P. ſequere tu intrò. E. i, numera: nihil ego moror.

EPIDICVS.

NVllum eſſe ego agrum opinor in agro Attico
Aeque feracem, quàm hic noſter Periphanes.
Quin ex occluſo, atque obſignato armario,
Decutio argenti tantum, quantum mihi lubet.
Quod pol ego metuo, ſi ſenex reſciuerit:
Ne ulmos paraſitos faciat, atque uſque attondeat.
Sed me una turbat res, ratioq;: Apoecidi
Quam oſtendam fidicinam aliquam conductitiam,
Atque id quoque habeo. mane me iuſsit ſenex
Conducere aliquam fidicinam ſibi huc domum:
Dum rem diuinam faceret, cantaret ſibi.
Ea conducetur: atque ei præmonſtrabitur,
Quo pacto fiat ſubdola aduerſus ſenem.
Ibo intrò, argentum accipiam ab damnoſo ſene.

ACTVS

ACTVS TERTIVS.

STRATIPHOCLES, & CHAERIBOLVS.

S. EXpectando exedor miſer, atque exenteror, quò mihi
Epidici blanda dicta eueniant: nimis diu maceror.
Sitne quid, néene ſit, ſcire cupio. C. per illam tibi copiam,
Copiam parare aliam licet: ſciui equidem in principio,
Illico nullam tibi eſſe in illo copiam. S. interij
Hercle ego. C. abſurde facis, qui angas te animi. S. ſi hercle ego illum ſemel
Prehendero, nunquam irridere nos illum inultum ſinam
Seruom hominẽ. C. quid illũ facere uis? S. quid tibi? quoi diuitiæ
Domi maxumæ ſunt, nummum his nullum habes, nec ſodali tuo
In te copia'ſt. C. ſi hercle habeam, pollicear lubens. uerum
Aliquid aliquâ, aliquo modo, alicunde, ab aliquibus, aliqua
Tibi ſpes eſt fore mecum fortunam. S. uæ tibi murcide homo.
C. Quî tibi lubet mihi male loqui? S. quippe tu mihi
Aliquid aliqua, aliquo modo, alicunde, ab aliquibus blatis,
Quod nuſqua'ſt, neq; ego id immitto in meas aures: nec mihi
Plus adiumenti das, quàm ille, qui nunquam etiam natus eſt.

EPIDICVS, STRATIPHOCLES, CHAERIBOLVS.

E. FEciſti officium iam tuum, me meum nunc facere oportet.
Per hanc curam quieto tibi licet eſſe. hoc quidẽ iam periji:
Niſi quid tibi hinc in ſpem referas, hoc oppidò politũ eſt.
Crede modo mihi, ſic ego ago, ſic egêre noſtri. proh di
Immortales mihi hunc diem dediſtis luculentum,
Vt facilem, atque impetrabilem? ſed ego hinc migrare ceſſo,
Vt importem in coloniam hunc, hũc auſpicio meo commeatum?
Mihi ceſſo, quom ſto. ſed quid hoc? ante ædeis duos ſodales,
Herum, & Chæribolum cõſpicor. quid hic agitis? accipe hoc ſis.
S. Quantum hic ineſt? E. quantum ſat eſt, & plus ſatis ſuperſit.
Decem minis plus attuli, quàm tu Daniſtæ debes.
Dum tibi ego placeam, atq; obſequar, meum flocciſacio tergum.
S. Nam quid ita? E. quia ego tuum patrem faciam parenticidam.

S. Quid iſtuc eſt uerbi? E.nihil moror uetera,& uolgata uerba:
Para,tu ductare,atque ego follitum ductitabo.
Nam leno omne argentum abſtulit pro fidicina:ego reſolui,
Manibus his dinumeraui. pater ſuam gnatam quam eſſe credit,
Nunc iterum ut fallatur pater,tibiq; auxilium appareтur,
Inueni iam.nam ita ſuaſi ſeni,atque hanc habui orationem:
Vt quom rediſſes,ne tibi eius copia eſſet. S.euge,
Ea iam puella domi'ſt,teneo. E. nunc autorem mihi dedit
Ad hanc rem Apoeciden:is apud forum manet me,quaſi qui
Amare te caueat.haud male:iam cautor ipſe captu'ſt.
Ipſe meo in collo tuus pater crumenam collocauit:
Is adornat ueniens,ut domi éxtemplo maritus fias.
S. Vno perſuadebit modo:ſi illam,quæ adducta'ſt mecum,
Mihi adempſit Orcus. E. uerum nunc ego aſtutiã hanc inſtitui.
Deueniam ad lenonem domum egomet ſolus:eum docebo.
Si quidem ad eum deueniam, ut ſibi datum eſſe argentum dicat
Pro fidicina,argenti minas ſe habere quinquaginta,
Quippe ego quas nudiuſtertius meis manibus numeraui
Pro illa tua amica,quam pater ſuam filiam eſſe retur:
Ibi leno,caput ſuum ſceleratum imprudens alligabit:
Quaſi pro illa argentum acceperit,quæ tecum nunc adducta'ſt.
C. VORSVTIOR ES,quàm rota figularis.E.ego aliquam parabo
Doloſam fidicinam,nummo conducta quæ ſit,quæ ſe
Emptam ſimulet,quæ ſenes duo doctè ludificetur.eam
Ducet ſimul Apoecides ad tuum patrem,ut paratè
Eam præmeditatam meis dolis,aſtutijsq;
Onuſtam mittam.ſed nimis longum loquor:diu me
Eſtis demorati,hæc ſcitis,ut futura ſint:abeo iam.
S. Bene ambulato. C. nimis eſt doctus ille ad malefaciendum.
Me quidem certò ſeruauit conſilijs ſuis. C. abeamus
Intro hinc ad me.S.atque aliquanto lubentius,quàm abs te ſum egreſſus intus:
Virtute,atque auſpicio Epidici,cum præda in caſtra redeo.

PERIPHANES, APOECIDES, & ſeruos unus.

Honoris

P. HOnoris cauſſa, modo homines æquom fuit
Sibi habere ſpeculum, ubi os contemplarent ſuum:
Sibi qui perſpicere poſſent cor ſapientiæ,
Igitur perſpicere ut poßint cordis copiam:
Vbi id inſpexiſſent, cogitarent poſtea
Vitam ut uixiſſent olim in adoleſcentia.
Vel quaſi egomet, qui filij cauſſa cœperam
Me excruciare animi: quaſi quid filius meus
Deliquiſſet med erga: aut quaſi non plurimum
Maleſacta mea eſſent ſolida in adoleſcentia.
PROFECTO deliramus interdum ſenes.
Fuit hoc conducibile mea ſententia.
Sed meus ſodalis it cum præda Apœcides.
Venire ſaluom mercatorem gaudeo.
Quid fit? A. di, deæq; te adiuuant. res proſperæ,
Omen placet iam, quom omini omnes ſuppetunt
Res proſperæ: ſed tu hanc intrò adduci iube.
P. Heus intus uos, exite huc aliquis iam foras:
Duce iſtam intrò mulierem, concludi uolo.
Atque audin'? S. quid uis? P. caueſis cum filia mea
Hanc copulari, neque conſpicere: iam tenes?
In ædiculam ſeorſum iſtæc eat, iube.
DEVORTVNT mores uirgini longè, ac lupæ.
A. Doctè & ſapienter dicis, NON NIMIS POTEST
Pudicitiam quiſquam ſeruare ſuæ filiæ.
Aedepol næ iſtam tempore ſuo gnato tuo
Sumus præmercati. P. quid iam? A. quia dixit mihi
Iamdudum alius, ſe tuum uidiſſe hic filium.
P. Hanc ædepol rem apparabat. A. planè hercle hoc quidem eſt:
Næ tu graphicum habes ſeruom, & quamtiuis precij.
P. Non caru'ſt auro contrà. A. ut ille fidicinam
Fecit neſcire prorſus ſe eſſe emptam tibi?
Illam ridibundam, atque hilaram huc adduxit ſimul.
P. Mirum hoc quî potuit fieri. A. te pro filio

Facturum dixit rem eſſe diuinam domi:
Ego illic me autem aſsimulabam quaſi ſtolidum,
Quom bardum me faciebam. P. immò ita quidem decet.
A. Res magna amici apud forum agitur: ei uolo
Ire aduocatus. P. i:o: atque ubi erit otium,
Reuortere ad me éxtemplo. A. continuo hic ero.
P. NIHIL HOMINI amico'ſt opportuno amicius,
Sine tuo labore quod uelis actu'ſt tamen.
Ego ſi allegaſſem aliquem ad hoc negocium
Minus hominem quàm doctum. minusq; ad rem hanc callidum,
Os ſublitum eſſet: itaq; me albis dentibus
Meus' derideret filius meritiſſumò.
Atque hæc ſtultitia'ſt, me illi uitio uortere
Egomet quod factitaui in adoleſcentia.
Quom militabam: pugnis memorandis meis
Eradicabam hominum aureis, quando occœperam.
Sed hic quis eſt, quem huc aduenientem conſpicor,
Suam qui undamem chlamydem quaſſando facit?

MILES, PERIPHANES, FIDICINA.

M. CAue præterbites ullas ædeis, quin roges,
Senex hic ubi habitat Periphanes Platenius?
P. Incertus ſum: * caue, ad me retulit pedem.
Adoleſcens ſi iſtunc hominem, quem tu quæritas,
Tibi commonſtraſſo, ecquam abs te inibo gratiam?
M. Virtute belli armatus promerui, ut mihi
Omnes mortaleis deceat agere gratias.
P. Non reppeiſti adoleſcens tranquillum locum,
Vbi tuas uirtutes explices ut poſtulas?
NAM STRENVIORI deterior ſi prædicat
Suas pugnas, de illius ore fiunt ſordidæ.
Sed iſtum quem quæris Periphanem Platenium,
Ego ſum, ſi quid uis. M. nempe quem in adoleſcentia
Memoram apud reges armis, arte duellica
Diuitias magnas ſibi adeptum? P. imò, ſi audias

* Fortaſſe legendum quaqua re.

Meas

Meas pugnas, fugias manibus demiſsis domum.

M. *Pol ego magis unum quæro, meas quoi prædicem:*
Quàm illum, qui memoret ſuas mihi. P. *hic non eſt locus:*
Quin tu alium quæras, quoi CENTONES FARCIAS.

M. *Animum aduorte: ut quod ego ad te uenio, intelligas.*
Meam ego amicam audiui mercatum te eſſe. P. *atat*
Nunc demum ſcio ego hunc qui ſit: quem dudum Epidicus
Mihi prædicauit militem. adoleſcens ita'ſt
Vt dicis, emi. M. *uolo te uerbis pauculis,*
Si tibi moleſtum non eſt. P. *non ædepol ſcio.*
(Moleſtum mihi non eſt) niſi dicis, quid uelis.

M. *Mihi illam ut tramittas, atque argentum accipias:*
Abeas. nam quid ego apud te proloqui parem?
Ego illam hodie uolo facere libertam meam,
Mihi concubina quæ ſit. P. *te abſoluam breui.*
Argenti quinquaginta mihi illa empta'ſt minis:
Sexaginta mihi dinumerentur nunc,
Tuas poßidebit mulier faxo ferias:
Atque ita profecto, ut eam ex hoc exoneres agro.

M. *Eſt' ne empta mihi hæc?* P. *iſtis legibus habeas licet.*

M. *Conciliauiſti pulchre.* P. *heus, foras educite*
Quam introduxiſtis fidicinam. atque etiam fides,
Ei quæ acceßêre, tibi addam dono gratis.
Age, accipe hanc ſis. M. *quæ te intemperiæ tenent?*
Quas tu mihi tenebras cudis? quin fidicinam
Produci intus iubes? P. *hæc ergo eſt fidicina:*
Hic alia nulla'ſt. M. *non mihi nugari potes:*
Quin tu huc producis fidicinam Eropoliſtidem?

P. *Hæc inquam eſt.* M. *non hæc inquam eſt: non nouiſſe meam*
Me rêre amicam poſſe? P. *hanc inquam filius*
Meus deperibat fidicinam. M. *hæc non eſt ea.*

P. *Quid non eſt?* M. *non eſt.* P. *unde hæc igitur gentium eſt?*
Equidem hercle argentum pro hac dedi. M. *ſtulte datum*
Reor, & peccatum largiter. P. *immò eſt hæc ea:*

Nam ſeruom miſi, qui ſolet gnatum meum
Sectari: ipſe hanc meo articulo emit fidicinam.
M. Hem iſtic homo te articulatim concîdit ſenex
Tuus ſeruos. P. quid concîdit? M. ſic ſuſpicio'ſt.
Nam pro fidicina illa, hæc nunc ſuppoſita'ſt tibi.
Senex tibi os eſt ſublitum planè & probè.
P. Ego illam requiram iam, ubi ubi eſt. bellator uale.
Euge frugi Epidice, frugi es: bene pugnaſti, homo es,
Qui me emunxiſti mucidum minimi precij.
Mercatus te hodie'ſt de lenone Apoecides?
F. Ehodum, iſtunc hominem nunquam audiui ante hunc diem:
Neque me quidem emere quiſquam ulla pecunia
Potuit, quæ plus iam ſum libera quinquennium.
P. Quid tibi negoci'ſt meæ domi igitur? F. audies.
Conducta ueni, ut fidibus cantarem ſeni,
Dum rem diuinam faceret. P. fateor me omnium
Hominum eſſe Athenis Atticis minimi precij.
Sed tu nouiſtin' fidicinam Eropoliſtidem?
F. Tam facile, quàm me. P. ubi habitat? F. poſtquam libera'ſt,
Vbi habitet dum, incerto ſcio. P. ehò an aliquis eam
Liberauit? uolo ſcire, ſi ſcis. F. quod audiui, audies.
Stratiphoclem audiui Periphani filium
Abſentem curauiſſe, ut fieret libera.
P. Perij hercle ſi iſtæc uera ſunt: planiſſume
Meum exenterauit Epidicus marſupium.
F. Hæc ſic audiui: nunquid me uis cæterum?
P. Malo cruciatu ut pereas, atque obeas cito.
F. Fides non reddit? P. neque fides, neque tibias.
Propera igitur hinc, ſi te di amant, fugere. F. abiero:
Flagitio cum maiore pòſt reddes tamen.
P. Quid nunc, qui in tantis poſitus ſum ſententijs:
Eúmne ego ſinam impune? immò etiam ſi alterum
Tantum perdundu'ſt, perdam potius, quàm ſinam
Me impune irriſum eſſe habitum, depeculatum eis,

Sic

Sic data mihi eſſe uerba præſenti palàm:
Atque me minoris factum præ illo, qui omnium
Legum, atque iurum fictor, conditor cluet.
Is etiam ſeſe ſapere memorat: * malleum. *malũ
Sapientior eſt, ut malo hærens manubrio mulier.

ACTVS QVARTVS.

MVLIER, PERIPHANES.

M. SI quid homini eſt miſeriarum, quo miſereſcat miſer, ex animo'ſt:
Id ego experior, quoi multa in unũ confluunt locũ, meumq́;
Pectus pulſant. ſimul ærumnam multiplex exercitam
Habet paupertas. territat pauor animi mentem: neque
Vbi meas ego collocem ſpes, habeo uſquam munitum locum.
Ita gnata mea hoſtiu'ſt potita: neque ea nunc ubi ſit, ſcio.
P. Quis illæc eſt mulier timido pectore peregre aduenies, quæ ipſa
Se miratur? M. in his dictus locis eſt habitare mihi Periphanes.
P. Me nominat hæc: credo illi ego hoſpitio uſus inerit. M. peruelim
Mercedẽ dare q monſtret nunc cũ mihi hominẽ, aut ubi habitet.
P. Noſcito ego hanc? nã uideor, neſcio ubi, me uidiſſe prius. éſtne ea
An non, quam animus retur meus? dij boni uiſitaui antidhac.
Certe ea'ſt, quã in Epidauro pauperculã memini me cõprimere.
M. Planè hic eſt qui mihi in Epidauro primus pudicitiam pepulit.
P. Quæ meo compreſſu peperit filiam, quam nunc habeo domi.
M. Quid ſi adeam? P. haud ſcio, an congrediar, ſi hæc ea'ſt. M. ſin eſt is homo,
Sicut anni multi dubiã dant. P. lõga dies animũ incertat meum.
Sin ea'ſt quam incerto animo: hanc cõgrediar aſtu. M. muliebris
Adhibenda mihi malitia nunc eſt. P. compellabo.
M. Orationis aciem contrà conferam. P. heus tu, ſalua ſis.
M. Salutem accipio mihi, & meis. P. quid cæterum? M. ſaluos ſies,
Quod credidiſti reddo. P. haud accuſo fidem, nouin' ego te?
M. Si ego te noui, animum inducam uti noueris. P. ubi te uiſitaui?
M. Inique iniurius es. P. quid iam? M. quia tuæ memoriæ
Interpretari me æquom cenſes. P. commodè. M. mira memoras.

P. Hem iſtuc rectius meminiſtin? M. memini id. P. in Epidauro.
M. ah guttula
Pectus mihi ardens aſperſiſti. P. uirgini pauperculæ,
Tuæq; matri me leuare paupertatem. M. tune is es,
Qui per uoluptatem in me ærumna obſæuiſti grauiter?
P. Ego ſum, ſalue. M. ſalua ſum, quia te eſſe ſaluom ſentio.
P. Cedò manũ mihi. M. accipe: ærumnoſam & miſeriarũ cõpotem
Mulierem retines. P. quid id eſt, quod digitos inerturbat tuos?
Tum filiam, quam ex te ſuſcepi, quid eam? M. eductam perdidi:
Atq; hoſtium eſt potita. P. habe animũ lenem, & tranquillũ face,
Domi meæ eccam ſaluam, & ſanam. nam poſtquam audiui illico
Ex meo ſeruo, illã eſſe captã: continuo argẽtum dedi, ut emeret.
Ille eam rem adeò ſobrie, & frugaliter accurauit, ut alias
Res. eſt impenſe improbus. M. fac uideã, ſitne. P. ehò Canthara,
Iube Eropoliſtidem prodire filiam ante ædeis meã, (i ſtatim
Vt ſuam uideat matrem. M. remigrat animus nunc demũ mihi.

FIDICINA, PERIPHANES, MVLIER.

F. Quid eſt pater, quod me exciuiſti ante ædeis? P. tuam ut matrem
Videas, adeas, uenienti des ſalutem, atque oſculum.
F. Quam meã matrem? P. quæ exanimata exequitur aſpectũ tuũ.
M. Quis iſtæc, quam tu oſculum mihi ferre iubes? P. tua filia.
M. Hæccine? P. hæc. M. egóne oſculum huic dem? P. cur non, quæ
ex te nata ſit? (ſiet,
M. Tu homo inſanis. P. egóne? M. tu. P. cur? M. quia ego hanc, quæ
Neque ſcio, neq; noui: neq; ego hanc oculis uidi ante hunc diem.
P. Scio quid erres: quia ueſtitum, atque ornatum immutabilem
Habet hæc. M. ALITER CATVLI longè olent, aliter ſues. nego
Eam nouiſſe. P. proh deûm atque hominum fidem, quid ego
Lenocinium facio: qui quidem habeam alienos domi:
Atq; argentũ expurgitem domo prorſum? quid tu, quæ patrem
Vocas me, atque oſculare? quid ſtas ſtupida? quid taces?
P. Quid loquar uis? P. hæc negat ſe tuam eſſe matrem. F. ne fuat
Si non uolt: equidem hac tamen inuita ero matris filia:

Non

Non me iſtanc cogere æquom'ſt meam eſſe matrem, ſi non uolt.

P. Cur me igitur patrem uocabas? F. tua iſtæc culpa, non mea.
Non patrem ego nominem, ubi tu tuam me appellas filiam?
Hanc quoq; etiam ſi me appellet filiam, matrem uocem.
Negat hæc me filiam ſuam eſſe: non ergo hæc mater mea'ſt.
Poſtremò hæc mea culpa non eſt: quæ didici, dixi omnia:
Epidicus mihi magiſter fuit. P. perij, plauſtrum perculi.

F. Nunquid ego tibi fortaſſe? P. ſi hercle te unquam audiuero
Me patrem uocare, uitam tuam ego interimam. F. non uoco.
Vbi uoles pater eſſe, ibi eſto: ubi noles, ne fueris pater.

M. Quid? ob eam rem hanc emiſti, quia tuam gnatam ratus?
Quibus ſignis agnoſcebas? P. nullis. M. quare filiam
Credidiſti noſtram? P. ſeruos Epidicus dixit mihi.

M. Quid ſi ſeruo aliter uiſum eſt? non poteras nouiſſe obſecro?

P. Quid ego, qui illam ut primùm uidi, nunquam uidi poſtea?

M. Perij miſera. P. ne fle mulier: intrò abi: habeto animum bonum:
Ego illam reperiam. M. hinc Athenis eſt ciuis Atticus,
Adoleſcentem equidem dicebant emiſſe. P. inueniam, tace:
Abi modò intrò, atque adſerua hanc Circem ſolis filiam.
Ego relictis rebus, Epidicum operam quærendo dabo:
Si inueniam, exitiabilem ego illi faciam hunc ut ſciat diem.

ACTVS QVINTVS.

STRATIPHOCLES, EPIDICVS, DANISTA, VIRGO.

S. MAle morigerus mihi eſt Daniſta, qui argentum de me non petit. (dicus.
Neq; adducit illā quæ ex præda. ſed eccum incedit Epi-
Quid illuc eſt, quòd illi caperat frons ſeueritudine?

S. Si undecim deos præter ſe ſecum adducat Iuppiter,
Ita non omnes poterunt ex cruciatu eximere Epidicum.
Periphanem emere lora uidi: aderat ibi unà Apoecides.
Nunc homines quæritare me credo: ſenſerunt, ſciunt
Sibi data eſſe uerba. S. quid agis mea cōmoditas? E. quod miſer.

S. Quid eſt tibi? E. quin tu mihi adornas ad fugam uiaticum

Prius, quàm pereo? nam per urbem duo defloccati ſenes
Quæritant me: in manibus geſtant copulas ſecum: ſubueni.
S. Habe animũ bonũ. E. quippe ego quoi libertas in mundo ſita'ſt.
S. Ego ſeruabo te. E. ædepol me illi melius, ſi nacti fuant.
Sed quis eſt hæc muliercula, & ille rauiſtellus qui uenit?
S. Hic eſt Daniſta. hæc illa'ſt autẽ, quã emi ex præda. E. hæccine eſt?
S. Hæc eſt. éſtne ut tibi dixi? aſpecta. E. hæc? S. contempla Epidice
Vſq; ab unguiculo ad capillũ ſummũ. E. eſt. S. eſt? tu uiſe. éſtne?
Conſpice: nam ſignum pictum pulchrè uideris. E. ex tuis
Verbis meum futurum corium pulchrum prædicas,
Quem Apelles, Zeuſisq; duo pingent, pigmentis ulmeis.
S. Di immortales ſoccos iuſſi adimere pedibus: pulmo enim
(Quod perhibent) prius ueniſſet, quàm tu adueniſti mihi.
D. Hæc ædepol remorata'ſt me. S. ſi quidem iſtius gratia id
Remoratus, quod iſta uoluit: nimium aduenisti citò.
D. Age age abſolue, atque argentum numera, ne comites morer.
S. Pernumeratu'ſt. E. crumenam tene: huc inde. D. ſapienter uenis.
S. Opperire, dum effero ad te argentum. D. matura. S. domi'ſt.
E. Satin' ego oculis utilitatem obtineo ſyncerè, an parum?
E Philippa matre natan' Thebis, Epidauri ſatan'?
Videóne ego te Eropoliſtidem Periphani filiam?
V. Quis tu homo es, qui meûm parentum nomen memoras, & meũ?
E. Non noſti me? V. quod quidem nunc ueniat in mentem mihi.
E. Lunulam, atq; anellum aureolum in digito? V. memini mi homo.
E. Non meminiſti me inaurem ad te afferre natali die?
V. Túne is es? E. ego ſum, iſtic frater tuu'ſt alia matre, uno patre.
V. Quid pater meus, uiuo'ſt? E. animo liquido & tranquillo es, tace.
V. Di me ex perdita ſeruatam uolunt, ſi uera autumas.
E. Non habeo ullam occaſionem, ut apud te falſa fabuler.
S. Accipe argentum hoc Daniſta, hic ſunt quadraginta minæ:
Si quid erit dubium, immutabo. D. bene feciſti, bene uale.
S. Nunc enim tu mea es. V. ſoror quidem ædepol, ut tu æque ſcias.
Salue frater. S. ſanan' hæc eſt? E. ſana, fratrem ſi appellat ſuũ.
S. Quid ego modo huic frater factus, dum eo intrò, atque exeo?

E. Quod boni'ſt id tacitus taceas tute tecum, & gaudeas.
S. Perdidiſti, & repperiſti me ſoror. E. ſtultus tace.
Tibi quidem quod ames, domi præſto'ſt, fidicina, opera mea,
Et ſororem in libertatem idem opera concilio mea.
S. Epidice, fateor. E. abi intrò, ac iube huic aquam calefieri:
Cætera ego poſterius faxo ſcibis, quom erit otium.
S. Sequere hâc me ſoror. E. ego ad uos Teſprionem iuſſero
Huc tranſire: ſed memento, ſi quid ſæuiunt ſenes,
Suppetias mihi cum ſorore ferre. S. facile iſtuc erit.
E. Teſprio exi iſtâc per hortum. affer domum auxilium mihi,
Magna res eſt. minoris multo faxo, quàm dudum ſenes.
Remeabo intrò, ut accurentur aduenientes ſoſpites:
Eadem hæc intus edocebo, quæ ego ſcio, Stratiphoclem,
Non fugio, domi adeſſe certu'ſt, neque ille haud obijciet mihi
Pedibus ſeſe prouocatum. abeo intrò, nimis longum loquor.

PERIPHANES, APOECIDES, EPIDICVS, MVLIER.

P. SAtine ille homo ludibrio nos uetulos decrepitos duos
Habet? A. immò ædepol tu quidem miſerum me habes miſeris modis.
P. Tace ſis modo, ſine me hominem * apiſci. A. dico ego tibi iã ut (ſcias,
Alium tibi te comitem melius quærere: ita dũ te ſequor,
Præ laſſitudine inuaſerunt miſerum in genua flegmina.
P. Quot illic hodie me exemplis eſt ludificatus, atque te?
Vt illic autem exenterauit mihi opes argentarias?
A. Apage illum à me: nam ille quidem Volcani eſt irati filius:
Quaqua tangit, omne amburit: ſi propius adſtes, æſtu calefacit.
E. Duodecim ego deis pluſquàm placeo, deorum immortalium
Mihi nunc auxilio adiutores ſunt, & mecum militant.
Quicquid ego malefeci, auxilia mihi & ſuppetiæ ſunt domi.
ἀπολακτίζω inimicos omneis. P. ubi illum quæram gentium?
A. Dum ſine me quæras, hunc mea cauſſa uel in medio mari.
E. Quid me quæris? quid laboras? uel quid hunc ſolicitas? ecce me.
Num te fugi? num abſum ab domo? num ab oculis conceſſi tuis?

* aſpici.

Id eſt calicibus repello.

Nec tibi quidem ſupplico: uincire ius eſt. oſtendo manus.
Tu lora habes, ego te emere uidi. quid nunc ceſſas? colliga.
P. Ilicet ut uadimonium mihi hic ultrò facit. A. quid colligas?
P. Aedepol mancupium ſceleſtum E. te profecto Apoecides
Nihil moror mihi. P. de præfacili exoras Epidice. E. ehò
quid agis? P. tuóne arbitratu? E. meo hercle uerbo, atq; haud tuo
Colligādæ hæ ſunt tibi hodie manus. P. at non lubet, nō colligo.
At mihi magis lubet ſolutum te rogitare. E. at nihil ſcies.
A. Tragulam in te inijcere adornat, neſcio quam fabricam facit.
E. Tibi moram facis, quom ego ſolutus aſto: alliga inquam, colliga.
P. At mihi magis lubet ſolutum te rogitare. E. at nihil ſcies.
P. Quid ego ago? A. quid agas? mos geratur. E. frugi es homo tu Apoecides.
P. Cedò manus igitur tu. E. morantur nihil. atque arctè colliga.
P. Nihil eas uerò obnoxias. E. facto opere in me arbitrare nunc.
Bene hoc habet. age nunc iā, ex me exquire: rogita, ſi quid lubet.
P. Qua fiducia auſus primùm quæ empta'ſt nudiuſtertius mihi,
Meam eſſe filiam dicere? E. lubuit, ea fiducia.
P. Ain' tu lubuit? E. aio: uel da pignus, ni ea ſit filia.
P. Quam negat nouiſſe mater? E. non ergo matris ea filia'ſt.
P. In meum nummum, in tuum talentum pignus Daniſtæ captio'ſt.
Sed quis ea mulier eſt? E. tui gnati amica, ut omnem rem ſcias.
P. Dedin' tibi minas triginta ob filiam? E. fateor datas:
Et eo me argento illam fidicinam emiſſe amicam filij
Pro filia tua: te iſtam ob rem tetigi triginta minis.
P. Quò me modo ludos feciſti de illa conductitia
Fidicina? E. factum id hercle uerò: & rectè factum iudico.
P. Quid de poſtremo argēto factu'ſt, quod dedi? E. dicā tibi, malū?
Neque malo homini, neque benigno, tuo dedi Stratiphocli.
P. Cur auſus es dare? E. quia mihi lubitu'ſt. P. quæ hæc uerba ſunt?
E. Etiam inclamitor, quaſi ſeruos. P. tum tu es igitur liber. gaudeo.
E. Merui ut fierem. P. tu meruiſti? E. uiſe intrò, ego faxo ſcies
Hoc ita eſſe. P. quid eſt negotij? E. iam id ipſa res dicet tibi:
Abi modo intrò. P. hei non illuc temere'ſt, aſſerua iſtū Apoecides

Quid

A. Quid illuc Epidice eſt negotij? E. maxuma hercle iniuria:
Vinctus aſto, quoius huic hodie opera eſt inuenta filia.
A. Ain' tu, te illius inueniſſe filiam? E. inueni: & domi'ſt.
Sed ut eſt acerbum, pro benefactis cum mali meſſem metas?
A. Quámne hodie nos per urbem uterque ſumus defeßi quærere?
P. Quid iſti oratis opere tanto? meruiſſe illum intellego,
Vt liceat merito eius facere. cedò, quoi reſoluam iam manus.
E. Ne me attingas. P. oſtende uerò. E. nolo. P. non æquom facis.
E. Nunq̃ hercle hodie, niſi ſupplicium mihi das, reſolui me ſinam.
P. Quom optumum, atq; æquiſſumum oras: ſoccos, tunicã, pallium
Tibi dabo. E. quid deinde porrò? P. libertatem. E. at poſtea?
Nouo liberto opus eſt quod pappet. P. dabitur, præbebo cibum.
E. Nunq̃ hercle hodie, niſi tu me oraßis, ſolues. P. oro te Epidice
Mihi ut ignoſcas, ſi quid imprudens culpa peccaui mea.
At ob eam nunc rem liber eſto. E. inuitus do hanc ueniam tibi.
Niſi ego neceßitate cogar. ſolue ſanè ſi lubet.

GREX.

Hic is homo'ſt, qui libertatem malitia inuenit ſua.
Plaudite, ualete: lumbos extollite, atque exurgite.

ANNOTATIONES

IN EPIDICVM.

COmœdia appellata eſt ab ipſo nomine Epidici ſerui. Heus adoleſcens, quis properantem me prehendit pallio.) Statim à primo uerſu uariant exempla, uulgaria pallio habent, uetuſtiora hoc modo:

Heus adoleſcens. Teſ. Quis properantẽ prehendit? palleo.

Caprigenum hominum non placet mihi, nec pantherinum genus.) Ita quidem legendũ eſt, non capræ genus &c. Cęterum quod capre uariè ualeant, extat apud Varronem, & Plinium lib. 8. cap. 50. Auribus eas ſpirare, non naribus, nec unquam febre carere, Archelaus autor eſt. M. Varro lib. 2. rei ruſticæ: De emptione aliter dico, atque de ouibus, quod ſanas capras ſanus nemo promittit. Pantheræ uarietas non morbo, ſed colore nota eſt, ex adagio: Pantheræ magis

magis uarius. Sed & Plin. lib. 7. panthera, & tigris macularum uarietate prope ſolæ beſtiarum ſpectantur.

Valet pugilice, atque athletice.) Vide Chiliades ualere pancratice.

Vbi ergo'ſt niſi in uidulo, aut ſi in mellina attuliſti.) Cœlius lib. 2. cap. 30. uidulum mellinam operimenta pudendorum dicit, autores non habet quod ſciam. Romanum autem exemplar medica legit. ſi liceret in re ſeria diuinare, non dubitem ita ſcriptum eſſe.

Adueni ſimul.) Caſtigatiora aduenit ſimul.

Corium perdidi.) Vide Cœlium lib. 8. cap. 7.

Huc cum Chæribolo incedit riuali ſuo.) Romanus codex æquali habebat, quæ lectio caſtigatior eſt.

Quàm argenti fuero elocutus.) Omnis ſeruo herus monoſyllabum.

Deſipiebam mentis cum illas ſcriptas mitterem.) Nonius: Deſipiebam mentis cum illa ſcripta mitterem.

Vt meum tergum ſtultitiæ tuæ ſubdas ſuccidaneum.) Vide Gel. 4. cap. 6.

Nam in illas ante ſolis occaſum hodie ἕλω.) ἕλω græcis ſignificat ſumo, accipio, capio, traho, duco, eſt hic ſubiuncti ui modi.

Fabulare Ioui.) Romanus codex noui pro Ioui habuit.

Sexta erumna.) Sexta erumna fuêre deuicti Amazonides, ἕκτον ἀμαζόνιδος κόμιζε ζωςῆρα φαεινὸν, quod ita interpretatus eſt Vergilius:

Threiciam ſexto ſpoliauit Amazona Baltheo.

Liquido exeo auſpicio, aui ſiniſtra.) Vide Plutarchum in problematibus.

Age nunc eam orna te Epidice, & palliolum in collum conijce.) Romanus codex. Age nunc iam adorna te. Aulus Gellius ſic hunc uerſum citat lib. 4. cap. 16. Age nunc iam & orna te Epidice, & pallium in collum conijce.

An mendiculam.) Romanus codex mediculam habebat, ut ſit diminutiuum à medica ueſte.

Caltulam crocotulam.) Quàmuis ex Nonio legendum uideatur caltulam, in Romano tamē codice, pro caltulam caſtulam ſcriptum erat. Eſt autem caſtula palliolum muliebre, quo nudæ infra papillas præcinguntur.

Supparum aut ſubminiam.) Romanus codex ſubmiſiam habet.

Cuma-

Cumatile,aut plumatile,aut cerinum,gerræ maxumę.) Verſus hic imperfectus eſt, ſic ex Nonio reſtituendus. Cumatile aut plumatile, melinum aut cerinum geræ maxumæ &c.

Vocant Laconium.) Et Virgilius canem Spartum uocauit quod è Laconia optimi canes adferebantur, ut nunc ex Anglia.

Mihi iſtic nec ſeritur nec metitur.) Vide Chiliad. adag.

Glorioſus.) ἀλάζωρ.

Parenticidam.) Id eſt, pater tuus ſemet parentem tuum occidet.

Atq; ego follitum ductitabo.) Senem ſcilicet, qui in follibus, hoc eſt, crumenis argentum circumfert.

Nihili homini amico'ſt oportuno amicius.) In Chiliadibus extat.

Os ſublitum eſſet.) Vide Chiliad. os ſublinere.

Alcatis dentibus.) Pleriq; legunt falcatis dentibus. Roma. tamen codex alcatis habuit: quam uocem quidam deducunt ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, id eſt, bello, ſiue haſta, quidam ab Alce fera Germaniæ, de qua Plinius lib. 8. cap. 15.

Vndantem.) Id eſt, undarum more trementem.

Quoi centones farcias.) Vide Chilia. farcire centones.

Quas tu mihi tenebras cudis.) Aliter latebras.

Qui me emunxiſti.) Tranſlat[illegible] à mucore naſi.

Memorat malleum.) Codex Romanus pro malleum manteum habet, quod magis placet.

Malo hærens manubrio mulier.) Iocus eſt in malo manubrio obſcœnior.

Aerumnoſam & miſeriarum compotem.) Nonius pro ærumnoſam ęrumnarum habet, ſimiliter & Roma. codex.

Aliter catuli longe olent, aliter ſues.) Vide adagiorum Chiliades, aliter catuli &c.

Plauſtrum perculi.) Eraſmus, & Cœlius Rhodoginus auſtrum, non plauſtrum legunt. Cœlius lib. 8. cap. 28. magis probare uidetur pertuli.

Si undecim deos pręter ſe.) Græci deorum numerũ duodenarium habent, quem ordinem δωδεκαληξιαρχικὸν uocant. Romani hos deos ſelectos appellant, quamuis hi addiderint octo fœminas deas, de his loquitur Plautus.

Duo defloccati ſenes.) In Romano codice debacchati ſenes uidere eſt, ſed mendum ſubeſſe ſuſpicor. Et quod ſequitur,

tur, copulas, ſcriptum erat capula. Rauiſtellus autem graueſtellus, quod Pius etiam uidetur legiſſe, & Feſtus quoque graueſtellus legit, citans hunc Plauti locum, ſed nonnihil mutat. Graueſtellus autem à grauitate annorũ dictus eſt. Nonius rauiſtellus habet.

Vſque ab unguiculo ad capillum ſummum.) Vide adag. à capite uſque ad calcem.

Pulmo prius ueniſſet.) Extat in Chiliadibus, pulmo prius ueniſſet.

Nimis longum loquor.) Romanus codex, nimis longos logos habet.

Miſerum in genua flegmina.) Flegmina à græco deduxit, φλέγματα illi dicunt humorem corporis pituitoſum. Quod autem dixit in genua flegmina inuaſerunt, huc facit, quod medici tradunt in oſſium iuncturis pituitoſos humores deſidere, qui laxitatem iuncturis præbent, qui ſi nimij fuerint, παράλυσιν inducunt, ut laxiora ſint crura quàm conueniat.

ἀπολακτίζω.) Id eſt, recalcitro, repercutio, λὰξ enim aduerbium cum calceo ſignificat.

Tragulã in te adijcere ornat, neſcio quam fabricam facit.) Duo ſunt adagia, uide Chiliad. Tragulam inijcere.

M. ACCII PLAVTI

BACCHIDES.

DRAMATIS PERSONAE.

PISTOCLERVS, *adolc.*
LYDVS, *pædagôgus.*
BACCHIDES, *meretrices.*
CHRYSALVS, *ſeruos.*
NICOBOLVS, *ſenex.*
MNESILOCHVS, *adol.*
PARASITVS.
MILITIS PVER.
PHILOXENES, *ſenex.*
CLEOMACHVS, *miles.*
GREX.

ARGVMENTVM EIVS

partiſh Baccidum quæ habetur.

MNeſilochus iuſſu patris iturus Epheſum, ab amico Archide-

chidemide recepturus pecuniam, rogat ſodalem Piſtoclerũ ſibi adinuentam procuret amicam Bacchidem. is dum ſodali ſuo morem gerit, irretitur alterius amore Bacchidis. ſiquidem duæ erant hæ ſorores cognomines, à quibus datum eſt nomen Comœdiæ. Rediens in patriam Mneſilochus cum ſeruo Chryſalo, ſimul conſtituunt partem exactæ tradere pecuniæ, reliquam in amorum uſum conſumere. Et ut patrem Nicobolum fallat, fingit per ſeruum à piratis aggreſſos: apud ſacerdotem Theotimum ob metum id poſuiſſe reliquum. Sed forte monitus à Lydo ſodalis ſeruo, Piſtoclerum deperire Bacchidem, omnem patri reddidit pecuniam. Deinde reſciens ut ſodalis alteram delegerat, alteram cõpararat ſibi, dolet, affligaturq; miris modis. Cumq; ei foret opus ducentis nummis, à milite Cleomacho amicam ut redimeret, rogat Chryſalum rurſum, ut patrem dolo aggrediatur, & pecunia multet. Aſtu plenus Chryſalus ſenem conuenit. amare dicit filium uxorem militis. qui adueniens Mneſilocho minatur interitum, ni uel mulier, uel illi reddantur ducenti nummi. Pater metuens, ſuum ne ulciſcatur ille torum, ſpondet ultro militi nummos. & rurſum rogatu filij alios ducentos mittit, quos det mulieri pollicitos, ut iuſiurandum ſoluat: quos nihilominus amator pergræcando conſumpſit. At Nicobolus à milite factus certior, mulierem eam ſuam eſſe pellicem non uxorem, excandeſcit mirum in modum. conuenit Piſtocleri patrem, Philoxenem. rem omnem aperit, ambo ut filij ſcortentur unam. adeunt Bacchides, illæ ſenes conſpicatę prius ludificant: poſtremo blandiuntur: tandem ſimul cum filijs illecti, cum ſcortis accubant.

ARGVMENTVM SEQVENS CVM *prologo, & primi actus initio, quoniam carmina illa non ſatis redolere Plautinam elegantiam nobis uiſa ſunt, ſubdititia putamus.*

ARGVMENTVM.

Bacchidis amore furit Mneſilochus.
Aurum ut redimat, Præſumia fertur Epheſum.
Cretam Bacchis nauigat, atque alteram
Conuenit Bacchidem. inde Athenas redit.

Hinc dat Mneſilochus ad Piſtoclêrum litteras,
Illam conquirat. redit. turbas mouet,
Dum putat amari ſuam. ut mutent gemmas,
Ei dat aurum. pariter amant
Senes, dum gnatis ſtudent, ſcortantur, potitant.

SILENVS, PROLOGVS.

MIrum hodie'ſt, ni ſpectatores in ſubſellijs
Ridiculos ſtrepunt, tuſsiunt, roncos cient.
Conſulcant frontem, & ore concrepario
Frequenter fremunt, atque male muſsitant.
Vix in iuuenta locum obtineat
Aut glabri hiſtriones, aut peruolſi ludij.
Quid ueternoſus prodit internuntius
Senex, qui dorſo fertur aſinario?
Attendite quæſo, atque animum aduortite.
Dum nomen huius eloquor ſtatariæ,
Aequom eſt uos deo facere ſilentium.
Officio oris non decet illos utier,
Qui non ut clament, ſed ut ſpectent, ueniunt.
Aureis date ocioſas. at non in manum,
Has uolo uolans uox uacuas feriat.
Quid ueremini, ictus an ſint minus noxij,
Qui repetunt laxa, aut hiulca obſtruunt?
Eſtis benigni, merito uos amant cœlites.
Factu'ſt ſilentium, tacent pueri.
Nouam ad rem iam nouom ſpectate nuntium.
Qui ſim, cur ad uos ueniam, paucis eloquar:
Simul huius nomen proferam comœdiæ.
Ecce fabor iam uobis, quod expetitis:
Próinde uos mihi facite audientiam.
NATVRAE deus ſum Bromij altor maxumi,
Fœmineo qui peperit rem exercitu.
Quicquid huiuſce gentes ferunt inclytæ,
Nonnihil noſtro geſta ſunt conſilio.

Nun-

Nunquam quod mihi placet, illi diſplicet.
Aequom'ſt, ſi pater obſequitur patri.
Aſibidam Ionij me uocitant greges,
Quòd uecturio ſenex uehar aſinario.
Qui ſim, tenetis. ſi tenetis, ſinite
Vt nomen huius eloquar ſtatariæ:
Simul ſciatis ad uos cur uenerim.
PHILEMON Græcam olim dedit fabulam,
Hanc qui Græciſſant, EVANTIDES nuncupant.
Plotus qui Latiniſſat, uocat BACCHIDES.
Quare non eſt mirum, ſi huc aduenerim.
Bacchus Bacchameis Bacchas mittit Bacchides.
Ego ad uos porto. quid, dixi mendacium?
Non decet mentiri deum. at uera fabulor:
Non ego eas porto, uerum ſalſus aſinus
Via defeſſus tres, ſi rite memorem,
Fert: unum uidetis. ore quid feram, ſpecite.
Duas ſorores debacchanteis Samias,
Meretrices lepidas, uno prognatas tempore
Iiſdem parentibus fœtu gemellitico,
Non minus ſimuleis, quàm lacti lac, ſi conferas,
Aut aquam aquæ, dimidiatas imputes,
Has ſi uideres, ita confundas oculos,
Vtra ut ſit, non queas internoſcere.
Quod reſtat expetitis? iam date ſilentium,
Huius argumentum eloquar comœdiæ.
SAMOS, quæ terra ſit, nota eſt omnibus.
Nam maria, terras, monteis, atque inſulas
Voſtræ legiones reddidere peruias.
Hac Pyrgoteli SOSTRATA Pyrocle uiro
Vno edidit gnatas niſu geminas.
Placuitq; initiatis Triteride
Quas ederent, Bacchi uocitare nomine.
Parentes, ut fit crebro, fata occupant.

Alteram miles ſecum in Cretam uexerat,
Altera geminas adnatat Cecropias.
Hanc, ut Nicoboli inſpicit MNESILOCHVS,
Amare occipit, itat ad eam frequentius.
Interea iuuenem pater mittit Epheſum,
Vt inde referat aurum, quod poſuerat
Ipſe iampridem apud Archidemidem
Veterem amicum, ſenem phœnicarium.
Is quom biennio deſidêret Epheſi,
Bacchidem abiſſe, durum accepit nuntium:
Nam nautæ noti nauigaſſe nuntiant.
Vt fugitiuam cura & corde quæreret,
Ad Philoxenis PISTOCLERVM *filium,*
Sodalem unicum ſulcat epiſtolium.
Dum Piſtoclerus amico impartit operam,
Athenas dudum quæ redierant geminæ,
Conquiſitorem in amorem conciunt.
Altera Piſtoclerum ad ſeſe allicit:
Altera ueniemi deſidet Mneſilocho.
Geminæ Bacchæ duos bacchanteis pullulos
Quid mirum ſi ad ſeſe traxerint blandulæ?
Facete. pulchræ incuruos lubitinarios,
Veterrumos ſenes illorum traherent patres.
Sed eccum Piſtoclerum, qui ad Bacchides
Nuper inuentas redit, & ſecum inſolens
Nouos amoris diſpuit igniculos.
Nunc prodeo, audite.

ACTVS PRIMVS.

PISTOCLERVS, *adoleſcens.* LYDVS, *pædagogus.*

P. *DI immortales, ut ſentio quod ſentio. quid? neſcio.*
Stans fugio. nullus eſt ignis, & totus ardeo.
Quid id, niſi nauim? nouom profecto malum
Video & ſentio. potiſne eſt terra ut terat hominem
Atq; proſternat? hodie nil præter terram & Baccham tetigi:

Si Bac-

Si Baccha'ſt, hæc non nutrit Baccha, uerum iugulat.
E terra quoque obrepere olim dixerunt homines,
Qui dum norant, non norant: quom eſſe cuperent, erant nihil.
Quid mali hoc? an terra, an Baccha, fecimus naufragium?
L. Amat hic quem uideo. nimirum ſi id eſt, quod emiſsicius,
Fora, templa, theatra, porticus, omneis fornices,
Luſtra, & luſtraleis cellulas quæſierit ſedulo.
P. Naufragus ſum fateor. Bacchus, haud Neptunus celocem
Hanc impellit, agit, quaſſat, imò frangit, diſtrahit.
L. Bacchis hinc procellam concitat. actu'ſt, perdidimus remigium.
P. Referam me ad ſcopulum, ut iſtic cum ætate rem perduam.
Inſtabilis eſt ſors rerum. pro lubidine fata agunt homines.
Ego dum amico Mneſilocho operam impertio,
Illi amicam repperi, ubi pereat cum re aſsiduo:
Et mihi, meæq; ætati, reiq; meæ peperi infortunium.
Sic uolt Cupido, adoleſcens ſum. ætatis licet pluſculum
Iacturæ facere: melius, ut id nunc fiat,, quàm ſenio.
Sapientum profecto'ſt illud dictum, quod Lydus increpat.
Si aſtartan * on Bromium, deosq; uoluptuarios
Contempſit iuuenis, is aut inſanibit, aut amabit ſenex.
Referam me ad ſcopulum ex naufragio, pater leget fragmina.
Sequere me Lyde, uideo ſorores geminas, Bacchanal meum.

BACCHIDES, ſorores. PISTOCLERVS.

B. Quid ſi hoc potiu'ſt, ut taceas, ego loquar? B. lepidè licet.
B. Vbi me effugerit memoria, ibi tu facito, ut ſubuenias ſo-
B. Pol magis metuo, in monendo ne mihi deſuat oratio. (ror.
B. Pol ego quoq; METVO, LVSCINIOLAE ne deſuat cantio.
Sequere hâc. P. qd agũt germanæ duæ meretrices cognomines?
Quid in concilio conſuluiſtis? B. bene pol. P. haud meretricũ eſt.
B. Miſerius nihil quàm mulier. P. quid eſſe dicis dignius?
B. Hæc ita me orat, ſibi qui caueat, aliquem ut reperiam hominem:
Iſtoc milite ut ubi emeritum ſibi ſit, ſe reuehat domum:
Id ámabo te huic caueas. P. quid iſti caueã? B. ut reuehat domũ
Vbi ei dederit operas, ne hanc ille habeat pro ancilla ſibi.

Nam ſi habeat aurum, quod illi renumeret, faciat lubens.
P. Vbi is homo'ſt? B. iam hic credo aderit. ſed hoc idem apud nos
Poteris agere: atq; is dũ ueniat, ſedens ibi opperibere: (rectius
Eadem bibens, eadem dedero tibi, ut biberis ſauium.
P. Viſcus merus ueſtra eſt blãditia. B. qd iã? P. quia enim intellego:
Duæ unum expetitis palumbem: parua hirundo alas uerberat.
Non ego iſtuc facinus mihi mulier conducibile eſſe arbitror.
B. Quî amabo? P. quia Bacchis bacchas metuo, te bacchanal tuum.
B. Quid eſt? quid id metuis? ne tibi lectus malitiã apud me ſuadeat?
P. Magis illectum tuum, quàm lectum metuo: mala es beſtia.
Nam huic ætati non conducit mulier latebroſus locus.
Egóne apud me quod ſtultè facere cupias, prohibeam?
B. Sed ego apud me te eſſe ob eam rem, miles cum ueniat, uolo:
Quia quom tu aderis, huic, mihiq; haud faciet quiſquã iniuriã:
Tu prohibebis, & eadem opera tuo ſodali operam dabis:
Et ille aduenicns tuam me eſſe amicam ſuſpicabitur.
Quid ámabo obticuiſti? P. quia iſtæc lepida ſunt memoratu:
Eadem in uſu, atque ubi periculum facias, aculeata ſunt:
Animum fodicant, bona diſsimulant facta, & famam ſauciant.
Apage à me, apage. B. ah nimium ferus es. P. mihi ſum. B. malaciſſandus es:
Quid ab hac metuis? P. quid ego metuã rogitas? homo adoleſcẽs
Penetrem huiuſmodi in palæſtram, ubi damnis deſudaſcitur,
Vbi pro diſco damnum capiam, pro curſura dedecus?
B. Lepidè memoras. P. ubi ego capiam pro mechæra turturem:
Vbiq; imponat in manu, alius mihi pro ceſtu cantharum,
Pro galea, ſcaphium: pro inſigni, ſit corolla plectilis.
Pro haſta, talus: pro lorîca, malacum capiam pallium:
Vbi mihi pro æquo lectus detur, ſcortum pro ſcuto accubet.
Apage à me, apage. B. ah nimium ferus es. P. mihi ſum. B. malaciſſandus es:
Equidẽ tibi dabo hanc operã. P. at nimiũ precioſa operaria es.
B. Simulato me amare. P. utrum ego ioco aſsimulem iſtuc, an ſerio?
B. Eia hoc agere meliu'ſt: miles cum huc adueniat, te uolo

Me am-

Me amplexari. P. quid eo opu'ſt? B. ut ille te uideat, uolo.
Scio quid ago. P. & pol ego ſcio qd metuo. ſed quid ais? B. qd eſt?
P. Quid ſi apud te ueniat de ſubito prandium, aut potatio
Forte, aut cœna, ut ſolet in iſtis fieri conciliabulis:
Vbi ego tum accumbam? B. apud me, mi anime: ut lepidus cum
lepida accubet.
Locus hic nos apud, quàmuis ſubito uenias, ſemper liber eſt.
Vt lepide eſſe uoles tibi mea roſa, mihi dicito.
Dato qui bene ſit: ego ubi bene ſit tibi, locum lepidum dabo.
P. Rapidus fiuuius eſt hic: non hâc temere tranſiri poteſt.
B. Atque ecaſtor apud hunc fluuium aliquid perdundu'ſt tibi.
Manum da, & conſequere. P. aha minime. B. quid ita obſecro?
P. Quia iſtoc illecebroſius fieri nihil poteſt.
Nox, mulier, uinũ homini adoleſcentulo? B. age igitur, equidem
Pol nihili facio niſi cauſſa tua: ille quidem abducet hanc,
Tu nullus affueris, ſi non lubet. P. ſumne ego nihili,
Qui nequeã ingenio meo moderari? B. quid eſt, quod tu metuas?
P. Nihil eſt. nũc mulier tibi me emãcupo: tuus ſum, tibi do operam.
B. Lepidus, nunc ego te facere hoc uolo: ego ſorori meæ cœnam
Hodie dare uolo uiaticam: ego tibi argentum iubeo
Iam intus efferri foras: tu facito opulentum obſonium,
Ego obſonabo. nam id flagitium meum ſit, mea gratia
Te operam dare mihi, & ad eam operã facere ſumptum de tuo.
P. At ego nolo te dare quicquam: ſine. B. ſino quidem, ſi lubet.
Propera amabo. P. prius hic adero, quàm te amare deſinam.
B. Bene me accipis aduenientem mea ſoror. B. quid ita obſecro?
B. Quia piſcatus meo animo hic tibi hodie euenit bonus.
B. Meus ille quidẽ eſt: ibi nunc operam dabo, de Mneſilocho: ſoror,
Vt hic accipias potius aurum, quàm eas hinc cum milite.
B. Cupio. B. dabitur opera. aqua calet, eamus intrò, ut laues:
Nam ut è naui uecta es, credo timida es aliquantum ſoror.
Simul hic neſcio quid turbæ'ſt: quin hinc decedimus?
Sequere hâc igitur me intrò in lectum, ut ſedes laßitudinem.

LYDVS, pedagôgus. PISTOCLERVS, adoleſcens.

L. IAmdudum Piſtoclere tacitus te ſequor,
Spectans quas tu res hoc ornatu geras. nanque
Ita me di ament, Lycurgus, ut mihi quidem
Videtur, poſſet hic ad nequitiam adducier.
Quò nunc capeſſis tu te hinc aduorſa uia
Cum tanta pompa? P. huc. L. quid tibi huc? quis iſtic habet?
P. Amor, uoluptas, Venus, uenuſtas, gaudium,
Iocus, ludus, ſermo, ſuauis ſauiatio.
L. Quid tibi commerci'ſt cum dis damnoſiſsimis?
P. Mali ſunt homines, qui bonis dicunt male.
Tu dis, nec dicis rectè, nec æquom facis.
L. An deus eſt ullus ſuauis ſauiatio?
P. An non putaſti eſſe unquam? ô Lyde es Barbarus,
Quem ego ſapere nimio cenſui plus quàm Thalem.
Sed is ſtultior es Barbaro poticio:
Qui tantus natu, deorum neſcis nomina.
L. Non hic placet mihi ornatus. P. nemo ergo tibi
Hoc apparauit: mihi paratu'ſt quoi placet.
L. Etiam me aduorſus exordire argutias?
Qui ſi decem habeas linguas, mutum eſſe addecet.
P. Non omnis ætas Lyde ludo cònuenit.
Magis unum in mente'ſt mihi nunc, ſatis ut commodè
Pro dignitate obſonij hæc concuret coquus.
L. Iam perdidiſti te, atque me, atque operam meam:
Qui tibi nequicquàm ſæpe monſtraui bene.
P. Ibidem meam operam perdidi, ubi tu tuam:
Tua diſciplina nec mihi prodeſt, nec tibi.
L. O perligatum pectus. P. odioſus mihi es:
Tace, atque ſequere Lyde me. L. illuc ſis uide:
Non pedagôgum iam me, ſed Lydum uocat.
P. Non par uidetur, neque ſit conſentaneum,
Cum hic herus intus ſit, & cum amica is accubet:
Quomq; oſculetur, & conuiuæ ali accubent.
Præſentibus illis pedagôgus unà ut ſiet.

An hoc

L. An hoc ad eas res obſonatu'ſt obſecro?
P. SPERAT QVIDEM animus: quò eueniat, dijs in manu eſt.
L. Tu amicam habebis? P. cum uidebis, tum ſcies.
L. Imò neque habebis, nec ſinam. iturus ſum domum.
P. Omitte Lyde, ac caue malo. L. quid caue malo?
P. Iam exceßit mihi ætas ex magiſterio tuo.
L. O Barathrum, ubi nunc es: ut ego te uſurpem lubens?
Video nimio iam multo plus, quàm uolueram.
Vixiſſe, nimio ſatius eſt, quàm uiuere.
Magiſtrón' quenquam diſcipulum minitarier?
Nil moror diſcipulos mihi eſſe tam plenos ſanguinis.
Valens afflictat me nunc iam uacuum uirium.
P. Eia nunc eſſe ego opinor Hercules: tu autem Linus.
L. Pol metuo magis ne Phœnix factis ſiam tuis:
Teq́; ad patrem eſſe mortuum renuntiem.
P. Satis hiſtoriarum eſt? L. hic ueri perdidit
Compendium. ædepol haud ætati optabile
Feciſti, quom iſtanc nactus es impudentiam.
Occiſus hic homo'ſt. & ecquid in mentem eſt tibi,
Patrem tibi eſſe? P. tibi ego, an tu mihi ſeruos es?
L. Peior magiſter te iſtæc docuit, non ego.
Nimio es tu ad iſtas res diſcipulus docilior,
Quàm ad illa, quæ te docui: ubi operam perdidi.
P. Iſt' hactenus tibi Lyde libertas data'ſt.
Orationis ſatis eſt: ſequere me, ac tace.
L. Aedepol feciſti furtum ætati malum,
Quom iſtæc flagitia me celauiſti, & patrem.

ACTVS SECVNDVS.

CHRYSALVS, ſeruos.

HErilis patria ſalue: quam ego biennio,
Poſtquam hinc in Epheſum abij, nunc conſpicio lubens.
Saluto te uicine Apollo, qui ædibus
Propinquos noſtris accolis, ueneror'q́; te:
Ne Nicobolum ſinas noſtrum ſenem prius

Me conuenire, quàm ſodalem uiderim
Mneſilochi Piſtoclêron, quem ad epiſtolam
Mneſilochus miſit ſuper amica Bacchide.

PISTOCLERVS, CHRYSALVS.

P. Miru'ſt me ut redeam te opere tanto quærere,
Qui abire hinc nullo pacto poſſim, ſi uelim:
Ita me uadatum amore, uinctumq; attines.
C. Proh di immortales, Piſtoclêrum conſpicor.
Piſtoclêre ſalue. P. ſalue Chryſale.
C. Compendio uerba multa iam faciam tibi:
Venire tu me gaudes, ego credo tibi.
Hoſpitium & cœnam pollicêre, ut conuenit
Peregre aduenienti. ego autem uenturum adnuo.
Salutem tibi ab ſodali ſolidam nuntio.
Rogabis me: ubi ſit: uiuit. P. nempe rectè ualet?
C. Iſtuc uolebam ego ex te percontarier.
P. Quî ſcire poſſum? C. nullus plus. P. quemnam admodum?
C. Quia ſi illa inuenta'ſt, quam amat: uiuit, rectè ualet.
Si non inuenta'ſt, minus ualet, moribundusq; eſt.
ANIMA eſt amica amanti: ſi ea abeſt, nullus eſt.
Si adeſt, res nulla eſt: ip us eſt nequam, & miſer.
Sed tu quid factitaſti mandatis ſuper?
P. Egon'? ut quod attuliſſet ab illo nuntius
Non impetratum, id aduenienti redderem?
Regiones colere mauellem ego Acheronticas.
C. Ehò an inueniſti Bacchiden? P. Samiam quidem.
C. Vide quæſo ne quis tractet illam indiligens:
Scis tu ut confringi uas cito Samium ſolet.
P. Iámne ut ſoles? C. dic, ubi ea nunc eſt obſecro?
P. Hîc, exeuntem me unde aſpexiſti modo.
C. Vt iſtuc eſt lepidum, proxumæ uiciniæ
Habitat. ecquidnam meminit Mneſilochi? P. rogas?
Imò unice unum plurimi pendit. C. papæ?
P. Imò, ut eum credis, miſera amans deſiderat.

Dictum

C. Dictum iſtuc? P. imò Chryſale hem non tantulum
Vnquam intermittit tempus quin eum nominet.
C. Tanto hercle melior Bacchis. P. imò. C. imò abiero
Potius. P. num inuitus rem bene geſtam audis heri?
C. Non herus, ſed actor mihi cor odio ſauciat,
Etiam Epidicum: quam ego fabulam æque, ac meipſum amo,
Nullam æque inuitus ſpecto, ſi eam agit Pellio.
Sed Bacchis etiam fortis tibi uiſa eſt? P. rogas?
Ni nactus Venerem eſſem: hanc Iunonem dicerem.
C. Aedepol Mneſiloche, ut rem hanc natam eſſe intelligo,
Quod ames, paratu'ſt: quod des, inuento'ſt opus.
Nam iſtic fortaſſe auro opu'ſt. P. philippeo quidem.
C. Atque eo fortaſſe iam opus eſt. P. imò etiam prius.
Nam iam huc aduenient miles: & miles quidem,
Qui de admittenda Bacchide aurum hic exigit.
C. Veniat quando uolt: atque ita ne ſibi ſit moræ,
Domi'ſt, non metuo, nec quoiquam ſupplico:
Dum quidem hoc ualebit pectus perfidia meum.
Abi intro, ego hic curabo: tu intus dicito
Mneſilochum adeſſe Bacchidi. P. faciam ut iubes.
C. Negotium hoc ad me nunc attinet aurarium.
Mille & ducentos Philippos attulimus aureos
Epheſo: quos hoſpes debuit noſtro ſeni.
Inde ego hodie aliquam machinabor machinam:
Vnde aurum efficiam amanti herili filio:
Sed foris concrepuit noſtra. quinam exit foras?

NICOBOLVS, ſenex. CHRYSALVS, ſeruos.

N. IBO in Pyreæum: uiſam ecquæ aduenerit
In portum ex Epheſo nauis mercatoria.
Nam meus formidat animus, noſtrum tandiu
Ibi deſidere, neque redire filium.
C. Extexam ego illum pulchrè iam, ſi di uolunt.
Haud dormitandu'ſt, opus eſt χρύσω Chryſale. Id eſt
Adibo hunc: quem quidem ego hodie hic faciam arietem auro
Phryxi,

Phryxi, itaq; tondebo auro uſque ad uiuam cutem.
Seruos ſalutat Nicobolum te Chryſalus.
N. Proh di immortales, Chryſale ubi mihi'ſt filius?
C. Quin tu primùm ſalutem reddis, quam dedi?
N. Salue. ſed ubinam eſt Mneſilochus? C. uiuit, ualet.
N. Venitne? C. uenit. N. euax, ASPERSISTI AQVAM.
Benéne uſque ualuit? C. pancraticè, atque athleticè.
N. Quid hoc, qua ego cauſſa illum in Epheſum miſeram.
Accepitne aurum ab hoſpite Archidemide?
C. Heu cor meum, & cerebrum Nicobole finditur.
Iſtius hominis ubi fit quaque mentio.
Tún' hoſpitem illum nominas, hoſtem tuum?
N. Quid ita hercle obſecro? C. quia ædepol certo ſcio,
Volcanus, Sol, Dies, Luna, dei quatuor,
Scelestiorem nullum illuxêre alterum.
N. Quémne Archidemidem? quem inquam Archidemidem?
Quid fecit? C. quid non fecit? quin tu id me rogas?
Primùm dum inficias ire cœpit filio,
Negare ſeſe debere tibi triobulum,
Continuo antiquom ibi hoſpitem noſtrum ſibi
Mneſilochus aduocauit Pelagonem ſenem:
Eo præſente, homini extemplo oſtendit ſymbolum,
Quem tute dederas, ad eum ut ferret, filio.
N. Quid, ubi ei oſtendit ſymbolum? C. infit dicere
Adulterinum, & non eum eſſe ſymbolum:
Quotq; innocenti ei dixit contumelias?
Adulterare eum aiebat rebus cæteris.
N. Habetin' aurum? id mihi primum dici uolo.
C. Poſtquàm quidem prætor recuperatores dedit,
Damnatus demum, ui coactus reddidit
Ducentos, & mille philippûm. N. tantum debuit?
C. Porrò etiam auſculta pugnam, quam uoluit dare.
P. Etiámne eſt quid porrò? C. hem accipe, trina hæc nunc erit.
N. Deceptus ſum, Autolico hoſpiti aurum credidi.

Quin

C. Quin tu audi. N. imò ingenium auidi haud pernoram hoſpitis.
C. Poſtquam aurum abſtulimus, in nauim conſcendimus,
Domum cupientes. forte ut adſedi in geſta,
Dum circumſpecto, atque ego tum lembum conſpicor.
Longum eſt rigorem maleficum exornarier.
N. Perij hercle, lembus ille mihi lædit latus.
C. Is erat communis cum hoſpite & prædonibus.
N. Adeón' me fuiſſe fungum, ut qui illi crederem,
Quom mihi ipſum nomen eius Archidemidis
Clamaret dempturum eſſe, ſi quid crederem?
C. Is noſtræ naui lembus inſidias dabat.
Occœpi ego obſeruare eos, quam rem gerant.
Interea è portu noſtra nauis ſoluitur.
Vbi portu eximus, homines remulco ſequi,
Neque aues, neque uenti citius. quoniam ſentio
Quæ res gereretur, nauim éxtemplo ſtatuimus.
Quoniam uident nos ſtare, occœperunt ratem
Turbare in portu. N. ædepol mortaleis malos.
Quid denique agitis? C. rurſum in portum recipimus.
N. Sapienter factum à uobis. quid illi poſtea?
C. Reuorſionem ad terram faciunt ueſperi.
N. Aurum hercle auferre uoluêre, ei rei operam dabant.
C. Non me fefellit, ſenſi, eo exanimatus fui.
Quom id uidimus, capimus conſilium continuo.
Poſtridie auferimus aurum omne ijs præſentibus
Palàm atque aperte, ut illi id factum ſciſcerent.
N. Scite hercle. cedò quid illi? C. triſtes illico,
Quom éxtemplo à portu abire nos cum auro uident,
Subducunt lembum capitibus quaſſantibus,
Nos ibi apud Theotimum omne aurum depoſuimus,
Qui illic ſacerdos eſt in Dianæ Epheſiæ.
N. Qui iſtic Theotimus eſt? C. Megabyzi filius,
Qui nunc in Epheſo eſt Epheſijs chariſſimus.
N. Næ illi hercle mihi ſit multo tanto charior,

Si me

Si me illoc auro tanto circunduxerit.

C. Quin ipſa in æde Dianæ conditu'ſt, ibi
Demum publicitus ſeruant. N. occidiſtis me,
Nimio hic priuatim ſeruaretur rectius.
Sed uos nihilne attuliſtis inde auri domum?

C. Immò etiam: uerum quantum attulerit, neſcio.

N. Quid neſcis? C. quia Mneſilochus noctu clanculum
Deuênit ad Theotimum: nec mihi credere,
Nec quoiquam in naui uoluit: eo ego neſcio
Quantillum attulerit, uerùm haud permultum attulit.

N. Etiam dimidium cenſes? C. non ædepol ſcio,
Verùm haud opinor. N. fértne partem tertiam?

C. Non hercle opinor, uerùm uerum neſcio.
Profecto de auro nihil ſcio, niſi neſcio.
Næ tibimet illuc naui capiundu'ſt iter,
Vt illud reportes aurum ab Theotimo domum.
Atque heus tu. N. quid uis? C. anulum gnati tui
Facito ut memineris ferre. N. quid opus eſt anulo?

C. Quia id ſignum eſt cum Theotimo: qui eum illi affert,
Ei aurum ut reddat. N. meminero: & rectè mones.
Sed diuésne eſt illic Theotimus? C. etiam rogas,
Qui foccis habeat auro ſuppactum ſolum?

N. Cur ita faſtidit? C. tantas diuitias habet,
Neſcit quid faciat auro. N. mihi dederit uelim.
Sed quî præſente id aurum Theotimo datum eſt?

C. Populo præſente: nullus eſt Epheſi, quin ſciat.

N. Iſtuc ſapienter ſaltem fecit filius.
Quem diuiti homini id aurum ſeruandum dedit:
Ab eo licebit, quàmuis ſubito, ſumere.

C. Imò hem tantiſper nunquam te morabitur,
Quin habeas illud, quo die illuc ueneris.

N. Cenſebam aufugiſſe à uita marituma,
Ne nauigarem tandem hoc ætatis ſenex:
Id mihi haud utrum uelim licére intellego,

Ita bellus hoſpes fecit Archidemides.
Vbi nunc eſt ergo meus Mneſilochus filius?
C. Deos atque amicos ijt ſalutatum ad forum.
N. At ego hinc ad illum, ut conueniam, quantum poteſt.
C. Ille eſt oneratus rectè, & plus iuſto ſecum uehit.
EXORSA HAEC tela non male eſt omnino mihi,
Vt amantem herilem compotem facerem filium.
Ita feci, ut aurum quantum uellet, ſumeret:
Quantum autem lubeat reddere, ut reddat patri.
Senex in Epheſum ibit, ſibi aurum arceſſere.
Hîc noſtra agetur ætas in malacum modum:
Siquidem hic relinquet, nec ſecum abducet ſenex
Me, nec Mneſilochum: quas ego hic turbas dabo,
Si quid futuru'ſt, quom hoc ſenex reſciuerit?
Quom ſe excucurriſſe illuc fruſtra ſciuerit,
Noſq́; aurum abuſos? quid mihi fiet poſtea?
Credo hercle adueniens nomen mutabit mihi,
Facietq́; extemplo Cruciſalum me ex Chryſalo.
Aufugero hercle, ſi magis uſus uenerit.
Si ero reprenſus, macto ego illum infortunio.
Si illi ſunt uirgæ ruri, at mihi tergum domi'ſt.
Nunc ibo: herili filio hanc fabricam dabo
Super auro, amicaq́; eius inuenta Bacchide.

ACTVS TERTIVS.

LYDVS, pedagôgus.

PAndite atque aperite propere ianuam hanc Orci obſecro.
Nam equidem haud aliter eſſe duco: quippe quoi nemo aduenit,
Niſi quem ſpes reliquêre omnes, ex ſe ut frui poſsiet.
Bacchides, non Bacchides, ſed bacchæ ſunt acerrumæ.
Apage iſtas à me ſorores, quæ hominum ſorbent ſanguinem.
Omnium ad perniciem inſtructa domus opime, atque opipare:
Quæ, ut aſpexi, me continuo contuli protinam in pedes.
Egóne ut hæc cluſa geſtem clanculum? ut celem patrem

Piſtoclére tua flagitia, aut damna, aut diſpoliabula,
Quis patrem, & me, teq́;, amicosq́; omnes affectas tuos
Ad probrum, damnum, flagitium appellare unà, & perdere?
Neque mei, neque te tui intus puditu'ſt factis, quæ facis,
Quis tuum patrem, meq́; unà, amicos, affines tuos
Tua infamia feciſti geruli figulos flagitij.
Nunc prius quàm malum iſtoc addis, certu'ſt iam dicam patri.
De me culpam hanc demolibor iam, & ſeni faciam palàm:
Vt eum ex lutulento cœno propere hinc eliciat foras.

MNESILOCHVS, adoleſcens.

MVltis meditatus modis egomet mecum ſum, & ita eſſe arbitror,
HOMINI amico qui eſt amicus, ita uti nomen poſſidet,
Niſi deos nihil præſtare. id opera expertus ſum eſſe ita.
Nam ut in Epheſum hinc abij (hoc factu'ſt ferme abhinc biennium)
Ex Epheſo huc ad Piſtoclêrum ſodalem meum literas
Miſi, amicam ut mihi inueniret Bacchidem. illum intellego
Inueniſſe, ut ſeruos mihi nuntiauit Chryſalus.
Condignè is technam de auro aduorſum meum fecit patrem,
Vt mihi amanti copia eſſet. ſed eccum uideo incedere.
NAM POL quidem, meo animo, ingrato homine nihil impenſiu'ſt.
Malefactorem amitti ſatius, quàm relinqui beneficum.
NIMIO PRAESTAT impendioſum te, quàm ingratū dicier.
Illum laudabunt boni, hunc etiam ipſi culpabunt mali.
* Ac Qua me cauſſa magis * cum cura eſſe, ea cū obiurgat, eſt opus.
cura- Nunc Mneſiloche ſpecimen ſpecitur, nunc certamen cernitur.
re & Sisne, nécne (ut eſſe oportet) malus, bonusq́;, quoiuſmodi
adui- Iuſtus, iniuſtus, malignus, largus, commodus, incommodus.
gila- Caue ſis te ſuperare ſeruom ſinas, faciundo bene.
re eſt Vt tu eris, modo haud celabis. ſed eccos uideo incedere
opus. Sodalis patrē & magiſtrum: hinc auſcultabo quam rem agant.

LYDVS, PHILOXENES, MNESILOCHVS.

Nunc

L. NVnc experiar, ſitne acetum tibi cor acre in pectore.
Sequere me. P. quò te ſequar? aut quò nunc me ducis?
L. ad illam,
Quæ tuum perdidit, peßùmdedit tibi filium unicum.
P. EIA LYDE leniter qui ſæuiunt, ſapiunt magis.
Minus mirandum eſt, illa ætas ſi quid illorum facit,
Quàm ſi non facit. feci ego iſtæc itidem in adoleſcentia.
L. Hei mihi, hei mihi, iſtæc illum perdidit aſſentatio.
Nam abſq; te eſſet, ego illum haberē rectum ad ingeniū bonum.
Nunc propter te, tuamq; prauos factu'ſt fiduciam
Piſtoclêrus. M. di immortales meum ſodalem hic nominat:
Quid negotij hoc eſt, Piſtoclêrum Lydus quòd herum tam ciet?
P. Pauliſper Lyde lubido'ſt homini, ſuo animo obſequi:
Iam aderit tempus, cum ſeſe etiam ipſe oderit. morem geras:
Dum caueatur, præter æquom ne quid delinquat, ſine.
L. Non ſino, neque equidem illum, me uiuo, corrumpi ſinam.
Sed tu, qui pro tam corrupto dicis cauſſam filio,
Eadémne erat hæc diſciplina olim, quom tu adoleſcens eras?
Nego tibi annis uiginti fuiſſe primis copiam,
Digitum longe à pædagógo pedem ut efferres ex ædibus.
Ante ſolem exorientem niſi in palæſtram ueneras,
Gymnaſij præfecto haud mediocreis pœnas penderes:
Idq; ubi obtigerat, hoc etiam ad malum arceſſebatur malum,
Et diſcipulus & magiſter perhibebantur improbi,
Ibi curſu, luctando, haſta, diſco, pugillatu, pila,
Saliendo ſe exercebant magis, quàm ſcorto, aut ſauijs.
Ibi ſuam ætatem extendebant, non in latebroſis locis.
Inde de hippodromo, & palæſtra, ubi reueniſſes domum,
Cincticulo præcinctus in ſella apud magiſtrum aſsideres,
Tum librum legeres: ſi unam peccauiſſes ſyllabam,
Fieret corium tam maculoſum, quàm eſt nutricis pallium.
M. Propter me hæc meo nunc ſodali dici diſcrucior miſer:
Ille innocens ſuſpicionem hanc ſuſtinet cauſſa mea.
P. Alij Lyde nunc ſunt mores. L. id equidem ego certe ſcio,

Nam

Nam olim populi prius honorem capiebat ſuffragio,
Quàm magiſtri deſinebat dicto eſſe obediens.
At nunc priuſquam eſt ſeptuennis, ſi eum attingas manu,
Extemplo puer pædagògo tabula dirumpit caput.
Cum patrem adeas poſtulatum, puero ſic dicit pater,
Noſter eſto, dum te poteris defenſare iniuria.
Prouocatur pædagògus, Eho ſenex minimi precij
Ne attingas puerum iſta cauſſa, quandò fecit ſtrenue.
Id magiſter quaſi lucerna expletus uncto linteo.
Itur illinc iure dicto. uerum hóccine hic pacto poteſt
Inhibere imperium magiſter, ſi ipſus primus uapulet?
M. Acris poſtulatio hæc eſt, quom huius dicta intellego.
Mira ſunt, ni Piſtoclêrus Lydum pugnis contûdit.
Sed quis hic eſt, quem aſtantẽ uideo ante oſtium? L. ô Philoxene.
M. Deos me propitios uidere, quàm illum mauellem mihi.
P. Quis illic eſt? L. Mneſilochus Piſtocléri ſodalis tui,
Haud conſimili ingenio, atque ille eſt, qui in lupanari accubat.
Fortunatum Nicobolum, qui illum produxit ſibi.
Saluos ſis Mneſiloche: ſaluom te aduenire gaudeo.
M. Di te donent Philoxene. L. hic rite productus eſt patri:
In mare it, rem familiarem curat, cuſtodit domum,
Obſequens eſt, obediensq; mori, atque imperijs patris.
Hic ſodalis Piſtocléro iam puer puero fuit.
Triduum non intereſt ætatis, uter maior ſiet:
Verùm ingenium plus triginta annis maius eſt, quàm alteri.
P. Caue malum, & compeſce in illum iniuſte dicere.
L. Tace: ſtultus es, qui illi ægrè, malè pátere, dici qui facit:
Nam illum meum promptare malum malim, quàm peculium.
P. Quî dum? L. quia malum ſi promptet, in dies faciat minus.
M. Quid meum ſodalem caſtigas Lyde diſcipulum tuum?
L. Perijt tibi ſodalis. M. ne dixeris. L. ſic eſt, ut loquor:
Quin ego quom peribat uidi, non ex audito arguo.
M. Quid factu'ſt? L. meretricem indigne deperit. M. non tu taces?
L. Atque acerruma ea'ſt, abſorbet uiros, ubi quenq; attigit.

Vbi

M. Vbi ea mulier habitat? L. hic. M. unde eã eſſe aiunt? L. ex Samo.
M. Quæ uocatur? L. Bacchis. M. erras Lyde, nã ego omnẽ rem ſcio,
Quemadmodum eſt: tu Piſtoclêrum falsò, atq; inſontem arguis.
Nam ille amico, & beneuolenti ſuo ſodali ſedulò
Rem mandatam exequitur. ipſus nec amat, nec tu creduas.
L. Itáne oportet rem mandatam gerere amici ſedulò,
Ipſus ut in gremio oſculantem mulierem teneat ſedens?
Nullo pacto res mandata poteſt agi, niſi identidem
Manus ferat ad papillas, labra ab labris nuſquam auferat?
Nam alia memorare, quæ illum facere uidi, diſpudet,
Quom manum ſub ueſtimenta ad corpus detulit Bacchidi,
Me præſente, neque pudere quicquam. quid uerbis opus eſt?
Mihi diſcipulus, tibi ſodalis periit, huic filius.
Nam ego illum periſſe duco, quoi quidem periit pudor.
Quid opus eſt uerbis? ſi opperiri uellem pauliſper modo,
Vt opinor, inſpectandi mihi eſſet maior copia:
Plus uidiſſem, quàm deceret, quàm me, atque illo æquom foret.
M. Perdidiſti me ſodalis. egóne ut illam mulierem
Capitis non perdam? perire me malis malim modis.
Satin, ut quem tu fidelem habeas, aut quoi credas, neſcias?
L. Vidén', ut ægre patitur, gnatum eſſe corruptum tuum,
Suum ſodalem? ut ipſus ſe cruciat ægritudine?
P. Mneſiloche, hoc tecũ oro, ut illius animum atq; ingenium regas:
Serua tibi ſodalem, & mihi filium. M. factum uolo.
P. In te ergo hoc onus omne impono. Lyde ſequere hâc me. L. ſequor.
Melius eſſet me quoq; unà ſi cum illo relinqueres.
P. Affatim eſt. Mneſiloche cura, & caſtiga hominem probè,
Qui dedecorat te, me, amicos, atque alios flagitiis ſuis.

MNESILOCHVS, adoleſcens.

AMiciorem nunc utrum credam magis,
Sodalémne eſſe, an Bacchidem, incertu'ſt admodum.
Illum exoptauit potius: habeat, optumum eſt.
Næ illa illud hercle cum malo fecit meo:
Nam mihi diuôm nunquam quicquam creduat,

X Ni ego

Ni ego illam exemplis plurimis, planeq; amo.
Ego faxo haud dicet nactam, quem derideat.
Nam iam domum ibo, atque aliquid ſurripiam patri:
Id iſti dabo, ego iſtanc multis ulciſcar modis:
Adeò ego illam cogam, uſque ut mendicet pater.
Sed ſatin' ego animum mente ſyncera gero,
Qui ad hunc modum hæc hîc quæ futura fabulor?
Amo hercle: opinor, utpote quòd pro certo ſciam.
Verùm quàm ulla unquam de mea pecunia
Ramenta fiat plumea propenſior,
Mendicum malim mendicando uiuere.
Nunquam ædepol uiua me irridebit: nam mihi
Decretu'ſt renumerare iam omne aurum patri.
Igitur mihi inani, atque inopi ſublandibitur,
Tum quom nihilo pluris ea res referet ſibi,
Quàm ſi ad ſepulchrum mortuo dicat iocum.
Sed antè quàm illa unquam meis opulentijs
Ramenta fiat grauior, aut propenſior,
Mori me malim miſera excruciatum inopia.
Profecto ſtabile'ſt me patri aurum reddere.
Eadem exorabo Chryſalo cauſſa mea
Pater ne noceat, neu quid ei ſuccenſeat
Mea cauſſa de auro, quòd eum ludificatus eſt.
Nam illi æquom'ſt me conſulere, qui cauſſa mea
Mendacium dixit. nunc uos me ſequimini.

PISTOCLERVS.

REbus alijs anteuortam Bacchis, quæ mandas mihi,
Mneſilochum ut requiram, atque ut eum mecum ad te adducam ſimul.
Nam illud animus moratur meus, ſi à me tetegit nuntius,
Quid remoratur. ibo, & uiſam huc ad eum ſi forte eſt domi.

MNESILOCHVS, PISTOCLERVS.

M. REddidi patri omne aurũ. nũc ego illã me cõuenire, uelim,
Poſtq̃ inanis ſum, contemptricem meam. ſed ueniam mihi

Quàm grauatè pater dedit de Chryſalo? uerum poſtremo
Impetraui,ut ne quid ei ſuccenſeat. P. éſtne hic meus
Sodalis? M. éſtne hic hoſtis,quem aſpicio, meus? P. certè is eſt.
M. Is eſt,adibo contrà,& tollam gradum. P. ſaluos ſies
Mneſiloche. M. ſalue. P. ſaluos cum peregre aduenis,cœna
Detur. M. non placet mihi cœna,quæ bilem mouet. P. num quæ
Aduenienti ægritudo obiecta eſt? M. atque acerruma.
P. Vnde? M. ab homine,quẽ mihi amicũ eſſe arbitratus sũ antidhac.
P. MVLTI more iſto,atque exemplo uiuont:quos cum cenſeas
Tibi amicos,reperiuntur falſi falſimonijs,
Lingua factioſi,inertes opera,ſubleſta fide.
NVLLVS EST, qui non inuideat rem ſecundam obtingere:
Sibi ne inuideatur,ipſi ignaui cauent rectè. M. ædepol
Næ tu illorum mores perquàm meditate tenes. ſed etiam
Vnum hoc ex ingenio malo malum inueniunt ſuo:
Nulli amici ſunt,inimicos ipſi in ſeſe omneis habent.
Atque ſeſe cum fruſtrantur,fruſtrari alios ſtolidi exiſtumant:
Sicut eſt hic,quem eſſe amicum ratus,ipſus iam ſum mihi.
Ipſe quod in ſe fuit,accuratum habuit,quod poſſet mali
Facere in me,inconciliare copias omneis meas.
P. Improbũ iſtunc eſſe oportet hominẽ. M. ego ita eũ eſſe arbitror.
P. Obſequere hercle:loquere,quis is eſt? M. bene ualens uiuit tibi.
Nam ni ita eſſet,tecum orarem,ut ei quod poſſes malefacere,
Faceres. P. dic modo hominem qui ſit,ſi non fecero ei male
Aliquo pacto,me etiã dicito ignauiſſumum. M. nequam homo'ſt.
Verum hercle amicus eſt tibi. P. tanto magis dic,quis eſt.
Nequam iſtiuſmodi hominis ego paruipendo gratiam.
M. Video non poſſe,quin tibi eius nomen eloquar.
Piſtoclere perdidiſti me ſodalem funditus.
P. Quî iſtuc eſt? M. quid eſt? miſine ego ad te ex Epheſo epiſtolam
Super amica,ut mihi inuenires? P. fateor factum,& repperi.
M. Quid,tibi non erat meretricum aliarum Athenis copia,
Quibus cum haberes rem:niſi illam,quam ego mandaſſem tibi,
Occiperes tute amare,& me ires conſultum male?

P. Sanin' es? M. rem repperi omnem ex tuo magiſtro: ne nega,
Perdidiſti me. P. etiamne ultro tuis me proiectas probris?
Quid amas? M. Bacchidem. P. duas ergo hic intus eccas Bacchides.
M. Quid duas? P. atq; ambas ſorores. M. loqueris nunc nugas ſciës.
P. Poſtremò ſi pergis parum mihi fidem arbitrarier,
Tollã ego te in collũ, atq; intrò hinc auferam. M. imò ibo, mane.
P. Non maneo, neque tu me habebis falſò ſuſpectum. M. ſequor.

ACTVS QVARTVS.

PARASITVS.

PArasitus ego ſum nequam hominis atque improbi
Militis, qui amicam ſecum auexit ex Samo:
Nunc me ire iuſsit ad eam, & percontarier,
Vtrum aurum reddat, ánne eat ſecum ſimul:
I tu puer, qui dudum cum illa uſque iſti ſimul:
Quæ harum ſunt ædes pulta: adi actûtum ad fores.
Recede hinc dierecte, en ut pultat propudium:
Comeſſe panem treis pedes latum potes,
Fores pultare neſcis. ecquis his in ædibus eſt?
Heus, ecquis hic eſt? ecquis hoc aperit oſtium? ecquis exit?

PISTOCLERVS, & PARASITVS.

PI. QVid iſtuc eſt? quæ nam iſtæc eſt pultatio?
Quæ te mala crux agitat, qui ad iſtunc modum
Alieno exenteres ſuum ius oſtio?
Fores pene effregiſti. quid nunc uis tibi?
PA. Adoleſcens ſalue. PI. ſalue. ſed quem quæritas?
PA. Bacchidem. PI. utram ergo? PA. nihil ſcio, niſi Bacchidem.
Paucis me miſit miles ad eam Cleomachus,
Vel ut ducentos philippos reddat aureos,
Vel ut hinc in Elatiam hodie eat ſecum ſimul.
PI. Non it: negato eſſe ituram: abi, & renuntia.
Alium illa amat, non illum: duc te ab ædibus.
PA. Nimis iracunde. PI. at ſcin' quàm iracundus ſiem?
Næ tibi hercle haud longe eſt os ab infortunio:

Ita

Ita dentifrangibula hæc meis manibus geſtiunt.

PA. Cum ego huius uerba interpretor, mihi cautio'ſt,
Ne nucifrangibula excuſsit ex malis meis.
Tuo ego iſtæc igitur dicam illi periculo.

PI. Quid ais tu? PA. ego iſtuc illi dicam. PI. dic mihi:
Quis es tu? PA. illius ſum integumentum corporis.

PI. Nequam eſſe oportet, quoi tu integumentum improbus es.

PA. Suffiatus ille huc ueniet. PI. diruptum uelim.

PA. Num quid uis? PI. abeas celeriter, facto eſt opus.

PA. Vale dentifrangibule. PI. & tu integumentum uale.
In eum nunc reuenit res locum, ut quid conſilij
Dem meo ſodali ſuper amica, neſciam:
Qui iratus renumerauit omne aurum patri:
Neque nummus ullu'ſt, qui reddatur militi.
Sed huc concedam. nam concrepuerunt fores.
Mneſilochus eccum mœſtus progreditur foras.

MNESILOCHVS, PISTOCLERVS.

M. PEtulans, proteruo, iracundo animo, indomito, incogitato:
Sine modo & modeſtia ſum, ſine bono iure, atq; honore:
Incredibilis, impos animi, inamabilis, inlepidus uiuo,
Male uolente genio natus. poſtremo id mihi'ſt, quod uolo eſſe
Ego, alijs credibile hoc? nequior nemo, neque indignior eſt,
Quoi di benefaciāt: neq; quē homo quiſquā aut amet, aut adeat.
Inimicos quàm amicos æquum'ſt me habere: malos, quàm bonos magis me (eſt
Iuuare. omnibus probris, quæ improbis uiris digna ſunt, dignior
Nullus homo, qui patri reddidi omne aurū amēs, quod mihi fuit
Præ manibus. ſumne ego homo miſer? perdidi me, atque operam Chryſali.

P. Conſolandus mihi eſt: ibo ad eum. Mneſiloche quid fit?

M. Perij. P. di melius faciant. M. perij. P. non taces inſipiens?

M. Taceam? P. ſanus ſatis non es. M. perij: multa mala mihi nunc
In pectore acra atque acerba eueniunt: criminin' me
Habuiſſe fidem? immerito tibi iratus fui. P. eia,

Bonum habe animum. M. unde habeam? mortuus pluris pre-
ci'ſt, quàm ego ſum.

P. Militis paraſitus uenerat modo aurum petere hinc: cum ego
Meis dictis malis, his foribus reppuli, reieci hominem.

M. Quid id mihi prodeſt? quid faciã? nihil habeo miſer. ille quidem
Abducet ſcio. P. ſi mihi eſt, nõ polliceor. M. ſcio dares, (hanc
Noui: ſed niſi ames, non tibi habeam fidem tantam. nũc agitas,
Sat tute tuarum rerum. egone ut opem mihi ferre putem poſſe
Inopem te? P. tace modo, deus reſpiciet nos aliquis. (deo.

M. Nugæ. P. mane. M. quid eſt? P. Chryſalum tuam copiam eccã ui-

CHRYSALVS, MNESILOCHVS, PISTOCLERVS.

C. HVnc hominem decet auro expendi, huic decet ſtatuam
ſtatui ex auro:
Nam duplex hodie facinus feci, duplicibus ſpolijs
Affectus ſum. herum maiorem meum ut ego hodie luſi lepide?
Vt ludificatus eſt? ut ego hodie callidum ſenem
Callidis dolis compuli & perpuli, mihi omnia ut crederet?
Nunc amanti hero filio ſenis, quicum bibo, edo, & amo,
Regias copias, aureaſq; obtuli, ut domo ſumeret, neu foris
Quæreret. non mihi placent iſti Parmenones Syri,
Qui duas, aut treis minas auferunt heris. nequius nihil eſt,
Quàm egens conſilij ſeruos, niſi habet pectus multipotens,
Vbicunque uſus ſiet, pectore expromat. nullus frugi
Eſſe poteſt homo, niſi qui bene & male facere tenet. improbus
Cum improbis ſit, harpaget, furibus furetur, quod queat.
Verſipellem frugi conuenit eſſe hominem, pectus quoi ſapit.
Bonus ſit bonis, malis malus: utcunque res ſit, ita animum
Habeat. ſed lubet ſcire, quantum aurum herus ſibi dempſit, &
quid ſuo
Reddidit patri. ſi frugi'ſt, Herculem fecit ex patre,
Decumam partem ei dedit, ſibi nouem abſtulit. ſed quem quæ-
ro optume
Obuiam ecce mihi'ſt. num qui nummi exciderunt here tibi,

Quòd

Quòd ſic terram obtuere? quid uos mœſtos tam triſtesq́;
Eſſe conſpicor? non placet, nec temere eſt. etiam quin mihi
Reſpondetis? quia malum parum? M. imò uerò nimio minus multo parum
Chryſale: occidi. C. fortaßis tu auri dempſiſti parum.
Quid igitur ſtulte? quoniam occaſio ad eam rem fuit
Virtute mea parta, ut quantum uelles, tantum ſumeres:
Sic hoc digitulis duobus ſumebas primoribus? an
Neſciebas, quàm eiuſmodi homini rarò tempus ſe daret?
M. Erras. C. at quidem tute errasti, quom parũ immerſiſti ampliter.
M. Pol tu quàm nunc me accuſes magis, ſi magis rem noueris?
C. Occidi: iam animus iſtoc dicto plus præſagitur mali.
M. Perij. C. quid ita? M. quia patri omne cum ramento reddidi.
C. Reddidiſti? M. reddidi. C. omnéne? M. omne oppido. C. occiſi ſumus.
Quî in mentẽ uenit tibi iſtuc facinus facere tam malum?
M. Bacchidem, atque hunc ſuſpicabar propter crimen, Chryſale,
Me male conſuluiſſe: ob eam rem omne aurum iratus reddidi
Meo patri. C. quid, ubi reddebas aurum, dixiſti patri?
M. Me id aurum accepiſſe éxtemplo ab hoſpite Archidemide.
C. Hem iſtoc dicto dediſti hodie in cruciatum Chryſalum:
Nam ubi me aſpiciet, ad carnuficem rapiet continuo ſenex.
M. Ego patrẽ exoraui. C. nempe ergo hoc ut faceret, quod loquor?
M. Imò tibi ne noceat, neu quid ob eam rem ſuccenſeat:
Atque ægre impetraui. nunc hoc tibi curandũ'ſt Chryſale.
C. Quid uis curem? M. ut ad ſenẽ etiam alterã facias uiam, cõpara,
Fabricare, finge quod lubet: conglutina, ut ſenem
Hodie doctum docte fallas, aurumq́; ut auferas.
C. Vix uidetur fieri poſſe. M. perge hâc, facile hæc feceris.
C. Quâ (malùm) facile? quẽ mendacij prehendit manufeſto modo.
Quem ſi orem, ut mihi nihil credat, id non auſit credere.
M. Imò ſi audias, quæ dicta dixit me aduorſum tibi.
C. Quid dixit? M. ſi tu illum ſolem, ſibi ſolem eſſe diceres,
Se illum lunam credere eſſe, & noctem, qui nunc eſt dies.
C. Emungã hercle hominẽ probè hodie: ne id nequicquam dixerit.

M. Nũc quid nos uis facere? C. enim nihil eſt, niſi ut ametis impero:
Cæterum quamlubet me poſcitote aurum, ego dabo.
Quid mihi refert Chryſalo eſſe nomen, niſi factis probo?
Sed nunc quantulum uſu'ſt auri tibi Mneſiloche? dic mihi.
M. Militi nummis ducentis iam uſus eſt pro Bacchide.
C. Ego dabo. M. tum nobis opus eſt ſumptu. C. ah, placidè uolo
Vnumquodq; agamus: hoc ubi egero, tum iſtuc agam.
De ducentis nummis. primùm intendam baliſtam in ſenem:
Et baliſta ſi præuortam turrim, & propugnacula,
Recta porta inuadam éxtemplo in oppidum antiquom & uetus.
Si id capſo, geritote amicis noſtris aurum corbibus,
Si quoi animus ſperat. P. apud te eſt animus noſter Chryſale.
C. Nunc tu abi intrò Piſtoclêre ad Bacchidem, atque effer cito.
P. Quid? C. ſtilum, ceram, tabellas, & linum. P. iam faxo hic erunt.
M. Quid nunc es facturus? id mihi dice. C. coctum prandium:
Vos duo eatis. atque amica tua erit tecum tertia.
M. Sicut dicis. C. Piſtoclêro nulla amica'ſt. M. imò adeſt:
Alteram ille amat ſororem, ego alteram, ambas Bacchides.
C. Quid tu loqueris? M. hoc ut futuri ſumus. C. ubi biclinium eſt
Vobis ſtratum? M. cur id exquiris? C. res ſi ita'ſt, dici uolo.
Neſcis quid ego acturus ſim, neq; facinus quantum exordiar.
M. Cedò manum, ac ſubſequere propius me ad fores. intrò inſpice.
C. Euax nimis bellus, atque eſſe maxume optabam, locus.
P. Quæ impetrauiſti, impetratum bene bonis factum illico'ſt.
C. Quid paraſti? P. quæ parare tu mihi iuſsiſti omnia.
C. Cape ſtilum propere, & tabellas tu has tibi. M. quid poſtea?
C. Quod iubeo, ſcribito iſtic. nam propterea uolo ſcribere,
Vt pater cognoſcat literas, quando legat. ſcribe.
M. Quid ſcribam? C. ſcribe ſalutem tuo patri uerbis tuis.
P. Quid ſi potius morbum, mortem ſcribat? id erit rectius.
M. Ne interturba: imperatũ iam in cera'ſt. C. dic, quemadmodum?
M. Mneſilochus ſalutem dicit ſuo patri. C. adſcribe hoc cito.
Chryſalus mihi uſquequaq; loquitur, nec recte pater,
Quia tibi reddidi aurum, & quia non te fraudauerim.

Mane

P. Mane dum ſcribit. C. celerem eſſe oportet amatoris manum.
P. Atq; idem hercle ad perdundum eſt magis, q̃ ad ſcribendũ citus.
M. Loquere, hoc ſcriptu'ſt. C. nunc pater mi, proin' tu ab eo ut caueas tibi.
Is ſycophantias componit, aurum ut abs te auferat:
Et profecto ſe ablaturum dixit. planè adſcribito.
M. Dic modo. C. atque id pollicetur, ſe daturum aurum mihi,
Quod dem ſcortis, quodq; in luſtris comedã, & congræcẽ pater.
Sed mi pater, ne tibi hodie uerba det, quæſo caue.
M. Loquere porrò. C. adſcribe dum. M. etiam loquere dum id ſcribam modo.
C. Sed pater, quod promiſiſti mihi, id te quæſo ut memineris,
Ne illum uerberes: uerum apud te uinctum aſſeruato domi.
Cedò tu ceram ac linum actûtum age obliga: obſigna cito.
M. Obſecro quid iſtis ad iſtunc uſus eſt conſcriptis modum?
Vt tibi ne quid credat, atq; ut uinctum te aſſeruet domi.
C. Quia mihi lubet. potin' ut cures te, atq; ne parcas mihi?
Mea fiducia opus conduxi, & meo periculo
Rem gero. M. æquom dicis. C. cedò tabellas. M. accipe.
C. Animaduortite, Mneſiloche, & tu Piſtoclêre: iam facite,
In biclinio cum amica ſua uterque accubitum eatis:
Ita negotiu'ſt: atque ibi in lectis ſtratis potetis cito.
P. Nunquid aliud? C. hoc, atque etiam ubi erit accubitum ſemel,
Ne quoquam exurgatis, donec à me erit ſignum datum.
P. O imperatorem probum, iam bis bibiſſe oportuit.
M. Fugiamus. C. uoſtrum curate officium, ego efficiam meum.

CHRYSALVS.

INſanum, magnum molior negotium:
Metuóq; ut hodie me poßim emolirier.
Sed nunc truculento mihi, atque ſæuo uſus ſene'ſt.
Nam non conducit, huic ſycophantiæ ſenem
Tranquillum eſſe ubi me aſpexerit:
Ego uorſabo illum hodie, ſi uiuo, probè.
Tam frictum ego illum reddam, quàm frictu'ſt cicer.

Ambulabo ad oſtium: ut quando exeat,
Extemplo aduenienti tabellas dem in manu.

NICOBOLVS, CHRYSALVS.

N. Nimio illæc res eſt magnæ diuidiæ mihi,
Subterfugiſſe ſic mihi hodie Chryſalum.
C. Saluos ſum, iratus eſt ſenex: nunc eſt mihi
Adeundi ad hominem tempus. N. quis hic loquitur propè?
Atque hic quidem opinor Chryſalus. C. acceſſero.
N. Bone ſerue ſalue: quid fit? quàm mox nauigo
In Epheſum, ut aurum repetam ab Theotimo domum?
Taces? per omnes deos adiuro, ut ni meum
Gnatum tam amem, atque ei facta cupiam quæ is uelit,
Vt tua iam uirgis latera laceremus probè,
Ferratusq; in piſtrino ætatem conteras.
Omnia reſciui ſcelera ex Mneſilocho tua.
C. Men' criminatus eſt? optume'ſt, ego ſum malus,
Ego ſum ſacer, ſceleſtus. ſpectate modo, ego
Verbum faciam. N. etiam minitare carnufex?
C. Noſces tu illum actûtum qualis ſit, & ubi ſit.
Nunc haſce tabellas ferre me iußit tibi:
Orabat, quod iſtic eſt ſcriptum, fieret. N. cedò.
C. Sed noſce ſignum. N. noui. ubi ipſe? C. neſcio.
Nihil iam me oportet ſcire, oblitus ſum omnia:
Scio me eſſe ſeruom, neſcio etiam id quod ſcio,
Nunc AB TRASENNA hic turdus lumbricum petit.
Pendebit hodie pulchrè, ita intendi tenus.
N. Mane parumper dum, iam ad te exeo Chryſale.
C. Vt uerba mihi dat? ut neſcio quam rem gerat?
Seruos arceßit intus, qui me uinciant.
Bene nauis agitatur, pulchre hæc confertur ratis.
Sed conticiſcam: nam audio aperiri fores.

NICOBOLVS, CHRYSALVS.

N. Conſtringe tu illi Artame actûtum manus.
C. Quid feci? N. impinge pugnum, ſi mutiuerit.

Quid

Quid hæ loquontur literæ? C. quid me rogas?
Vt ab illo accepi, ad te obſignatas attuli.

N. Ehò tu loquitatúſne es gnato meo male
Per ſermonem, quia mihi id aurum reddidit,
Et te dixiſti id aurum ablaturum tamen
Per ſycophantiam? C. egóne iſtuc dixi unquam? N. ita.

C. Quis homo'ſt qui dicat me dixiſſe iſtuc? N. tace,
Nullus homo dicit: hæ tabellæ te arguunt
Quas tu attuliſti, hæ te uinciri iubent. C. ahà,
Bellerophontem iam tuus me fecit filius:
Egomet tabellas detuli, ut uincirer? ſine.

N. Propterea hoc facio, ut ſuadeas gnato meo,
Vt pergræcetur tecum ter ueneficæ.

C. O ſtulte ſtulte, neſcis nunc uenire te,
Atq; in eo ipſo ASTAS LAPIDE, ubi præco prædicat.

N. Reſponde, quis me uendit? C. quem di diligunt,
Adoleſcens moritur, dum ualet, ſentit, ſapit.
Hunc ſi ullus deus amaret, plus annis decem,
Plus iam uiginti mortuum eſſe oportuit:
Terræ odium inambulat, & iam nihil ſapit,
Nec ſentit: tanti eſt, quanti'ſt fungus putidus.

N. Tun' terræ me odium eſſe autumas? abducite
Hunc intrò, atque adſtringite ad columnam fortiter.
Nunquam auferes hinc aurum. C. atqui ultrò iam dabis.

N. Dabo? C. atque orabis, me quidem ultrò, ut auferam,
Quom illum reſciſces criminatorem meum,
Quanto in periculo, & quanta in pernicie ſiet.
Tum libertatem Chryſalo largibere:
Ego adeò nunquam accipiam. N. dic ſcelerum caput,
Dic quo in periclo eſt meus Mneſilochus filius.

C. Sequere hàc me. N. quò gentium? C. treunos paſſus. N. uel decẽ.

C. Agedum tu Artame, hanc forem pauxillulum
Aperi placide, ne crepet: faxo iam ſcies.
Sat eſt. accede huc tu, uidén' conuiuium?

Video:

N. Video: ex aduorſum Piſtoclêrum, & Bacchidem.
C. Qui ſunt in lecto illo altero? N. interij miſer.
C. Nouiſtine hominem? N. noui. C. dic ſodes mihi,
Bellán' uidetur ſpecie mulier? N. admodum.
C. Quid, illam meretricémne eſſe cenſes? N. quippe ni.
C. Fruſtra es. N. quis igitur obſecro'ſt? C. inueneris:
Ex me quidem hodie nunquam fies certior.

CLEOMACHVS, NICOBOLVS, CHRYSALVS.

CL. MEámne hic Mneſilochus Nicoboli filius
Per uim ut retineat mulierem? quæ hæc factio'ſt?
N. Quis illic eſt? CH. per tempus hic uenit miles.
CL. Non me arbitratur militem, ſed mulierem,
Qui me, meoſq; non queam defendere.
Nam neque bellona mihi unquam, neque Mars creduat,
Ni illum exanimalem faxo, ſi conuenero:
Niue exhæredem fecero uitæ ſuæ.
N. Chryſale quis ille'ſt qui minatur filio?
CH. Vir hic eſt illius mulieris, quacum accubat.
N. Quid, uir? CH. uir inquam. N. nuptáne eſt illa obſecro?
CH. Scies haud multo póſt. N. oppidò interij miſer.
CH. Quid? nunc ſceleſtus tibi uidetur Chryſalus?
Age nunc, uincito me, auſcultato filio:
Dixín' tibi illum inuenturum te, qualis ſiet?
N. Quid nunc ego faciam? CH. iube ſis me exolui cito.
Nam ni exoluor ego, iam manufeſto hominem opprimet.
CL. Nihil eſt lucri, quod me hodie facere mauelim,
Quàm illum cubantem cum illa opprimere, ambo ut necem.
CH. Audín' quæ loquitur? quin tu me exolui iubes?
N. Exoluite iſtum. Perij, pertimui miſer.
CL. Tum illam quæ corpus publicat uolgo ſuum
Faxo, ſe haud dicat nactam, quem derideat.
CH. Paciſci cum illo paulula pecunia
Potes. N. paciſcere ergo obſecro, quid tibi lubet:
Dum ne manufeſto hominem opprimat, néue enicet.

Nunc

CL. Nunc niſi ducenti philippi redduntur mihi,
Iam illorum ego animam amborum exorbabo oppidò.
N. Hem, illoc paciſcere, ſi potes. perge obſecro,
Paciſcere quid uis. CH. ibo, & faciam ſedulo.
Quid clamas? CL. ubi herus tuus eſt? CH. nuſquam, neſcio.
Vis tibi ducentos nummos iam promittier,
Vt ne clamorem hic facias, nec conuitium?
CL. Nihil eſt quod malim. CH. atque ut tibi mala multa ingeram?
CL. Tuo arbitratu. N. ut ſubblanditur carnufex.
CH. Pater hic Mneſilochi'ſt: ſequere, is promittet tibi,
Tu aurum rogato. cæterum uerbum ſat eſt.
N. Quid ſit? CH. ducentis Philippeis rem pepigi. N. uah,
Salus mea ſeruaſti me. quàm mox dico, dabo.
CH. Roga hunc tu. tu promitte huic. N. promitto. CH. roga.
CL. Ducentos nummos aureos Philippos probos
Dabin'? CH. dabuntur inque, reſponde. N. dabo.
CH. Quid nunc impure, nunquid debetur tibi?
Quid illi moleſtus? quid illum morte territas?
Et ego te & ille mactamus infortunio.
SI TIBI'ST machæra, & nobis urbina'ſt domi:
Qua quidem te faciam, ſi tu me irritaueris,
Confeßiorem ſoricina nænia.
Iamdudum hercle equidem ſentio, ſuſpicio quæ
Te ſolicitet, eum eſſe cum illa muliere.
CL. Imò eſt quoque. CH. ita me Iuppiter, Iuno, Ceres,
Minerua, Latona, Spes, Ops, Virtus, Venus,
Caſtor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules,
Sumanus, Sol, Saturnus, diq; omnes ament,
Vt ille cum illa neque cubat, neque ambulat,
Neque oſculatur, neque illud, quod dici ſolet.
N. Vt iurat? ſeruat me ille ſuis periurijs.
CL. Vbi nunc Mneſilochus ergo? CH. rus miſit pater.
Illa autem in arcem abiuit ædem uiſere
Mineruæ. nunc aperta'ſt. uiſe. eſtne ibi?

CL. Abeo ad forum igitur. CH. uel hercle in malam crucem.
CL. Hodie exigam aurum hoc? CH. exige, ac ſuſpende te,
Ne ſupplicare cenſeas homo nihili.
Ille'ſt amotus, ſine me: per, te here obſecro
Deos immortaleis, ire huc intrò ad filium.
N. Quid eò introibis? CH. ut cum dictis plurimis
Caſtigem: cum hæc facta ſic ad hunc faciat modum.
N. Imò oro Chryſale ut facias, & te obſecro,
Caue parſis in eum dicere. CH. etiam me mones?
Satin' eſt, ſi plura ex me audiet hodie mala,
Quàm audiuit unquam Clinia ex Demetrio?
N. Lippi illic oculi, ſeruos eſt ſimillumus,
Si non eſt, nolis eſſe, neque deſyderes:
Si eſt, abſtinere, quin attingas, non queas.
Nam ni illic hodie forte fortuna hic foret,
Miles Mneſilochum cum uxore opprimeret ſua:
Atque obtruncaret mœchum manifeſtarium.
Nunc quaſi ducentis Philippis emi filium,
Quos dare promiſi militi, quos non dabo
Temere etiam: prius quàm filium conuenero.
Nunquàm ædepol quicquam témere credam Chryſalo.
Verùm lubet etiam hos perlegere denuo.
Aequom'ſt tabellis conſignatis credere.

CHRYSALVS, NICOBOLVS.

C. ATridæ duo fratres dicuntur feciſſe facinus maxumum:
Quom Priami patriã Pergamũ diuina mœnitũ manu,
Armis, equis, exercitu, atq; eximijs bellatoribus
Cum mille numero nauium, decumo anno pòſt ſubegerunt.
Non Pelides tormento fuit. prout ego herum expugnabo meum.
Sine claſſe, ſineq; exercitu, & tanto numero militum.
Cepi: expugnaui amanti herili filio aurum ab ſuo patre.
Nunc prius, huc quàm ſenex uenit, lubet lamentari, dum exeat.
O Troia, ô patria, ô Pergamum, ô Priame, nunc peryſti ſenex.
Qui miſerè male mulctabere quadringentis Philippis aureis.

Nam ego has tabellas obſignatas, conſignatas, quas fero,
Non ſunt tabellæ: ſed equos, quem miſêre Achiui ligneum.
Epeus eſt Piſtoclêrus: ab eo hæc ſumpta. Mneſilochus Sinon eſt
Relictus. ille non in buſto Achilli, ſed lecto accubat:
Bacchidẽ habet ſecum, ille olim ut habuit ignẽ, qui ſignũ daret:
Hunc ipſum exurit. ego ſum Vlyſſes, quoius conſilio hæc gerunt.
Tum quæ ſunt hic ſcriptæ literæ, hoc in equo inſunt milites
Armati, atque animati. probè ita res ſucceßit, meliusq; adhuc.
Atq; hic equos non in arcem, uerùm in arcam faciet impetum.
Excidium, exitium ex latebra fiet hic equos hodie auro ſenis,
Noſtro ſeni huic ſtolido: ei profecto nomen facio ego Ilio,
Miles, Menelaus. ego, Agamemnon, idem Vlyſſes Laërtius.
Mneſilochus, Alexander, qui erit exitium rei patriæ ſuæ.
Is Helenam abduxit, quoius cauſſa nunc facio obſidium Ilio.
Nam illic audiui Vlyſſem, ut ego ſum, fuiſſe et audacẽ & malum.
Dolis ego deprenſus ſum: ille mendicans penè inuentus interijt,
Dum ſibi exquirit fata illorum. adſimiliter mihi hodie obtigit:
Vinctus ſum, ſed dolis me exemi: item ſe ille ſeruauit dolis.
Ilio tria audiui fuiſſe fata, quæ illi exitio forent:
Ex arce ſignum ſi periſſet: alterum etiam eſt mors Troili:
Tertium, quom portæ Scææ limen ſuperum ſcinderetur.
Paria item tria tribus eis ſunt nunc fata noſtra huic Ilio:
Nam dudum Priamo ut dixeram noſtro ſeni mendacium
Et de hoſpite, & de auro, & de lembo, ibi ſignum ex arce iam abſtuli.
Iam duo reſtabant fata, tum nec magis id ceperam oppidum.
Poſt ubi tabellas ad ſenem detuli, ibi occidi Troilum.
Quom cenſuit Mneſilochum cum uxore eſſe dudum militis,
Ibi me inienxit ſolui: atq; id periclũ aßimulo, Vlyſſem ut prædicant
Cognitum ab Helena eſſe, proditum Hecubæ. ſed ut & olim ille ſe ab ea
Blanditijs exemit, & ei perſuaſit, ut ſe amitteret:
Item ego dolis me illo expuli è periculo, & decepi ſenem.
Poſt hæc, cum magnifico milite, qui uerbis ui bes inermis capit,

Conſi=

Conflixi: atque hominem reppuli: dein pugnam conſerui ſeni.
Eum ego adeò mendacio uno deuici, uno ictu éxtemplo
Cepi ſpolia: is ducentos nunc nummos Philippos militi,
Quos dare ſe promiſit, dabit. nunc alteris etiã ducentis uſus eſt,
Qui diſpẽſemur Ilio capto: ut ſit mulſum qui triumphẽt milites.
Sed Priamus hic multo illi præſtat: non quinquagintà modo,
Quadringẽtos filios habet, atq; equidẽ omnis lectos ſine probro:
Eos ego hodie omneis contruncabo duobus ſolis ictibus.
Nunc Priamo noſtro, ſi quis eſt emptor, comitialem ſenem
Vendam ego uenalem quem habeo éxtemplo, ubi oppidum expugnauero. (quar.
Sed Priamum aſtantem eccũ ante portam uideo: adibo, atq; allo
N. Quoia nã uox prope me ſonat? C. ô Nicobole. N. qd fit Chryſale
Quid quod te miſi, ecquid nam egiſti? C. rogas? gradere nunc. N. gradior.
C. Optumus ſum orator, ad lachrumas coegi hominem caſtigãdo.
Maleq; dictis, quæ quidẽ quiui cõminiſci. N. qd ille ait? C. uerbũ
Nullum fecit: lachrumãs tacitus auſcultabat, quæ ego loquebar.
Tacitus conſcripſit tabellas: obſignatas mihi has dedit: tibi me iuſsit dare.
Sed metuo ne idem cantent quod priores. noſce ſignum eius.
N. Noui: lubet pellegere has. C. pellege. nunc ſuperũ limẽ ſcinditur:
Nunc exitium adeſt Ilio, turbat equos lepide ligneus.
N. Chryſale ades, dum has ego pellego. C. quid me tibi adeſſe opus eſt? N. uolo (ror,
Vt quod iubeo, facias: ut ſcias quæ hic ſcripta ſient. C. nihil mo-
Neque ſcire uolo. N. tamen ades. C. quid opus eſt? N. taceas: id quod iubeo,
Facias. C. adero. N. heu literas minutas. C. q quidẽ uideat parũ:
Verùm q ſatis uideat, grandes ſatis ſunt. N. animũ aduortito igi
C. Nolo inquam. N. at uolo inquam. C. quid opus eſt? (tur.
N. at enim id quod te iubeo facias.
C. Iuſtum eſt, tuus tibi ſeruos tuo arbitratu ſeruiat.
N. Hoc ageſis iã nunc. C. ubi lubet, recita: auriũ operam tibi dabo.

Ceræ

N. Ceræ quidẽ haud parſit, neq; ſtilo: ſed quicquid eſt, pellegere'ſt
O pater, ducentos Philippos quæſo Chryſalo (certum.
Da: ſi eſſe ſaluom uis me, aut uitalem tibi.
C. Malum quidem hercle magnum tibi dico. N. quid eſt?
C. Non prius ſalutem ſcripſit? N. nuſquam ſentio.
C. Non dabis, ſi ſapies. uerùm ſi das maxume,
Næ ille alium gerulum quærat, ſi ſapiet, ſibi:
Nam ego non laturus ſum, ſi iubeas maxume:
Sat ſic ſuſpectus ſum, cum careo noxia.
N. Auſculta porrò, dum hoc quod ſcriptu'ſt, pellego.
C. Inde à principio iam impudens epiſtola eſt.
N. Pudet prodire me ad te in conſpectum pater.
Tantum flagitium te ſcire audiui meum,
Quòd cum peregrini cubui uxore militis.
Pol haud derides: nam ducentis aureis
Philippis redemi uitam ex flagitio tuam.
C. Nihil eſt illorum, quin ego illi dixerim.
N. Stultè feciſſe fateor: ſed quæſo pater,
Ne me in ſtultitia, ſi deliqui, deſeras.
Ego animo cupido, atque oculis indomitis fui.
Perſuaſum eſt facere, quoius nunc me facti pudet.
Te prius cauiſſe ergo, quàm pudere æquom fuit.
C. Eadem iſtæc uerba dudum illi dixi omnia.
N. Quæſo, ut ſat habeas id pater, quòd Chryſalus
Obiurgauit me plurimis uerbis malis,
Et me meliorem fecit præceptis ſuis.
Vt ei te habere gratiam, æquom ſit, bonam.
C. Eſt'ne iſtuc iſtic ſcriptum? N. hem ſpecta, tum ſcies.
C. Vt qui deliquit, ſupplex eſt ultrò omnibus.
N. Nunc ſi me fas eſt obſecrare abs te pater,
Da mihi ducentos nummos philippos, te obſecro.
C. Ne unum quidem hercle, ſi ſapis. N. ſine pellegam.
Ego iuſiurandum uerbis conceptis dedi,
Daturum id me hodie mulieri ante ueſperum,

Prius quàm à me abiret. nunc ne periurem pater
Cura, atque abduce me hinc ab hac quantum potes,
Quam propter tantum damni feci, & flagitij.
Caue tibi ducenti nummi diuitiæ ſuam:
Sexcenta tanta reddam, ſi uiuo, tibi.
Vale, atque hæc cura. quid nunc cenſes Chryſale?
C. Nihil ego tibi conſilij hodie quicquam dabo:
Neque ego haud committam, ut ſi quid peccatum ſiet,
Feciſſe dicas de mea ſententia.
Verùm, ut ego opinor, ſi ego in iſtoc ſiem loco,
Dem potius aurum, quàm illum corrumpi ſinam.
Duæ conditiones ſunt, utram tu accipias uide:
Vel ut aurum perdas, uel ut amator periuret.
Ego neque te iubeo, neque ueto, neque ſuadeo.
N. Miſeret me illius. C. tuus eſt, non mirum facis.
Si plus perdundum ſit, periſſe ſuauius eſt,
Quàm illud flagitium uolgo diſpaleſcere.
N. Næ ille ædepol Epheſi multo mauellem foret,
Dum ſaluos eſſet, quàm reueniſſet domum.
Quid ego iſtic, quod perdundu'ſt: properem perdere?
Binos ducentos philippos iam intus efferam.
Et militi quos dudum promiſi miſer,
Et iſtos. mane iſtic, iam exeo ad te Chryſale.
C. Fit uaſta Troia, ſcindunt proceres Pergamum.
Sciui ego iamdudum fore me exitium Pergamo.
Aedepol qui me eſſe dicat cruciatu malo
Dignum, næ ego cum illo pignus haud auſim dare.
Tantas turbellas facio. ſed crepuit foris:
Effertur præda ex Troia: taceam nunc iam.
N. Cape hoc tibi aurum Chryſale. i, fer filio.
Ego ad forum autem hinc ibo, ut ſoluam militem.
C. Non equidem accipiam: proin' tu quæras, qui ferat:
Nolo ego mihi credi. N. caue uerò, odioſe facis.
C. Non equidem capiam. N. at quæſo. C. dico, ut res ſe habet.

N. Morare? C. nolo inquam aurum concredi mihi.
N. Ohè odioſe facis. C. cedò, ſi neceſſe eſt.
N. Cura hoc: ad uos iam ego huc à foro reuenero.
C. Curatu'ſt. te eſſe ſenem omnium miſerrumum.
Hoc eſt incœpta efficere pulchrè, ueluti mihi
Euenit, ut ouans præda onuſtus incederem,
Salute noſtra, atque urbe capta per dolum
Domum reduco integrum omnem exercitum.
Sed ſpectatores, uos nunc ne miremini
Quod non triumpho: peruolgatu'ſt: nihil moror.
Verùm tamen accipiemur mulſo milites.
Nunc hanc prædam omnem ad quæſtorem deferam.

PHILOXENES.

QVàm magis in pectore meo foueo, quas meus filius turbas
Turbet: quã ſe ad uitã, et quos ad mores præcipitẽ inſcitijs
Capeſſat: magis curæ eſt, magisq́; adformido, ne is pereat,
Neu corrumpatur. ſcio, fui ego illa ætate, & feci illa omnia:
Sed more modeſto. neque placitant mores, quibus uideo uolgo
Gnatis eſſe parentes. duxi. habui ſcortum, potaui, dedi,
Donaui: & enim id raro. ego dare me ludum meo gnato
Inſtitui, ut obſequium animo ſumere poßit: æquom puto,
Sed nimium nolo deſidiæ ei dare ludum. nunc Mneſilochum,
Quod mãdaui, uiſo ecquid cũ ad uirtutẽ, aut ad frugẽ opera ſua
Compulerit, ſicut eum conuenit. ſcio feciſſe: eo ingenio'ſt.

ACTVS QVINTVS.

NICOBOLVS, PHILOXENES.

N. QVicũq; ubi ubi ſunt, qui fuêre, quiq́; futuri ſunt poſthac,
Stulti, ſtolidi, fatui, fungi, bardi, buccones, blenni, ego
Longe anteeo ſtultitia, & moribus indoctis. perij: pudet
Hoccine ætatis ludũ his factum eſſe indigne. quã magis id repeto,
Tam magis uror, meus quem filius turbauit. perditus,
Atque etiam eradicatus ſum. omnibus exemplis crucior. omnia
Me mala conſectantur. omnibus exitijs interij. Chryſalus
Me hodie lacerauit. Chryſalus me miſerũ ſpoliauit. is me ſcelus

Auro uſque attondit doctis indoctum dolis, ut lubitu'ſt:
Ita miles memorat meretricē eſſe, quam ille uxorem eſſe aiebat:
Omniaq́; ut quodq; actu'ſt, memorauit: eā ſibi hunc annū totum
Conductā: reliquom auri id factū, quod ego ei ſtultiſſumus homo
Promiſiſſem. hoc hoc eſt, quod peraccęſsit, hoc demu'ſt quod percrucior,
Me hoc ætatis ludificari, imò ædepol ſic ludos factum
Cano capite, atq; alba barba, ſic miſerū me auro eſſe emunctū.
Perij: hoc ſeruō meū nō naucifacere eſſe auſum? atq; ego ſi alibi
Plus perdiderim, minus ægre habeā, minusq́; id mihidāno ducā.
P. Certo hic prope me mihi neſcio qs loqui uiſus eſt. ſed quē uideo?
Hic quidē pater Mneſilochi'ſt. N. euge, ſociū ærūnæ & mei mali
Video. ſalue Philoxene. P. & tu unde agis? N. unde homo miſer, atque infortunatus. P. at
Pol ego ubi ſum, eſſe ibi miſerū hominē decet, atq; infortunatū.
N. Igitur pari fortuna, ætate ut ſumus, utimur. P. ſic eſt. ſed tu,
Quid tibi eſt? N. pol mihi par idē, quod eſt tibi. P. nunquid nam
Hæc ægritudo attinet? N. admodum. P. idem mihi (ad filium morbus in pectore'ſt. N. at mihi
Chryſalus optumus homo perdidit filium: me, atque rem omnem meam. P. quid tibi
Ex filio nam obſecro ægrē'ſt? N. ſcies. is perijt cum tuo,
Atque ambo unà: nam amicas æquè habent. P. quî ſcis? N. uidi. P. hei mihi,
Diſperij. N. quid dubitamus pultare, atq; huc euocare ambas fo(ras?
P. Haud moror. N. heus Bacchis, iube ſis actûtum aperiri:
Niſi mauoltis foreis, & poſtes comminui ſecuribus.

BACCHIS, NICOBOLVS.
BACCHIS, PHILOXENES.

B. QVis ſonitu ac tumultu tanto nominat me, atq; pultat fo(reis?
N. Ego atque hic. B. quid hoc eſt negocij? nam amabo quis has huc oueis
Adegit? N. oueis nos uocant pęſſumæ. B. paſtor harum dormit, cum hæ eunt

Sic

Sic à pecu balitantes. B. & pol nitent, haud ſordidæ
Videntur ambæ. B. at tonſæ hæ quidem ambæ à nobis uſq; ſunt.
N. Vt uidentur deridere nos? P. ſine uſque arbitratu ſuo.
B. Rerin' ter in anno tu has tonſitari? B. pol hodie altera
Iam bis detonſa certo'ſt. B. uetulæ ſunt thymianæ: at bonas
Fuiſſe credo. uidén' limulis ut obſecro intuentur? B. ecaſtor ſine
Omni arbitror malitia eſſe. P. merito hoc nobis fit, qui quidem
Huc uenerimus. B. cogãtur intrò qdẽ. B. haud ſcio qd eo opus ſit,
Quæ nec lactem, nec lanã ullam habent, ſic ſines aſtent: exoluêre
Quam fuêre, omnis fructus iam illis décidit. an non uides
Vt ſolæ liberè craſſentur? quin ætate eas iam
Credo eſſe mutas: ne balant quidem quom à cætero pecu
Abſunt. P. ſtultæ atque malæ uidentur.
B. Reuortamur intrò ſoror. B. ambæ. N. manete: hæ oues uos uolũt
B. Prodigium hoc quidem eſt, humana nos uoce appellant oues.
P. Hæ oues uobis malam rem, magnam quom debent, dabunt.
B. Si quam debes, te condono, tibi habe, nunquam abs te petam.
Sed quid eſt, quapropter nobis uos malum minitamini?
P. Quia noſtros agnos concluſos iſtic eſſe aiunt duos.
N. Et præter eos agnos, meus eſt iſtic clàm mordax canis.
Qui niſi nobis producuntur, iamq; emittuntur foras,
Arietes truces nos erimus, iamq; in uos incurſabimus.
B. Soror, eſt quod te uolo ſecreto. B. eho amabo. N. quò illæ abeũt?
B. Senem illum ego tibi dedo ueteriorem ſoror,
Lepide ut lenitum reddas: ego ad hunc iratum aggrediar.
B. Poſſumus nos hos intrò illicere huc? B. ego penſum meum
Lepide accurabo: quanquam odioſum eſt mortem amplexarier.
B. Facito ut facias. B. taceas, tu tuum facito: ego quod dixi,
Haud mutabo. N. quid illæc illic in conſilio duæ
Secretæ conſultant? P. quid ais tu homo? N. quid me uis? P. pudet
Me dicere quiddam. N. quid eſt quod pudeat? P. ſed amico ho
mini tibi
Quod uolo credere certu'ſt: nihili ſum. N. iſtuc iampridem ſcio.
Sed quid nihili ſis memora. P. tactus ſum uehementer uiſco:

Cor ſtimulo foditur. N. pol tibi multo æquius eſt coxendicem.
Sed quid iſtuc eſt? & ſi iam ego ipſe quid ſiet, propè
Scire puto me. uerùm audire etiam ex te ſtudeo. P. uidén' hanc?
N. Video. P. haud mala'ſt mulier. N. pol uerò iſta mala, & tu nihili
P. Quid multa? ego amo. N. an amas? P. necas. N. tin' homo putide
Amator iſtâc fieri ætate audes? P. qui non? N. quia
Flagitium eſt. P. quid opus uerbis eſt? ego meo filio
Non ſum iratus: neque te tuo eſt æquom eſſe iratum. ſi amant,
Sapienter faciunt. ſequere, hâc eunt. N. eccas tandem, probri
Perlecebræ, & perſuaſtrices: quid nunc, etiam redditis
Nobis & filios, & ſeruom? an ego experior tecum
Vi maiore? P. abin' hinc? non homo tu quidẽ es, qui iſthoc pacto
Tam lepidã illepidè appelles. B. ſenex optume quantum in terra (eſt,
Sine hoc exorare me obſecro abs te, ut iſtuc delictum
Deſiſtas tantopere ire oppugnatum. N. niſi hinc abeas,
Quanquam tu bella es, malum tibi magnũ dabo iam. B. patiar:
Non metuo ne quid doleat, quod ferias. N. ut blandiloqua'ſt?
Hei mihi metuo. B. hic magis tranquillu'ſt. i hâc mecum intro: atque ibi,
Si quid uis, filium concaſtigato. N. abin' à me ſcelus?
B. Sine mea pietas, exorem. N. exores tu me? B. ego quidem
Ab hoc certe exorabo. P. imò ego te oro, ut me intrò abducas.
B. Lepidum te. P. at ſcin' quo pacto me ad te intrò abducas? B. mecum ut ſis.
P. Omnia quæ cupio, commemoras. N. uidi ego hominem nequam,
Verùm te neminem deteriorem. P. ita ſum. B. i hâc mecũ intrò,
Vbi tibi ſit lepidè uictibus, uino, atque unguentis.
Satis iam ſatis uos triſtes. P. conuiuij me nihil pœnitet, ut ſum acceptus.
N. Quadringentis philippis filius me & Chryſalus circumduxerũt:
Quem quidem ego ut non excruciem, alterum tantum auri non mercam. B. quid tandem ſi dimidium
Auri redditur? i hâc mecum intrò: atque ut eis delicta ignoſcas. P. faciet.

Mini-

N. Minime: nolo: nihil moror ſint ſic: malo illos ulciſci ambo.
Etiã tu homo nihili? P. quod di dant boni, caue culpa amiſsis tua.
Dimidium auri datur, accipias: potesq́; & ſcortum accumbas. N. egon'
Vbi filius corrumpatur meus, ibi potem? B. potandum eſt.
N. Age iam id, ut ut eſt: & ſi eſt dedecorum, patiar facere, inducã
Egon': quom hæc cum illo accumbet, inſpectem? (animum.
B. imò equidem ædepol tecum accumbam:
Te amabo, & te amplexabor. N. caput prurit, perij: uix quidem negito.
B. Non tibi uenit in mentem ámabo: ſi dum uiuas, tibi bene facias,
Iam pol id quidem eſſe haud perlonginquom? neque ſi hoc hodie amiſeris,
Pòſt in morte id euenturum eſſe unquam? N. quid ago? P. quid agas, etiam rogas?
N. Lubet, & metuo. B. quid metuis? N. ne obnoxius ſim filio & ſeruo.
B. Mel meum ámabo, iſtæc ſiunt, tuus eſt. unde illum cẽſes ſumere,
Niſi quod tu te illi dederis? hanc ueniam illis te exorem ſine.
N. Vt terebrat? ſatin' ut offirmatum quod mihi erat, id me exorat?
Tua ſum opera, & propter te improbior. B. nuſquam me auelles: ſatin?
Ego iſtuc habeo offirmatum. N. quod dixi ſemel, haud mutabo.
B. It dies, ite intrò accubitum, filij uos expectant intus.
N. Quàm nos quidem actûtum emorimur? B. hic ueſper eſt, uos ſequimini.
P. Ducite nos quocunque lubet, tanquàm uobis addictos quidem.
B. Lepidè ipſi hi ſunt capti, ſuis filijs qui fecêre inſidias.

GREX.

HI ſenes, niſi fuiſſent nihili iam inde ab adoleſcentia,
Non hic tantum flagitij facerent canis capitibus:
Neque adeò hæc faceremus, ni antehac uidiſſemus fieri,
Vt apud lenones, riuales filijs fierent patres.
Spectatores uos ualere uolumus, & clare applaudere.

ANNOTATIONES IN BACCHIDES.

PRimus actus Bacchidum deſideratur cum prologo, cæterum quod nos ſubnexuimus, non eſſe Plautinum, præter id: Nam quod ipſa dictio per ſe ſatis teſtatur, etiam in Romano codice tantum hoc deerat: pauci tamen, mutiliq; uerſus referebant adhuc neſcio quid Plautinum. Quod autem habemus, dedit Laſcaris grammaticus ille græcus, ut teſtatur in epiſtola quadam Plauto præfixa, quod Meſſanæ in Sicilia inuenit. Sunt multi qui à Franciſco Petrarcha effictum putent.
Sciendum autem eſt, primum uerſum qui incipit: Quid ſit hoc potius, à Feſt. citari è Friuolaria poetæ noſtri comœdia perdita.

Pol magis metuo ne Luſciniolæ.) Vide adagium. Luſciniæ nugis inſidentes, &, Luſciniæ deeſt cantio.

Vbi pro diſco.) Habuerunt omnes uiſco, ſed quiuis facile uideat, non ſine mendo. Diſcus autem ludi genus apud ueteres. Iactabant in altum lapidem rotundum, quem diſcum appellabant, qui ad ſtadium cadens uicinitate uictorem proclamabat, ut eſt uidere in Luciano.

Pro ceſtu cantharum.) Caue exponas ceſtum pro Veneris ueſte cum commentatoribus, ſed ceſtus hic cruda illa coria ſignificat, quibus pugiles utebantur, ut eſt apud Maronem lib. 5.

Cœnam hodie dari uolo uiaticam.) Athenæus lib. 11. teſtis eſt Athenienſes, & Lacones uiaticam cœnam, quam ille appellat ὁδοιπορικὸν δεῖπνον, inter lautiſſimas cœnas habuiſſe: comparat autem hanc amatorijs, ſiue ἑταιρίοις, quam amans amanti in diſceſſu dare ſolebat.

Barbaro Potitio.) Simpliciter de quouis deorum ſacerdote hoc intelligendum eſt. Barbaro autem dixit, quod deorum notitiam non haberet. Potitius uero Herculis ſacrificulus eſt.

Phœnix.) Achillis mortem Phœnix nunciauit.

Opus eſt Chryſo.) Chryſos aurum græcis ſonat.

Arietem phryxi.) Id eſt, aureum uellus.

Tondebo aurum uſque ad uiuam cutem.) Vide Chiliades, ad uiuum reſecare.

Euax aſperſiſti aquam.) Vide adagiorum Chiliades, aſpergere aquam.

Pancratice.) Extat in Chiliadibus, ualere pancratice.

Autolico hoſpiti.) Autolicus rex fuit, quem furacitas nobilem fecit. Ouidius in elegijs:

Non fuit Autolici tam piceata manus.

Exornarier.) Aliâs: exnarrarier.

Adſedi in geſta.) Ita Romanus codex habuit, alij ſtega habent, quæ item pars nauis eſt.

Adeon me fuiſſe fungum.) Vide Chiliades. fungus.

Qui ſoccis habeat auro ſuppactum ſolum.) Vide adagiorum Chiliades, Auro habet ſuppactum &c.

Exorſa eſt hæc tela non male.) Vide Chiliades: Exordiri telam, &, ea tela texitur.

Nunc experiar, ſit ne acetum tibi cor acre in pectore.) Vide Chiliades, Acetum habet in pectore.

Ibi curſu luctando.) Plautus de antiqua puerorum inſtitutione loquitur, non Romana, ſed Græca: Romani enim id genus exercitijs non utebantur, annotauit hoc Budæus.

Tam maculoſum, quàm nutricis pallium.) Puto explicatum eſſe in Chiliadibus: nutrices enim pallium lacte ſuo cõſperſum uarijs maculis habent. Quod ſi uero intelligatur de pallio nutricis deorum, hoc eſt, Cybeles, erit aliquanto uenuſtius. Habet enim hæc ueſtem ex lyncum, pantherarumq́; pelle uariam.

Quàm ſi ad ſepulchrum mortuo.) Vide Chiliad. Mortuo uerba facere.

Ramenta fiat grauior.) Vide adagium, ne feſtuca quidem ditior.

Calidum ſenem callidis donis.) In Romano codice pro callidis, calidis ſcriptum erat. Doli autem calidi ſunt, quos θερμοὺς uocant, hoc eſt audaces & aſtutos etiam, melius forte callidis.

Herculem fecit ex patre.) Herculi decimam bonorum conſecrare locupletes quidem ſolent, propterea quòd is dixerit moriturus, eos opulentos futuros, qui ſibi decimam bonorum ſuorum partem cõſecraſſent. hac de re plura fortaſſis alibi.

Et congræcem.) Vide Chiliad. pergræcari.

Putetis cito.) Aliter, & forte melius, petetis ſimul.

Nunc ab tranſenna hic turdus lumbricum petit.) Simil-

limum eſt illi, quod in Curculione dixit, hamum uorat, ducta autem eſt metaphora ab aucupibus. uide Chili. Ab tranſenna cibum petere. Tenus autem hic non eſt præpoſitio, ſed nomen, ſignificatq; laqueum teſte Nonio.

Pulchrè hæc confertur ratis.) Id eſt, res commodè, & ex ſententia ſuccedit: metaphora ducta à uento aſpirante fœliciter nauigantibus.

Bellerophontem iam tuus fecit filius.) Vide Chiliades. Bellerophontis literas.

Atque in eo ipſo ſtas lapide.) Vide adagiorum Chiliades, in eo ipſo &c.

Terræ odium.) Simillimum Homerico ἄχθος ἀρούρης. Terræ onus.

Manufeſte hominem opprimat.) Licebat ſiquidem manufeſto, id eſt, ἐπιαυτοφώρῳ inuentũ adulterum opprimere.

Si tibi'ſt machæra, & ueruina eſt domi.) Vrbina plurimi habent. Eraſmus teli genus eſſe contendit. Placiades Fulgẽtius ueruina legit, uide Chiliades, Si tibi machæra eſt &c.

Confeſsiorem ſoricina nænia.) Alludit planè ad adagium: ſorex ſuo indicio periјt.

Lippi illic oculi ſeruos eſt ſimillumus.) Hanc ſententiam protulit apertius in Perſa.

Atridæ duo fratres.) Hęc ſcena quaſi περιοχα eſt deſtructionis Troiæ.

Turbat equos lepidè ligneus.) δούρειος ſcilicet.

Ego iuſiurandum uerbis conceptis dedi.) Explicat hoc in annotationibus ſuis in pandect. Budæ.

Cano capite atque alba barba.) Romanus codex pro alba, cana ſimiliter habuit.

Thymianæ.) Id eſt, ad nihil utiles niſi ſacruficio, & horco.

Quæ nec lactem, nec lanam.) Libenter cum Romano codice lactent legiſſem niſi ſcirem & ueteres lactis in maſculino genere dixiſſe.

Ego penſum meum lepidè accurabo.) Lege adagiorum Chiliades.

M. ACTII

M. ACTII PLAVTI MOSTELLARIA.

DRAMATIS PERSONAE.

TRANIO, *ſeruos.*	TEVROPIDES, *ſenex.*
GRVNIO, *ſeruos.*	SIMO, *ſenex.*
PHILOLACHES, *adole.*	DANISCVS, *ſeruos.*
PHILEMATIVM, *meretrix*	DANISTA.
SCAPHA, *ancilla.*	ADVORSITOR.
CALLIDATES, *adoleſcens.*	LORARII.
DELPHIVM, *meretrix.*	

ARGVMENTVM.

Manumiſit emptos ſuos amores Philolaches,
Omnemq; abſente rem ſuo abſumit patre.
Senem, ut reuenit, ludificatur TRANIO:
Terrifica monſtra dicit ſentiri in ædibus,
Et inde primum emigratum eſſe. interuenit
Lucripeta fœnus fœnerator poſtulans.
Ludoſq; rurſum fit ſenex: nam mutuum
Acceptum inde dicit ſeruos emptis ædibus.
Requirit quæ ſunt. ait uicini proxumi.
Inſpectat illas. poſt ſe deriſum dolet.
Ab ſui ſodale gnati exoratur tamen.

ALIVD ARGVMENTVM.

Amicam Philocomaſium ut emittat Philolaches manu, patre abſente Teuropide ab Daniſta ſumit nummos fœnore, adſcitoq; Callidamante amorum ſocio, ſcortantur ſimul. Redeunti in patriam Teuropidi, ne domi deprehendat pergræcantem filium, fit obuius ſeruus Tranio, fingit ædes terrificis uexari monſtris, filiumq; propterea emiſſe uicini domum. & ut fictæ fallaciæ fidem faciat: rogat uicinum Simonem Teuropidi cõcedat eius ut inuiſat domum: ad cuius exemplum dicit ſe uelle ædificare gynæcium. aſſentitur Simo. ducitur Teuropides tanquàm emptas in proprias

prias ędes. Aduenit interim Daniſta: petit ſibi ſortem & fœnus dari. hero ſeruus ſimulat pecuniam ſumptam pro ædibus: fidem habet Teuropides confictis dolis donec à Callidamantis ſeruis edoctus agnoſcit ſe deluſum à ſeruo: quem dum ulciſci quæritat, rogatur ſeruo ſuoq; ignoſcat filio, ſenex precibus delinitus utriſq; remittit noxam.

ACTVS PRIMVS.

TRANIO, GRVNIO, *ſerui.*

T. *EXI è culina ſis foras maſtigia,*
qui mihi inter patinas exhibes argutias.
G. *Egredere herilis pernicies ex ædibus.*
T. *Ego? pol te ruri, ſi uiuam, ulciſcar probè.*
G. *Exi inquam nidor è culina, quid lates?*
T. *Quid tibi, malùm, hic ante ædeis clamitas?*
An ruri cenſes te eſſe? abſcede ab ædibus.
Abi rus, abi directè, abſcede ab ianua.
En: hoccine uolebas? G. *perij, cur me uerberas?*
T. *Quia lubet nimis.* G. *patiar: ſine modo adueniat ſenex.*
Sine modo uenire ſaluom, quem abſentem comes.
T. *Nec ueriſimile loquere, nec uerum frutex,*
Comeſſe quenquam ut quiſquam abſentem poßiet.
G. *Tu urbanus uerò ſcurra, deliciæ populi,*
Rus mihi tu obiectas? ſanè credo Tranio
Quòd te in piſtrinum ſcis actûtum tradier.
Cis hercle paucas tempeſtates Tranio
Augebis ruri numerum genus ferratile.
Nunc dum tibi lubet, licetq;, pota, perde rem,
Corrumpe herilem filium adoleſcentem optumum,
Dies noctesq; bibite, pergræcamini,
Amicas emite, liberate, paſcite
Paraſitos, obſonate pollucibiliter.
Hæc ne mandauit tibi cum peregre hinc ijt ſenex?
Hoccine modo hic rem curatam offendet ſuam?

Hocci-

Hoccine boni eſſe officium ſerui exiſtumas,
Vt heri ſui corrumpat abſentis filium?
Nam ego illum corruptum duco, quom his factis ſtudet,
Quo nemo adæque iuuentute ex omni Attica
Antehac eſt habitus parcus, nec magis continens.
Is nunc in aliam partem palmam poſſidet:
Virtute id factum tua & magiſterio tuo.

T. Quid tibi malùm, mea, ut quid ego agam, curatio'ſt?
An ruri quæſo non ſunt quos cures boues?
Lubet potare, amare, ſcorta ducere.
Mei tergi facio hoc, non tui fiducia.

G. Quàm confidenter loquitur fur? T. at te Iupiter
Diq; omnes perdant, oboluiſti allium
Germana illuuies, ruſticus, hircus, hara ſuis,
Canem, capram commiſtam. G. quid tu uis fieri?
Non omnes poſſunt olere unguenta exotica,
Sicut tu oles: neque ſuperior accumbere:
Neque tam ſelectis, quàm tu, uiuere uictibus.
Tu tibi iſtos habeas turtures, piſces, aueis:
Sine me alliato fungi fortunas meas.
Tu fortunatus, ego miſer. T. patiunda ſunt:
Meum bonum me, te tuum maneat malum.
Quaſi inuidere mihi hoc uidêre Grumio,
Quia mihi bene eſt, & tibi male eſt: digniſſimum eſt.
Licet me amare, & te bubulcitarier:
Me uictitare pulchrè, te miſeris modis.

G. O carnificium cribrum quod credo fore,
Ita te forabunt patibulatum per uias
Stimulis, huc ſi reueniat quàmprimum ſenex.

T. Quî ſcis an tibi iſtuc eueniat prius quàm mihi?

G. Quia nunquam merui, tu meruiſti, & nunc meres.

T. Orationis operam compendi facito,
Niſi te mala re magna mactari cupis.

G. Eruom daturin' eſtis bubus quod feram?

Date

Date æs inhoneſtis,agite porrò.pergite
Quo modo occœpiſtis,bibite,pergræcamini,
Eſte,ac ſerite nobis ſaginam,cædite.
T. Tace,atque abi tu rus:ego ire in Pyræum uolo,
In ueſperum parare piſcatum mihi.
Eruom tibi aliquis cras faxo ad uillam afferat.
Quid eſt?quid tu me nunc obtuere furcifer?
G. Pol tibi iſtuc credo nomen actûtum fore,
Dum.intereas. T. ſic ſit iſtuc actûtum ſino.
G. Ita'ſt:ſed unum hoc ſcito, NIMIO CELERIVS
Venire quod moleſtum eſt,quàm id quòd cupide petas.
T. Moleſtus ne ſis:nunc iam i rus,hinc te amoue.
G. Ne tu erres,hercle mihi præter hanc non facies moram.
T. Satin' abijt?neque quod dixi,flocci æſtumat.
G. Proh di immortales obſecro uoſtram fidem,
Facite huc ut redeat noſter quamprimum ſenex
Triennium qui iam hinc abeſt,prius quàm omnia
Perierint,& ædis & ager:qui niſi huc redit,
Paucorum menſium ſunt relictæ reliquiæ.
Nunc rus abibo:nam eccum herilem filium
Video corruptum hic ex adoleſcente optumo.

PHILOLACHES, adoleſcens.

RECordatus multum & diu cogitaui, argumentaq; multa
In pectus inſtitui ego atq; in corde meo,ſi quod eſt mihi
Cor:eam rẽ uolutaui et diu diſputaui:hominẽ quoius rei,
Quãdo natus eſt,ſimilẽ eſſe arbitrarer,ſimulacrumq; habere.iã
Id repperi exemplum:nouarum eſſe ædium arbitror ſimilem
Ego hominem quando hic natus eſt.ei argumenta rei dicam.
Atque hoc uidetur haud ueriſimile uobis:at ego faciam
Id eſſe ita,ut credatis:& profecto ita eſſe,ut prædico,
Vero uincam:atque hoc uoſmetipſi(ſcio)perinde ut nunc ego
Eſſe autumo,quando dicta audietis mea,haud uos aliter id
Dicetis.auſcultate,donec argumenta dixero:
Simul autem gnauos eſſe ad hanc rem mecum uos omnes uolo.

Aedes

Aedes. quō extemplo paratæ, expolitæ, factæ probè, examuſsim,
Laudant fabrum, atque ædes probant: ſibi quiſque inde exemplum expetunt:
Sibi quiſq; ſimile ſumit, ſumptu ſuo operam poſcunt ſuam.
Atq; ubi illò immigrat nequā homo indiligens cū pigra familia,
Immundus, inſtrenuus, hic iam ædibus uitium additur, bonæ
Quom curantur male. atque illud fit ſæpe: tempeſtas uenit,
Confringit tegulas, imbricesq;. ibi dominus indiligens
Reddere alias ne uolt. uenit imber, lauat parietes, perpluunt
Tigna, putrefacitq; operam fabri. nequior iam factus eſt
Vſus ædium, atq; haud fabri culpa: ſed MAGNA PARS moram hanc ſibi (faciunt,
Induxerunt, quod nummo poteſt ſarciri, uſque mantant, neque id
Donicum parietes ruunt, ædificantur ædes totæ denuo.
Hæc argumenta ego ædificijs dixi: nunc etiam uolo
Dicere, ut uos, homines ædium eſſe ſimiles arbitremini.
Primùm dum, parentes, fabri liberûm ſunt, & fundamentum
Liberorū ſubſtruunt: extollunt, parant ſedulo infirmitatem: & ut
In uſum boni, & in ſpeciem populo ſint, ſibiq; & materiem
Reparāt: nec ſumptus ſibi ſumptui eſſe ducunt: expoliunt, docent
Literas, iura & leges: ſumptu ſuo, & labore nituntur:
Vt alij ſibi eſſe illorum ſimiles expetant. ad legionem
Quom itur, adminiculum eis danunt tum iam aliquem cognatum ſuum:
Eatenus abeunt à fabris, unum ubi emeritum eſt ſtipendium.
Igitur tum ſpecimen cernitur, quò eueniat ædificatio.
Nam ego ad id frugi uſque & probus fui: in fabrorum poteſtate dum fui.
Poſteaquā immigraui in ingeniū meū, perdidi operā fabrorum
Illico: oppidoq; uenit ignauia, ea mihi tempeſtas fuit,
Ea mihi aduentu ſuo quàmprimum grandinē, imbremq; attulit,
Hæc uerecundiam mihi & uirtutis modum deturbauit: texit,
Detexit me illico. poſt illa obtexere eam, negligens fui.
Cōtinuo pro imbre amor aduenit. is uſq; in pectus permanauit,
Perma-

Permadefecit cor meũ. nunc ſimul res, fides, fama, decusq; & uirtus
Deſeruerunt. ego ſum in uſu factus nimio nequior:
Atque ædepol ita hæc tigna humida putrent. non uideo mihi
Sarcire poſſe ædeis meas, quin totæ perpetuæ ruant,
Quin cum fundamẽto perierint: nec quiſquã eſſe auxilio queat.
Cor dolet mihi, quom ſcio nunc ut ſum, atq; ut fui olim: quo neq;
Induſtrior de iuuentute erat arte gymnaſtica, diſco, haſtis, pila,
Curſu, armis, equo: uictitabam uolupe parſimonia, & duritia.
Diſciplinæ alijs eram, optumi quiq; expetebant eam ſibi.
Nunc poſtquam nihili ſum: id uero meopte ingenio repperi.

PHILEMATIVN, mulier. SCAPHA, ancilla. PHILOLACHES.

Phile. IAmpridem mecaſtor frigida non laui magis lubenter,
Nec unde me melius mea Scapha rerer ædificatam.
S. EVENTVS rebus in omnibus, uelut in horreo horna meſſis,
Magni fit. PHILE. quid ea meſſis attinet ad meam lauationem?
S. Nihilo plus, quàm lauatio tua ad meſſim. PHILO. ô Venus uenuſta,
Hæc illa eſt tempeſtas mea, mihi quæ modeſtiam omnem
Detexit, tectus qua fui: quam mihi Amor & Cupido
In pectus perpluit meum, neq; iam unquam obtegere poſſum.
Madent iam in corde parietes, periêre hæ oppidò ædes.
Phile. Contempla ámabo mea Scapha, ſatin' hæc me ueſtis deceat:
Volo placere Philolacheti meo ocello, meo patrono.
S. Quin tu te exornas moribus lepidis, quom lepida tute es?
NON VESTEM amatores mulieris amant, ſed ueſtis fartum.
Philo. Ita me di ament, ut lepida Scapha ſapit ſceleſta multum.
Vt lepide omnes res tenet, ſemẽtiasq; amantiũ. PHILE. quî nũc?
S. Quid eſt? PHILE. quin me aſpice & contempla, ut hoc me decet amiculum.
S. Virtute formæ id euenit, te ut deceat quicquid habeas.
Philo. Ergo ob hoc ædepol uerbũ te Scapha donabo ego hodie aliqui:
Neque patiar te gratis hanc laudaſſe, quæ mihi placet.
Phile. Nolo ego te aſſentari mihi. S. nimis quidem tu ſtulta es mulier.

Eho

Ehò mauis uituperari falſò, quàm uerò extolli?

Phile. Equidem pol uel falſò, tamen laudari multo malo,
Quàm uerò culpari. ain' alios meam ſpeciem irridere?
Ego uerum amo, uerum uolo mihi dici: mendacem odi.

S. Ita tu me ames, ita Philolaches tuus te amet, ut uenuſta es.

Philo. Quid ais ſceleſta? quomodo adiuraſti? ita ego iſtam amarem?
Quid, ita hæc me, id cur non additum eſt? infecta dona facio:
Periјt quod iam promiſeram tibi, dona perdidiſti.

S. Equidem pol miror tam catam doctam te, & bene doctam,
Non ſcire, & tam ſtultè facere. PHILE. quin mone quæſo ſi quid erro.

S. Tu ecaſtor erras, quæ illum expectes unum, atq; illi morem
Præcipue ſic geras, atque alios omneis aſperneris.
Matronæ, non meretricum eſt, unum inſeruire amantem.

Philo. Proh Iuppiter, nam quod malum uerſatur meæ domi? ut dij
Deæq; omnes me peſſumis exemplis interficiant,
Niſi ego illam anum interfecero ſiti, faméq;, atque gelu.

Phile. Nolo ego mihi male te Scapha præcipere. S. ſtulta es tu planè,
Quæ illum tibi æternum putas fore amicum, & beneuolentem.
Moneo ego te: te deſeret ille ætate, & ſatietate.

Phile. Non ſpero. S. INSPERATA ACCIDVNT magis ſæpe, quàm quæ ſperes.
Poſtremò ſi dictis nequis perduci, ut uera hæc credas
Mea dicta, ex factis noſce rem. uides quæ ſim, & quæ fui antè?
Nihilo ego, q̃ nunc tu, amata ſum, atq; uni modo geſſi morem:
Qui pol me, ubi ætate hoc caput colorem commutauit,
Reliquit, deſeruitq; me. tibi idem futurum credo.
PHILO. Vix comprimor, quin inuolem illi in oculos ſtimulatrici.

Phile. Solam illi meo ſoli cenſeo eſſe oportere obſequentem,
Solam ille me ſoli ſibi ſuo quom liberauit.

Philo. Proh dij immortales mulierem lepidam & pudico ingenio:
Bene hercle factum, & gaudeo mihi nihili eſſe huius cauſſa.

S. Inſcita ecaſtor tu quidem es. PHILE. quapropter? S. quæ iſtuc cures,

Vt te ille amet. PHILE. cur obſecro non curem? S. libera es iam,
Tu iam, quod quærebas habes. ille te niſi amabit ultrò,
Id pro capite tuo quod dedit, perdiderit tantum argenti.

Philo. Perij hercle: ni ego illam peſſumis exemplis enicaſſo:
Illa hanc corrumpit mulierem male ſuada uolgi lena.

Phile. Nunquam ego illi poſſum gratiam referre, ut meritu'ſt de me
Scapha: id tu mihi ne ſuadeas, ut illum minoris pendam.

S. Et hoc unum facito cogites, ſi illum inſeruibis ſolum,
Dum tibi nunc hæc ætatula eſt, in ſenecta malè quærere.

Philo. In anginam ego nunc me uelim uerti, ut ueneficæ illi
Fauces prehendam, atque enicem ſceleſtam ſtimulatricem.

Phile. Eundem animum oportet nunc mihi eſſe gratum, ut impetraui,
Atque olim, priuſquam id extudi, quom illi ſubblandiebar.

Philo. Dij me faciant quod uolunt, ni ob iſtam orationem
Te liberaſſo denuo, & ni Scapham ego enicaſſo.

S. Si tibi acceptum eſt, illum fore unicum tibi ſempiternum,
Atque illum amatorem tibi proprium futurum in uita,
Soli gerundum cenſeo morem: & capiundos crines,
Vt fama eſt, homini: exinde ſole pecuniam inuenire.

Phile Ego ſi bonam famam mihi ſeruaſſo, ſat ero diues.

Philo. Si quidem hercle uendundum ſit, pater uenibit multo potius,
Quàm te, me uiuo, unquam ſinã egère, aut mẽdicare. S. quid illis
Futurum eſt cæteris qui te amant? PHILE. magis amabũt quom
Gratiam referentem. PHILO. utinam nunc meus (uidebunt
mortuus pater nuntietur,
Vt ego exhæredem meis me bonis faciam, atque hæc ſit hæres.

S. Iam iſta quidem abſumpta res erit, quando dies noctesq; eſtur,
Bibitur: neq; quiſquam parſimoniam adhibet. ſagina planè eſt.

Philo. In te hercle certu'ſt principium, ut ſim parcus, experiri:
Nam neque edes quicquam, neque bibes apud me ijs diebus.

Phile.. Si quid tu in illum bene uoles loqui, id loqui licebit:
Nec rectè ſi illi dixeris, iam ecaſtor uapulabis.

Philo. Aedepol ſummo Ioui ſi uiuo argento ſacruficaſſem,
Pro illius capite, quod dedi, nunquam æque id bene collocaſſem:

Vt hi-

Vt uideas eam medullitus me amare. oh probus homo ſum,
Qui pro me cauſſam diceret, patronum liberaui.
S. Video te nihilipendere omneis homines præ Philolache.
Nunc ne eius cauſſa uapulem, tibi potius aſſentabor.
Is acceptus ſat habes tibi fore illum amicum ſempiternum.
Phi- Cedò mihi ſpeculũ, et cum ornamentis arculã actûtum Scapha,
le. Ornata ut ſim. quom ueniat huc Philolaches mea uoluptas.
S. Mulier quo ſe, ſuamq; ætatem ſpernit, ſpeculo cluſa eſt.
Quid opus ſpeculo tibi, quæ tute ſpeculo ſpeculum es maxumum?
Phi- Ob iſtuc uerbum, ne nequicquam tam lepide dixeris,
lo. Dabo aliquid hodie. S. pertuli tibi Philematium mea.
Phile Suo quiq; loco uide an capillus compoſitu'ſt commode.
S. Vbi tu commodes, capillum commodum eſſe credito.
Phi- Vah quid illa poteſt peius quicquam muliere membrarier?
lo. Nunc aſſentatrix ſceleſta eſt, dudum aduerſatrix erat.
Phi- Cedò ceruſam. S. quid ceruſa opus eſt? PHILE. nam qui malas
le. oblinam.
S. VNA OPERA ebur atramento candefacere poſtules.
Philo Lepide dictum de atramento atque ebore: euge plaudo Scaphæ.
Phi- Tum tu igitur cedò purpuriſſum. S. non do. ſcita es tu quidem,
le. Noua pictura, interpolare uis opus lepidiſſimum:
Non iſtanc ætatem oportet pigmentum ullum attingere,
Neque ceruſam, neque melinum, neque aliam ullam offuciam.
Cape igitur ſpeculũ. PHILO hei mihi miſero ſauiũ ſpeculo dedit.
Nimis uelim lapidem, quî ego illi ſpeculo imminuam caput.
S. Linteum cape, tuq; exterge tibi manus. PHILE. quid ita obſecro?
S. Vt ſpeculum tenuiſti, metuo ne oleant argentum manus,
Ne uſquam argentum te accepiſſe ſuſpicetur Philolaches.
Phi- Non uideor uidiſſe lenam callidiorem ullam alteram:
lo. Vt lepide atq; aſtute in mentem uenit de ſpeculo? PHILE. mane,
Etiámne unguentis unguendam cenſes? S. minime feceris.
Phi- Quapropter? S. quia ecaſtor mulier recte olet, ubi nihil olet.
le. Nam iſtæc ueteres quæ ſe unguentis unctitant interpoles,
Vetulæ, edentulæ, quæ uitia corporis fuco occultant.

Vbi ſeſe ſudor cum unguentis conſociauit,illico
Itidem olent,quaſi cum unà multa iura confundit coquos:
Quid oleas neſcias,niſi id unum male olere intelligas.
Phi- Vt perdoctè cuncta callet,nihil hac docta doctius.
lo. Verùm illic eſſe maxima pars uoſtrorum intelligit,
Quibus anus domi ſunt uxores,quæ uos dote meruerunt.
Phile Agedum contempla aurũ & pallam:ſatin' hæc decent Scapha?
S. Non me curare iſtuc oportet. PHILE. quem obſecro igitur? S. elo-
Philolaches ne qd emat,niſi quod tibi placere cenſeat. (quar.
NAM AMATOR,meretricis mores ſibi emit auro & purpura.
Quid opus eſt,quod ſuum eſſe nolit,ei ultrò oſtentarier?
Purpura,ætas occultanda eſt:aurum,turpi mulieri.
Pulchra mulier nuda erit,quàm purpurata,pulchrior:
POSTEA nequicquam exornata eſt bene,ſi morata eſt male.
Pulchrum ornatum turpes mores peius cœno collinunt.
Nam næ ſi pulchra eſt,nimis ornata eſt. PHILO. nimis diu
Abſtineo manum:quid hic uos tam diu agitis? PHILE.ego tibi
Me exorno ut placeam. PHILO.at mihi quidẽ ſic ornata es ſatis.
Abi tu intrò,atque ornamenta hæc aufer. ſed uoluptas mea,
Mea Philematium potare tecum collubitum eſt mihi.
Phi- Lubet & ædepol mihi tecum:nam quod tibi,idem mihi lubet,
le. Mea uoluptas. PHILO.iam iſtuc uerbum uile'ſt uiginti minis.
Cedò ámabo decumbe. emptum tibi dare hoc uerbum uolo.
Etiam nunc decem minæ apud te ſunt.uel rationem puta,
Triginta minas pro capite tuo dedi. PHILE. cur exprobras?
Phi- Egóne id exprobrem,qui mihimet cupio id opprobrarier?
lo. Nec quicquam argenti locaui tamdiu uſquam æque bene.
Phi- Certe ego,quòd te amo, operam nuſquam melius potui ponere.
le. Philo. Bene igitur ratio accepti, atq; expẽſi inter nos conuenit:
Tu me amas,ego te amo,merito id fieri uterq; exiſtumat:
Hæc qui gaudet,gaudeát perpetuo ſuo ſemper bono. PHILE.agè
Accumbe igitur. cedò aquã manibus puer,appone hic mẽſulam.
Qui inuident,ne unquam eorum quiſquam inuideat prorſus com
modis.

Vide

S. Vide tu an ibi ſint unguenta. PHILO. quid opus eſt? cum ſtacte accubo.

Sed éſtne hic meus ſodalis, qui huc incedit cum amica ſua?
Is eſt Callidates, cum amica eccum incedit. euge oculus meus:
Conueniunt maniplares, eccos prædam participes petunt.

CALLIDATES, SCAPHA, DELPHIVM. PHILOLACHES, PHILEMATIVM.

C. Aduorſum mihi uenire ad Philolachem uolo tempori.
S. Audi: en tibi impetratū eſt. C. nā illi ubi ſunt, effugi foras:
Ita me ibi male cōuiuij, ſermoniſq; pertæſum.
Nunc comeſſatum ibo ad Philolacheten, ubi nos hilari
Ingenio & lepido accipiet. ecquid tibi uideor mammam
Adire? D. ſemper hoc modo moratis debebas
Vti. C. uisne ego te, ac tu me amplectare? D. ſi tibi eſt cordi,
Facere licet. C. lepida es, duce me ámabo. D. caue ne cadas,
Aſta. C. oh oh ocellus es meus: tuus ſum alumnus, mel meum.
D. Caue modo ne prius in uia accumbas, quàm illic, ubi
Lectus eſt ſtratus, quò imus. C. ſine ſine cadere me. ſines
Et hoc quod mihi in manu eſt? D. ſi cades, non cades quin cadam tecum.
Iacenteis tollet nos poſtea ambos aliquis. S. madet homo.
C. Tún' mea uis mammam adire? D. cedo manum: nolo equidem te
Affligi. C. en tene. age ſimul quò ego eam an ſcis? D. ſcio. C. in mentem uenit.
D. Modo. C. nempe domum eo comeſſatum. D. imò iſtuc quidē memini.
Philo. Nū nō uis me obuiā hiſce ire anime mi? PHILE. illico ex omnibus
Optume uolo. PHILO. iam reuortar. PHILE. diu eſt iam id mihi.
C. ecquis hic eſt? Philolaches adeſt.
En Philolaches: ſalue amiciſſume mihi hominum omnium. PHILE. dij te ament,
Accuba Callidates. unde agis te? C. unde homo ebrius. PHILE. probè.
Quin ámabo accubas Delphium mea? C. da illi quod bibat,
Dormiam ego iam. D. num mirū hic, aut nouom quippiam facit?

Philo. Quid ego hoc faciam poſtea mea? PHILE. ſic ſine eum quieſcere
Age tu, interim da Delphio cito cantharum Erotium.

ACTVS SECVNDVS.

TRANIO, PHILOLACHES, CALLIDATES, DELPHIVM, PHILEMATIVM.

T. IVpiter ſupremus ſummis opibus atque induſtrijs
Me periſſe, & Philolacheten cupit herilem filium.
Occidit ſpes noſtra: nuſquam ſtabulum eſt confidentiæ.
Nec ſalus nobis ſaluti iam eſſe, ſi cupiat, poteſt:
Ita altum erroris montem maxumum ad portum modo
Conſpicatus ſum. herus aduenit peregre: perijt Tranio.
Ecquis homo eſt, qui facere argenti cupiat aliquantum lucri,
Qui hodie ſeſe excruciari meam uicem poßit pati?
Vbi ſunt iſti plagipatidæ ferritribaces uiri?
Vel iſti qui trium nummorum cauſſa ſubeunt ſub haſta?
Vbi qui Dindymeneis haſtis corpus transfigi ſolent?
Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excurrerit:
Sed ea lege ut offigantur bis pedes, uel brachia.
Vbi id erit factum, à me argentum petito præſentarium.
Sed ego ſum næ infelix, qui non curro curriculo domum.
Philo Adeſt obſonium, eccum Tranio à portu uenit.
T. Philolaches. PHILO. quid eſt? T. ego & tu. PHILO. quid? T. & ego & tu perijmus.
Philo. Quid ita? T. pater adeſt. PHILO. quid ego ex te audio? T. abſumpti ſumus:
Pater inquam uenit tuus. PHILO. ubi eſt is obſecro? T. hic adeſt.
Philo. Quis id ait? quis uidit? T. egomet inquam uidi. PHILO. uæ mihi:
Quid ego agã nũc? T. nunquid tu, malùm, me rogitas quid agas?
Accumbas. PHILO. tu en uidiſti? T. egomet inquam. PHILO. certe inquam óccidi,
Si tu uera memoras. T. quid mihi ſit boni, ſi mentiar?
Philo. Quid ego nunc faciam? T. iube hæc hinc omnia amolirier.
Quis iſtic dormit? PHILO. Callidates. T. ſuſcita iſtum, Delphiũ.
D. Callidates, Callidates uigila. C. uigilo: cedò ut bibam.

D. Vigila, pater aduenit peregre Philolachis. C. ualeat pater.
philo Valet ille quidem, atque ego diſperij. C. diſperiſti? qui poteſt?
Phi- Quæſo exurge, pater aduenit. C. tuus uenit pater?
lo. Iube abire rurſum: quidnã illi reditio etiam huc fuit? (ebriũ,
Phi- Quid ego agam? pater iam hic me offendet miſerum adueniens
lo. Aedeis plenas conuiuarum & mulierum. miſerum eſt opus,
Sicut ego aduentu patris, nunc quæro quid faciam miſer.
T. Ecce autem hic depoſuit caput, et dormit. ſuſcita.
Phi- Etiam uigilas? pater inquã aderit iam hic meus. C. ain' tu? pater
lo. Cedò ſoleas mihi, ut arma capiam: ego pol iam occîdam patrẽ.
philo Perdis rẽ, tace amabo. abripite hũc intrò actutum inter manus.
C. Iam hercle ego uos pro matula habebo, niſi matulam datis.
philo Perij. T. habe bonũ animum, ego iſtũ lepide medicabor metum.
philo Nullus ſum. T. taceas: quin ego iſta hæc ſedens medicabor tibi.
Satin' habes, ſi ego ita aduenientem patrem faciam tuum,
Non modo ne intro eat, uerùm etiam ut fugiat longe ab ædibus?
Vos modo hinc abite intrò, atque hæc hinc propere amolimini.
philo Vbi ego ero? T. ubi maxume eſſe uis, cum hac: tu, cum iſtac eris.
D. Quid eſt igitur? abeamus hinc nos. C. non hoc. non Delphium
Metuas potare haud tantillo hac quidem cauſſa minus.
philo Hei mihi, commiſta hæc blãda dicta quò eueniant, madeo metu.
T. Potin' animo ut ſis quieto, et facias quod iubeo? PHILO. poteſt.
T. Omnium primum Philematium intrò abi, & tu Delphium.
Phi- Morigeræ tibi erimus ambæ. T. ita ille faxit Iupiter.
lo. Animum aduorte nunc tu iam, quæ uolo accurarier.
Omnium primùm dum ædes iam fac occluſæ ſient: intus
Caue mutire quenquam ſiueris. PHILO. curabitur.
T. Tanquam ſi intus natus nemo in ædibus habitet. PHILO. licet.
T. Neu quiſquam reſponſet, quando haſce ædeis pultabit ſenex.
Phi- Nunquid aliud? T. clauim mihi harunce ædium nunc iam
lo. Iube efferri intus: haſce ego ædeis occludam hinc foris.
philo In tuam cuſtodiam me & meas ſpes trado Tranio.
T. Pluma haud intereſt patronus, an cliens fuat
Homini, quoi nulla in pectore eſt audacia.

Nam quoius homini, uel optumo uel peſſumo,
Quamuis deſubito facile eſt facere nequiter.
Clauim cedò, atque abi intrò, atque occlude oſtium.
Verùm id uidendu'ſt, id uiri docti eſt opus,
Quæ deſignata ſint, & facta nequitia,
Ne quid patiamur, quamobrem pigeat uiuere.
Tranquille cuncta, & ut proueniant ſine malo,
Sicut ego efficiam, quæ facta hic turbabimus:
Profecto ut liqueant omnia & tranquilla ſint,
Neque quicquam nobis pariant ex eo incommodi.
Sed quid tu egrederis? at ſpero iam iam optume
Præceptis paruiſti. PHILO. iuſsit maxumo
Opere orare, patrem aliquo ut absterreres modo,
Ne introiret ad ſe. T. quin etiam hoc illi dicito,
Facturum me, ut ne etiam aſpicere ædeis audeat,
Capite obuoluto ut fugiat ſummo cum metu.
Clauim cedò, atque abi hinc intrò, atque occlude oſtium,
Et ego hinc occludam. iube uenire nunc iam:
Ludos ego hodie uiuo præſenti huic ſeni
Faciam, quod credo mortuo nunquam fore.
Concedam à foribus huc: hinc ſpeculabor procul,
Vnde aduenienti ſarcinam imponam ſeni.

TEVROPIDES, ſenex. TRANIO, ſeruos.

TE. HAbeo Neptune gratiam magnam tibi,
Quom me amiſiſti uix à te uiuom modo.
Verùm ſi poſthac me pedem latum modo
Scies impoſuiſſe in undam, haud cauſſa'ſt illico,
Quod nunc uoluiſti facere, quin facias mihi.
Apage, apage te à me: nunc iam ego poſt hunc diem
Quod crediturus tibi fui, omne credidi.
TR. Aedepol Neptune peccauiſti largiter,
Qui occaſionem hanc amiſiſti tam bonam.
TE. Triennio pòſt Aegypto aduenio domum:
Credo expectatus ueniam familiaribus,

TR. Nimio pol ille potuit expectatior
Venire, qui te nuntiaret mortuum.
TE. Sed quid hoc? occluſa ianua eſt interdius.
Pultabo. heus ecquis iſtas hic aperit fores?
TR. Quis homo eſt, qui noſtras ædeis acceßit prope?
TE. Meus ſeruos hic quidem eſt Tranio? TR. ô Teuropides
Here ſalue, ſaluom te aduenisse gaudeo.
Vſque inualuiſti? TE. uſque, ut uides. TR. factum optume.
TE. Quid uos, inſanine eſtis? TR. quî dum? TE. ſic quia
Foris ambulatis: natus nemo in ædibus
Seruat, neque qui recludat, neque qui reſpondeat.
Pultando pedibus penè confregi haſce ambas.
TR. Ehò, an tu tetigiſti has ædeis? TE. cur non tangerem?
Quin pultando inquam penè confregi fores.
TR. Tetigiſtin'? TE. tetigi inquã, & pultaui. TR. uah. TE. quid eſt?
TR. Male hercle factum. TE. quid eſt negotij? TR. non poteſt
Dici quàm indignum facinus feciſti & malum.
TE. Quid iam? TR. fuge obſecro atque abſcede ab ædibus.
Fuge huc, fuge ad me propius: tetigiſtin' foreis?
TE. Quomodo pultare potui, ſi non tangerem?
TR. Occidiſti hercle. TE. quem mortalem? TR. omnes tuos.
TE. Dij te deæq; omnes perduaxint cum iſto omine.
TR. Metuo, te atque iſtos expiare ut poßies.
TE. Quamobrem? aut quam ſubito rem mihi apportas nouam?
TR. Et heus iube illos illinc ámabo abſcedere.
TE. Abſcedite. TR. ædes ne attingite, quin tangite
Vos quoque terram. TE. obſecro hercle, quin eloquere iam.
TR. Quia ſeptem menſes ſunt cum in haſce ædes pedem
Nemo intrò tetulit, ſemel ut emigrauimus.
TE. Eloquere, quid ita? TR. circumſpice dum, nunquis eſt
Sermonem noſtrum qui aucupet? TE. tutum probè.
TR. Circumſpice etiam. TE. nemo eſt, eloquere nunc iam.
TR. Capitalis ædis facta eſt. TE. quid eſt? non intellego.
TR. Scelus inquam factu'ſt iamdiu antiquom, & uetus:

Antiquom id adeò, nos nunc factum inuenimus.
TE. Quid iſtuc eſt ſceleſte? aut quis id fecit? cedò.
TR. Hoſpes necauit hoſpitem captum manu:
Iſte, ut ego opinor, qui has tibi ædeis uendidit.
TE. Necauit? TR. aurumq́; ipſi ademit hoſpiti,
Eumq́; hic defodit hoſpitem ibidem in ædibus.
TE. Quapropter id uos factum ſuſpicamini?
TR. Ego dicam, auſculta. ut foris cœnauerat
Tuus gnatus, poſtquam redit à cœna domum,
Abimus omnes cubitum: condormiuimus.
Lucernam forte oblitus fueram extinguere:
Atque ille exclamat derepente maxumum.
TE. Quis homo? an gnatus meus? TR. ſic. tace, auſculta modo.
Ait ueniſſe illum in ſomnis ad ſe mortuum.
TE. Nempe ergo in ſomnis? TR. ita. ſed auſculta modo.
Ait illum hoc pacto ſibi dixiſſe mortuum.
TE. In ſomnis? TR. mirum quin uigilanti diceret,
Qui abhinc ſexaginta annis occiſus foret.
Interdum inepte ſtultus es. TE. taceo. TR. ecce quæ ait.
Ego tranſmarinus hoſpes ſum Diapontius:
Hic habito, hæc mihi dedita eſt habitatio.
Nam me in Acherontem recipere Orcus noluit:
Quia præmature uita careo. per fidem
Deceptus ſum. hoſpes hic me necauit, iſq́; me
Defodit inſepultum clàm ibidem in hiſce ædibus
Sceleſtus auri cauſſa. nunc tu hinc emigra:
Sceleſtæ hæ ſunt ædes, impia eſt habitatio.
Quæ hic monſtra fiunt, anno uix poſſum eloqui.
Secede. TE. quid obſecro factu'ſt? TR. concrepuit foris,
Hic me percuſsit. TE. guttam haud habeo ſanguinis,
Viuom me accerſunt ad Acherontem mortui.
Perij: hiſce hodie hanc confabulabunt fabulam:
Nimis quàm formido ne manufeſto hic me opprimant:
TR. Quid tute tecum loquere? abſcede ab ianua.

Fuge

Fuge obſecro hercle. TE. quò fugiam? etiam tu fuge.

TR. Nihil ego formido: pax mihi eſt cum mortuis.

TE. Heus Tranio. TR. non me appellabis, ſi ſapis:
Nihil ego commerui, neque has percußi foreis.

TE. Quæſo quid ægre eſt? qui te agitat Tranio?
Quid cum iſtæc loquere? TR. an quæſo tu appellaueras?
Ita me di amabunt, mortuum illum credidi
Expoſtulare, quia percußiſſes foreis.
Sed tu etiámne aſtas, nec quod dico obtemperas?

TE. Quid faciam? TR. caue reſpexis: fuge atque operi caput.

TE. Cur non fugis tu? TR. pax mihi eſt cum mortuis.

TE. Scio: modo igitur cur tantopere extimueras?

TR. Nihil me curaßis inquam, ego mihi prouidero.
Tu ut occœpiſti, tantum quantum quis, fuge.
Atque Herculem inuocabis. TE. Hercules te inuoco.

TR. Et ego hodie ut det ſenex magnum malum.
Proh di immortales, obſecro uoſtram fidem,
Quid ego hodie negotij confeci, malum?

ACTVS TERTIVS.

DANISTA, TRANIO, TEVROPIDES.

D. SCeleſtiorem ego annum locando argento fœnori
Nunquam ullum uidi, quàm hic mihi annus obtigit.
A mane ad noctem totum uſque in foro ago diem,
Locare argenti nemini nummum queo.

TR. Nunc pol ego peri planè in perpetuum modum.
Daniſta adeſt, qui dedit quî amica eſt empta quoque.
Manifeſta res eſt, niſi quid occurro prius:
Ne hoc ſenex reſciſcat, ibo huic obuiam.
Sed quid nam hic ſeſe tam cito recipit domum?
Vt metuo ne de hac re quippiam inaudiuerit.
Accedam atque appellabo. at quàm timeo miſer.
NIHIL EST miſerius, quàm animus hominis conſcius,
Sicut me nunc habet. uerùm utut res hæc ſeſe habet,
Pergam turbare porrò: ita hæc res poſtulat.

Vnde

Is tibi & fœnus & ſortem dabit,
Ne inconciliate quid nos porrò poſtules.
Vide num moratur? D. quin feram ſi quid datur.
TR. Daniſta etiam rèſpicis? D. mihi moleſtus ne ſis.
TR. Vide ut faſtidit ſimia. D. mihi ſum, ſic ſum:
Libet eſſe, quid id tu curas? manes tune illico
Impure paraſite? TR. quin paraſitus ſum.
D. Ego enim dicam, cibo perduci potes quouis.
TR. Ferocem facis, quia te æratus amat. D. num oculi dolent?
TR. Cur? D. quia fumus moleſtus eſt. TR. tace ſis faber,
Qui cudere ſoles plumbeos nummos. D. non potes
Tu cogere me, ut tibi male dicam. TR. noui te:
Is me ſuam quidem pol optat culcitrulam.
D. Si ſobrius ſis, male non dicas. TR. tibi obtemperem,
Quom tu mihi nequeas? D. at tu mecum peſſume.
TR. Aduorſus quæſo hercle abſtine iam ſermonem de rebus iſtis.
TE. Quid ais tu? TR. quid uis. TE. quis illic eſt? quid illic petit?
Quid Philolacheten gnatum compellat ferox?
Sic & præſenti tibi facit conuicium?
Quid illi debetur? TR. obſecro hercle te, iube
Obtrudi argentum ob os impurum belluæ.
TE. Iubeam? TR. iube homini argento os uerberarier.
D. Perfacile ego ictus perpetior argenteos.
TE. Quod illud argentum eſt? TR. huic debet Philolaches
Paulum. TE. quantillum? TR. quaſi quadraginta minas:
Ne ſanè id multum cenſeas. TE. paululum id quidem eſt?
TR. Audin' uidetur obſecro hercle idoneus
Daniſta qui ſit, genus quod improbiſſumum eſt.
TE. Non ego iſtuc curo, qui ſit: unde ſit, id uolo
Mihi dici, atque id me primùm ſcire expeto.
Ab eo etiam argenti fœnus creditum audio.
TE. Quatuor quadraginta illi debentur minæ,
Dic te daturum, ut abeat. TE. egón' dicam dare?
TR. Dic. TE. egóne? TR. tu ipſus dic, modo auſculta mihi,

Pro-

Promitte:age inquam,ego iubeo. TE. reſponde mihi,
Quid eo eſt argento factum? TR. ſaluom eſt. TE. ſoluite
Voſmet igitur,ſi ſaluom eſt. TR. ædes filius
Tuus emit. TE. ædeis? TR. ædeis. TE. euge,Philolaches
Patrizat,& iam homo in mercatum auortitur.
Ain' tu ædeis? TR. aio inquam. TE. ſed quoiuſmodi?
TR. Quî ſcire poſſum? TE. uah. TR. quid eſt? TE. ne me roga.
TR. Nam quid ita ſpecula clamas clamorem merum?
TE. Bene hercle factum. quid,eas quanti deſtinat?
TR. Talentis magnis totidem,quot ego & tu ſumus.
Sed arraboni has dedit quadraginta minas.
Hinc ſumpſit illi quas dedimus. ſatin' intellegis?
Nam poſtquam hic ædeis uiderat,ut dixi tibi,
Continuo eſt alias ædeis mercatus ſibi.
TE. Bene hercle factum. D. heus iam appetit meridies.
TR. Abſolue hunc quæſo uomitum,ne hic nos enicet.
Quatuor quadraginta illi debentur minæ,
Et ſors,& fœnus.tantum eſt. D. nihilo plus peto.
TR. Velim quidem hercle ut uno nummo plus petas.
TE. Adoleſcens mecum habe rem. TR. nempe abs te petet.
Petito ab eo cras. D. ſat habeo,ſi cras fero.
TR. Malum quod iſti dij deæq; omnes duint:
Ita mea conſilia perturbat planiſſume.
NVLLVM AEDEPOL hodie genus eſt hominum tetrius,
Nec minus bono cum iure,quàm Daniſticum.
TE. Qua in iſta regione iſtas ædeis emit filius?
TR. Ecce autem perij. TE. dicisne hoc quod te rogo?
TR. Dicam:ſed nomen domini quæro quod ſiet.
TE. Age comminiſcere ergo. TR quid agam nunc iam,
Niſi in uicinum hunc proxumum mendacium?
Eas emiſſe ædeis dicam huius filium.
Callidum hercle audiui eſſe optumum mendacium.
Quicquid dij dicunt,id decretum eſt dicere.
TE. Quid igitur iam commentus? TR. dij iſtum perduint,

Imò

Imò iſtunc potius. de uicino hoc proxumo
Tuus emit ædeis filius. TE. bona fide?

TR. Si quidem es argentum redditurus, tum bona:
Si redditurus non es, non emit bona.

TE. Non in loco emit perbono. TR. imò peroptumo.

TE. Cupio hercle inſpicere has ædeis. pulta dum fores,
Atque euocato aliquem intus ad te Tranio.

TR. Ecce autem nunc iterum quid dicam neſcio.
Iterum iam ad unum ſaxum me fluctus efferunt.
Quid nunc? non hercle. quid nunc faciam? ecce
Manifeſto teneor. TE. euoca dum aliquem foras:
Roga circunducat. TR. heus tu. at hic ſunt mulieres:
Videndum eſt primùm, utrum hæ uelimne, an non uelint.

TE. Bonum tu, æquomq; oras: percontare, & roga.
Ego hic tantiſper dum exis, te opperiar foris.

TR. Dij te deæq; omnes funditus perdant ſenex,
Ita mea conſilia undiq; oppugnas mala.
Faciam, & pultabo foreis.
Heus, ecquis hic eſt, maxumam qui iniuriam
Foribus defendat? ecquis huc exit, atque aperit?
Nemo hinc quidem foras exit, ut eſſe addecet:
Nequam homines ita ſunt. ſed eo magis cauto eſt opus,
Ne quiſquam huc exeat, qui me multet male.
Euge. optume eccum dominus ædium foras
Simo progreditur ipſus. huc conceſſero.
Dum mi ſenatum conſilij in cor conuoco.
Igitur tum accedam huc, quando quid agam inuenero.

SIMO, ſenex. TRANIO, ſeruos.

S. MElius hoc anno non mihi fuit domi,
Nec qui eſca una ſibi me demeruerit magis:
Vxor nam prandium mihi perbonum dedit.
Nunc illa dormitum iubet me ire. minime:
NON BONVS eſt ſomnus homini de prandio. apage,
Ex ædibus me clanculum edidi foras.

Tota

Tota mihi turget uxor nunc domi ſcio.

TR. Parata res mala eſt in ueſperum huic ſeni,
Nam & cœnandum, & cubandum, ſi intrabit, male.

S. Quom magis ac magis ego cogito cum meo animo,
Si quis domi dotatam uxorem habet male,
Neminem ſollicitat ire dormitum ſopor.
Odioſa hæc. exequi certa res eſt, ut abeam
Potius hinc ad forum, quàm nunc domi cubem.
Atque ego pol neſcio, ut moribus uoſtræ ſient:
Hæc ſcio quàm me habeat male, peius poſthac fore, q̃ fuit mihi.

TR. Abitus tuus tibi ſenex fecerit male:
Nihil erit, quod deorum nullum accuſites:
Te ipſum iure optumo merito incuſes licet,
Sed tempus hunc eſt me ſenem nunc alloqui.
Hoc habeo: repperi ſenem qui ducerem,
Quoq; dolo à me procul dolorem pellerem.
Accedam. di omnes plurimum te ament Simo.

S. Saluos ſis Tranio. TR. ut uales? S. ego? non male.
Quid agis? TR. hominem optumum teneo. S. amicè facis,
Quom me laudas. TR. decet certe. S. hercle ego haud bonum
Te teneo ſeruom. TR. quî dum? S. eia maſtigia,
Numquid ad merendam iſtic ero? quid nunc? quàm mox?

TR. Quid eſt? S. quid hic ſolet fieri? TR. quid id eſt? S. loquar.
Sic decet, abſente ut hero, filio morem geras?
Vita quàm ſit breuis ſimul cogitas? TR. hem tandem quidem
Percepi ſuper his rebus noſtris te loqui.

S. Muſice hercle agitis ætatem. itaque uti uos decet,
Vino, & uictu, piſcatuq; probo electili
Vitam colitis. TR. imò ſic uita antehac erat.
Nunc nobis iſtæc exciderunt omnia.

S. Quî dum? TR. quia oppidò occidimus omnes Simo.

S. Non tu taces? proſpere uobis cuncta uſque adhuc
Proceſſerunt. TR. ita ut dicis, facta haud nego.
Profecto nos probe, ut uoluimus, uiximus.

Sed ita Simo nunc uentus nauem deſeruit.

S. Quid eſt? quo peſſume modo? quæ ne ſubducta erat
Tuto in terram? TR. hei. S. quid eſt? TR. hei me miſerũ occidi.

S. Qui? TR. quia uenit nauis, noſtræ quæ frangat ratem.

S. Velim ut tu uelles Tranio. ſed quid negotij eſt?

TR. Eloquar. herus peregre uenit. S. tuiſne herus?

TR. Cor tenditur, inde ferit iterum. poſt hem obſecro
Ne indicium hero facias meo. S. è me, ne quidem
Metuas, nihil ſciet. TR. patrone ſalue. S. nihil
Moror mihi clientis iſtiuſmodi.

TR. Nunc hoc, quod ad te noſter me miſit ſenex.

S. Hoc mihi reſponde primum, quod ego te rogo.
Iam de iſtis rebus uoſter quid ſenſit ſenex?

TR. Nihil quicquam. S. numquid increpitauit filium?

TR. Tam liquidum eſt, quàm liquida eſſe tempeſtas ſolet.
Nunc hodie te orare iuſsit opere maxumo,
Vt ſibi liceret inſpicere haſce ædeis tuas.

S. Non ſunt uenales. TR. ſcio equidem iſtuc. ſed ſenex
Gynæceum ædificare uolt hic in ſuis,
Et balneas, & ambulacrum, & porticum.

S. Quid is conſomniauit? TR. ego dicam tibi.
Dare uolt uxorem filio quantum poteſt:
Ad eam rem facere uolt nouom gynæceum.
Nam ſibi laudaſſe ædeis ait architectorem
Neſcio quem, eſſe ædificatas has ſanè bene.
Nunc hinc exemplum capere uolt, niſi tu ne uis.

S. Næ ille malo quidem ab opere ſibi exemplum petit:
Quia hic æſtatem conſtat eſſe perbonam:
Nam ſubdiu ſol agit hic perpetuum diem.
Imò ædepol uerò quom uſquequaque umbra eſt, tamen
Sol ſemper hic eſt uſque à mane ad ueſperum,
Quaſi flagitator aſtat uſque ad oſtium:
Nec umbra mihi uſquam eſt: niſi ſi in puteo quæpiam eſt.

TR. Quid Sarcinatis ecqua eſt? ſi Vmbram non habes?

S. Moleſtus ne ſis, hæc ſunt ſicut prædico.
TR. Attamen inſpicere uolt. S. inſpiciat ſi lubet:
Si quid erit quod illi placeat de exemplo meo,
Ipſe ædificato. TR. con' uoco huc hominem? S. uoca.
TR. Alexandrum magnum atque Agathoclem aiunt maxumas
Duo res geßiſſe. quid mihi fiet tertio,
Qui ſolus facio facinora immortalia?
Vehit clitellas, uehit hic autem alter ſenex.
Nouitium mihi quæſtum inſtitui, non malum.
Nam muliones mulos clitellarios
Habent: ego homines habeo clitellarios:
Magni ſunt oneris, quicquid imponas uehunt.

TRANIO, TEVROPIDES, SIMO.

TR. NVnc illum ego hinc ex inſidijs auſculto, an colloquar?
Cōgrediar. heus Teuropides. TE. hē, quis me nominat?
TR. Seruos hero multum ſuo, quò me miſeras, omne affero
Impetratum. TE. quid illic deſtitiſti obſecro tam diu?
TR. Seni non otium erat, id ſum opperitus. TE. antiquom obtines
Hoc tuum, tardus ut ſis. TR. heus tu, ſi uerbū hoc cogitare uoles,
SIMVL flare ſorbereq́;, haud factu facile eſt: ego hic eſſe,
Et illic ſimul haud potui. TE. quid nunc? TR. uiſe, ſpecta tuo
Arbitratu. TE. age, duc me: non moror, te ſubſequor. TR. ſenex
Ipſe ante oſtium eccū opperitur. ſed mœſtus eſt, uēdidiſſe has ſe.
TE. Quid tandem? TR. orat ut ſuadeam Philolacheti, ut iſtas remittat ſibi.
TE. Haud opinor, ſibi quiſque in iure cauet. ſi male emptæ forent,
Nobis iſtas redhibere haud placeret. lucri quicquid eſt,
Id domū trahere oportet. TR. ſatius demum eſt. operæ pretium
Nunc eſt iuiſſe. morare hercle, atque illi indignum facis.
TE. Quin tu recte ædepol mones, ſubſequere me. TR. fiat,
Do tibi ego operam. ſenex illic eſt. hem adduxi hominem tibi.
S. Saluom te aduenisse peregre gaudeo Teuropides.
TE. Di te amēt. S. inſpicere ædeis te has uelle aiebat mihi. (inſpice.
TE. Niſi tibi incommodum eſt. S. imò eſt commodum. i intrò, atque

TR. Et enim mulieres? S. caue tu ullam floccifaxis mulierum:
Qualibet perambula ædes oppidò tanquàm tuas.
TE. Tanquam. TR. ha, caue ne illi obiectes nunc, in ægritudine
Te has emiſſe. non tu uides hunc, uoltu triſti ut eſt ſenex?
TE. Video. TR. ergo irridere ne uideare, & geſtire admodum:
Noli facere ei mentionem te emiſſe. TE. intellego,
Et bene monitum duco, ac eſſe exiſtumo humani ingenij.
Quid nunc? S. quin tu is intrò, atq; otiosè perſpecta, ut lubet.
TE. Bene boniq; arbitror te facere, factum ædepol uolo.
S. Vin' qui perductet? TE. apage iſtum perductorem: non placet.
S. Quid eſt? TE. errabo potius quàm perductet quiſpiam.
TR. Vide'n' ueſtibulum ante ædeis, & ambulacrum quoiuſmodi?
TE. Luculentum ædepol. TR. age ſpecta poſtes quoiuſmodi,
Quanta firmitate facti, & quanta craßitudine.
TE. Non uideor uidiſſe poſteis pulchriores. S. pol mihi
Eo pretio empti fuerant olim. TR. audin' fuerant dicere?
Vix uidetur continere lachrumas. TE. quanti hoſce emeras?
S. Tris minas pro iſtis duobus, præter uecturam, dedi.
TR. Hercle quin multo improbiores ſunt, quàm à primo credidi.
TE. Quapropter? TR. quòd ædepol ambo ab infimo terram ſecant.
S. Intempeſtiuos exciſos credo: id eis uitium nocet.
Atque etiam nunc ſatis ſunt boni, ſi ſunt induti pice.
Non enim hæc pultifagus opifex opera fecit barbarus.
Ehò iſtum puer circunduce haſce ædeis, & conclauia.
Nam egomet ductarem, niſi eſſet mihi ad forum negotium.
TE. Apage iſtum à me: nihil moror ductarier quicquid eſt.
S. Perductet quiſpiam per ædes, dico. TE. ego eo intrò igitur
Sine ullo perductore. S. ilicet. TE. ibo intrò igitur. TR. ſed eſt?
Mane ſis, uideam ne canis. TE. agedum, uide. eſt? S. abi. TE. canis eſt?
S. Abi directa. TR. eſt? S. abi hinc in malã crucem. at etiã reſtas?
TR. Eſt? S. abi hinc, nihil pericli eſt. TR. age, tam placida eſt, q̃ fœta.
S. Quando uis ire intrò, audacter licet. ego eo hinc ad forum.
TR. Feciſti commode, bene ambula. TE. Tranio age, canem

Iſtam

Iſtam à foribus face abducas, & ſi non metuenda eſt.

TR. Quin tu iſtam aſpice quæſo, ut placide accubat? niſi moleſtum
Vis uideri te, atq; ignauũ, iã ut lubet. TE. ſequere hâc me igitur.

TR. Equidem ego haud uſquam ab ædibus abſcedam tuis. uidẽn'
Coagmenta in foribus? TE. uideo. TR. ſpecta q̃ arte dormiunt.

TE. Dormiunt? TR. illæ quidem, ut conniuent. uolui dicere.

TE. Satin' habes, ut quicquid magis contemplor, magis placet?

TR. Vidẽn' pictum ubi ludificatur cornix uolturios duo?
Cornix adſtat: ea uolturios duo uiciſsim uellicat?
Quæſo huc ad me ſpecta, cornicem ut conſpicere poſsis.
Iam uides? TE. profecto nullam equidem illic cornicem intuor.

TR. At tu iſtâc aduorſum obtúere, quoniam cornicem nequis
Conſpicari: ſi uolturios forte duos poſsis contui.

TE. Omnino, ut te abſoluam, nullam pictam conſpicio hic auem.

TR. Age iam mitto, ignoſco ætati, non quis obtuerier.

TE. Hæc, quæ poſſum, ea mihi profecto cuncta uehementer placent.

TRANIO, ſeruos. TEVROPIDES, ſenex.

TR. Quid tibi uiſum eſt hoc mercimonij? TE. totus gaudeo.

TR. Num nimio emptæ tibi uidentur? TE. nunquam ædepol me ſcio
Vidiſſe unquã ablectas ædes, niſi modo haſce. TR. ecquid placet?

TE. Ecquid placent, me rogas? imò hercle uerò perplacent.

TR. Quoiuſmodi gynæceum? quam et porticũ. TE. inſanum, bonam:
Non equidem ullam in publico eſſe maiorem hac exiſtumo.

TR. Quin ego ipſe, & Philolaches in publico omneis porticus
Commenſi ſumus. TE. quid igitur? TR. longe omniũ longiſsima (eſt.

TE. Dij immortales mercimonij lepidi! hercle nunc ferat
Sex talenta magna argenti pro iſtis præſentaria,
Nunquã accipere. TR. ſi hercle accipere cupies, ego nunq̃ ſinã.

TE. Bene res noſtra collocata eſt iſtoc mercimonio.

TR. Me ſuaſore atque impulſore id factum, audacter dicito:
Qui ſubegi, fœnore argentum ab Daniſta ut ſumeret,
Quod iſti dedimus arraboni. TE. ſeruaſti omnem ratem.
Nempe octoginta debẽtur huic minæ? TR. haud nũmo amplius.

TE. Hodie accipiat. TR. ita enimuerò, ne qua cauſſa ſubſiet,
Vel mihi denumerato, ego illi porrò denumerauero.
TE. At enim nequid captioni mihi ſit, ſi dederim tibi.
TR. Egóne te ioculo modo auſim dicto aut facto fallere?
TE. Egóne abs te auſim non cauere, ne quid committam tibi?
TR. Quin tibi nũquam quicquam, poſtquam ſum tuus, uerborũ dedi.
TE. Ego enim caui rectè. TR. eandẽ inis gratiã. TE. atq; animo meo
Sat ſapio, ſi abs te modo uno caueo. TR. tecum ſentio.
TE. Nunc abi rus, dic me aduenisſe filio. TR. faciam ut uoles.
TE. Curriculo abi. iube in urbem ueniat iam tecum ſimul.
TR. Nunc ego me illâc per poſticum ad congerrones conferam:
Dicam ut hic res quietæ ſunt, atque ut hunc hinc amouerim.

ACTVS QVARTVS.

ADVORSITOR, ſeruos.

SERVI, QVI quom culpa carent, tum malum metuunt,
Hi ſolent eſſe heris utibiles. nam qui nihil metuunt
Poſtquam ſunt malum meriti, ſtulta ſibi conſilia
Expetunt, exercent ſe ad curſuram, fugiunt: ſed hi
Si reprenſi ſunt, faciunt à malo peculium:
Quod nequeunt, augent ex pauxillulo.
At illud ſuperat adhuc mihi in pectore conſilî,
Malam rem prius cauendam multo eſſe, quàm ut meum
Tergum ſubiciam culcitram uibicibus,
Vt adhuc mihi fuit corium, eſſe oportet ſyncerum.
Atque ut uetem uerberari, ſi huic imperabo, propè
Tectum habebo: malum, quom impluit cæteros, ne impluat mihi.
NAM VT SERVI ſuum uolunt herum eſſe, ita ille ſolet:
Bonus cum probis eſt, malus cum malis. nam nunc domi
Noſtræ tot peſſumi uiuont, peculij
Sui prodigi plagigeruli. ubi aduorſum ut eant hero
Vocantur, Non eo, moleſtus ne ſis: ſcio
Quò properas, geſtis aliquò iam hercle ire paſtum foras.
Bene merens hoc precium ubi auſcultaui, foras
Solus eo nunc aduorſum hero ex plurimis ſeruis.

Hanc rem die craſtini quom herus reſciuerit,
Mane caſtigabit eos exuuijs bubulis:
Minoris pendo tergum illorum, quàm meum.

ADVORSITOR, DANISCVS, TEVROPIDES.

A. *HIc quidem neq; conuiuarũ ſonitus itidẽ, ut antehac fuit:*
Neq; tibicinam cantantem, neq; alium quenquam audio.
TE. *Quæ illic res eſt? qd illi hoĩes quærũt apud ædeis meas?*
Quid uolunt? quid intrò ſpectant? D. pergam pultare oſtium.
Heus recludo, heus Tranio etiã aperis? TE. quæ hæc eſt fabula?
D. *Etiámne aperis? Callidati noſtro aduorſum uenimus:*
TE. *Heus pueri quid iſtic agitis? quid iſtas ædeis frangitis?*
D. *Herus hic noſter potat.* TE. *herus hic uoſter potat?* D. *ita loquor.*
TE. *Puer nimium delicatus es.* D. *ei aduorſum uenimus.*
TE. *Quoi homini?* D. *hero noſtro. quæſo quoties dicendum eſt tibi?*
TE. *Puer hic nemo habitat: nam te eſſe arbitror puerum probum.*
D. *Non hic Philolaches adoleſcens habitat in hiſce ædibus?*
A. *Senex hic cerebroſus eſt certe.* D. *erras peruerſe pater:*
Nam niſi hic hodie emigrauit aut heri, certo ſcio (mnias.
Hic habitare. TE. *quin ſex menſes iam hic nemo habitat.* D. *ſo-*
TE. *Egóne?* A. *tu tu.* TE. *ne moleſtus, ſine me cum puero loqui.*
Nemo habitat hic. D. *habitat profecto: nã heri & nudiuſtertius,*
Quartus, quintus, ſextus, uſq; poſtquam hinc peregre eius pater
Abijt, nunquam hic triduum deſitum eſſe, & bibi. TE. *quid ais?*
D. *Triduum profecto unum eſt haud intermiſſum hic eſſe, & bibi,*
Scorta duci, pergræcari, fidicinas, tibicinas
Ducere. TE. *quis faciebat iſtæc?* D. *Philolaches.* TE. *qui Philola*
Quo is patre? D. *quoi patrem Teuropidem eſſe* (ches?
opinor. TE. *hei occidi,*
Si hæc hic uera memorat. pergam porrò percontarier.
Ain' tu iſtic potare ſolitum Philolachem iſtum, qui eſt
Cũ hero uoſtro? D. *hic inquã.* TE. *puere præter ſpeciẽ ſtultus es.*
Vide ſis ne forte ad merendam quópiam diuorteris,
Atque ibi melius, quàm tibi ſatis fuerit, biberis. D. *quid eſt?*
TE. *Ita dico, ad alias ædeis perperam ne ueneris.*

D. Scio quò me ire oportet, & quò uenerim noui loqui.
Philolaches hic habitat, quoius eſt pater Teuropides:
Qui poſtquam ad mercatum abijt, hic tibicinam
Liberauit. TE. Philolaches ergo? D. ita Philematium quidem.
id eſt TE. Quanti? D. triginta talentis. TE. μὰ τὸν ἀπόλλω. D. ſeu minis.
non TE. Ain' minis triginta amicam deſtinatum Philolachem?
per D. Aio. TE. atque eam emiſiſſe manu? D. aio. TE. & poſtquam
Apol eius hinc pater
linẽ. Sit profectus peregre, perpotaſſe aſſiduo cum tuo
Domino? D. aio. TE. quid ais? emit ædeis uicini hic proxumas?
D. Non aio. TE. quadraginta etiam dedit hucuſq; pignori?
D. Neq; iſtuc aio. TE. hei perdis. D. imò ſuũ illic patrem perdidit.
TE. Vera cantas: uana uellem, patris amicus uidelicet.
Heu ædepol patrẽ eum miſerũ prædico. D. nihil hoc quidem eſt
Triginta mnæ: præterq́; alios dapſiles ſumptus facit.
Perdidit patrem unus iſtic ſeruos ſacerrumus Tranio:
Is uel Herculi conterere quæſtum poſſet. TE. ædepol
Me eius patris miſeret, qui quom iſtæc facta ſciet, ita
Amburetur miſero ei corculum, ut carbunculus:
Si quidẽ iſtæc uera ſunt. D. quid merear, quamobrem mentiar?
Heus uos, ecquis haſce aperit? TE. qd ita pultas, ubi nemo intus
Aliò credo comeſſatum abijſſe. D. abeamus nunc iam. (eſt?
TE. Puer iámne abis? libertas penula eſt tergo tuo.
D. Mihi, niſi herũ ut metuam & curem, nihil eſt qui tergum tegam.

TEVROPIDES, & SIMO, ſenes.

TE. PEri hercle, quid opus eſt uerbis? ut audio,
Non equidem in Aegyptum modo hinc uectus fui,
Sed etiam in terras ſolas, oraſq́; ultimas
Sum circumuectus: ita ubi nunc ſim, neſcio.
Verùm iam ſcibo: nam eccum, ædeis unde filius
Meus emit. quid agis tu? S. à foro incedo domum.
TE. Num quid proceſſit ad forum forte hodie noui?
S. Etiam. TE. quid tandem? S. uidi efferri mortuum. TE. hem.
S. Nouum unum uidi efferri mortuum foras.

Modo eum uixiſſe aiebant. TE. uæ capiti tuo.
S. Quid tu otioſus res nouas requiritas?
TE. Quia hodie aduẽni peregre. S. promiſi foras:
Ad cœnam me ne te euocare cenſeas.
TE. Haud poſtulo ædepol. S. uerùm cras, niſi prius
Vocauerit me quis, apud te cœnauero.
TE. Ne iſtuc quidem ædepol poſtulo: niſi quid magis
Es occupatus, operam mihi da. S. maxume.
TE. Mnas quadraginta accepiſti iam, quas ſciam,
A Philolachete. S. nunquam nummum, quod ſciam.
TE. Quid, à Tranióne ſeruo? S. multo equidem id minus.
TE. Quas arraboni tibi dedit. S. quid ſomnias?
TE. Egóne? S. at quidem tu. TE. qui iſtoc te ſperas modo
Poteſſe dißimulando infectum hoc reddere?
S. Quid autem? TE. quod me abſente hic tecum filius
Negotij geßit. S. mecum ut ille hic geſſerit,
Dum tu hinc abes, negotij? quidnam? aut quo die?
TE. Minas tibi octoginta argenti debeo.
S. Non mihi quidem hercle: uerùm ſi debes, cedò.
Fides ſeruanda eſt: ne ire inficias poſtules.
TE. Profecto non negabo debere, & dabo:
Tu caue quadraginta accepiſſe hinc ne neges.
S. Quæſo ædepol huc me aſpecta, & reſponde mihi.
Te uelle uxorem aiebat tuo gnato dare:
Ideo ædificare hoc uelle aiebat in tuis.
TE. Hæc ſatis. ædificare uoluí? S. ſic dixit mihi.
TE. Hei mihi diſperi: uos ô uicini perì interi.
S. Nunquid Tranio turbat? TE. imò exturbauit omnia.
S. Te ludificatus eſt? TE. me hodie indignis modis.
S. Quid tu ais? TE. hæc res ſic eſt, ut narro tibi.
Deludificatus eſt me hodie in perpetuum modum.
Nunc te obſecro, ut me bene iuues, operamq; des.
S. Quid uis? TE. i mecum hercle obſecro te, unà ſimul.
S. Fiat. TE. ſeruorumq; operam, & lora mihi cedò.

S. Sume. TE. atque eadem opera hæc tibi narrauero,
Quibus me exemplis hodie ludificatus eſt.

ACTVS QVINTVS.

TRANIO, TEVROPI. & LORARII.

TR. QVi homo timidus erit in dubijs rebus, is nauci non erit.
Atque equidem, quid id eſſe dicam uerbum nauci, neſcio.
Nam herus me poſtquam rus miſit, ut filium ſuum accerſerem,
Ab illo per Angiportum ad hortum noſtrum clanculum
Oſtium quod in Angiportu eſt horti, patefeci fores:
Eáq; obduxi omnem legionem, & mareis, & fœminas.
Poſtquàm ex obſidione in tutum eduxi maniplares meos,
Capio conſilium, ut ſenatum congerronem conuocem.
Quem quom uocaui, atque illi me è ſenatu ſegregant:
Vbi ego uideo rem uorti in meo foro. quantum poteſt,
Facio idem, quod plurimi, quibus res timida aut turbida eſt:
Pergont turbare uſque, ut quod ſit, cœpit conquieſcere.
Nam ſcio equidem nullo pacto iam eſſe poſſe clàm ſenem.
Sed quid hoc, quòd foris concrepuit proxuma uicinia?
Herus meus hic quidem eſt, guſtare eius ſermonem uolo.
TE. Illic uos intra limen aſtate, ut quom éxtemplo uocem,
Continuo exiliatis: manicas celeriter connectite.
Ego illum ante ædeis præſtabo ludificatorem meum,
Quoius ego hic ludificabo corium, ſi uiuo. TR. res palàm eſt:
Nunc te uidere melius eſt, quid agas cum illoc, Tranio.
TE. Docte atque aſtute mihi captandu'ſt, ubi huc aduenerit.
Non ego ita éxtemplo meum oſtendam ſenſum: mittam lineam:
Diſsimulabo me horum quicquam ſcire. TR. ô mortalem malum,
Alter hoc Athenis nemo doctior dici poteſt.
Verba illi non magis hodie quiſquam, quàm lapidi, poteſt.
Aggrediar hominē, appellabo. TE. nunc ego ille huc ueniat uelī.
TR. Si quidem pol me quæris, adſum præſens præſenti tibi.
TE. Euge Tranio, quid agitur? TR. ueniunt ruri ruſtici,
Philolaches iā hic aderit. TE. ædepol mihi opportune aduenit.

Noſtrum ego hunc uicinũ opinor eſſe hominẽ audacem et malũ.

TR. Quî dum? TE. qui negat nouiſſe uos. TR. negat? TE. nec uos ſibi
Nummum unquam argẽti dediſſe. TR. abi, ludis me, credo: haud

TE. Imò ædepol negat profecto, neq; ædeis Philolachi (negat.
Vendidiſſe. TR. ehò an negauit ſibi datum argentum obſecro?

TE. Quin iuſiurandum pollicitus eſt dare, ſi uellem, mihi:
Neq; ſe haſce ædeis uendidiſſe, neque ſibi argentum datum.
Dixi ego iſtuc idem illi. TR. quid ait? TE. ſeruos pollicitu'ſt dare
Suos mihi omnes quæſtioni: nugas nunquam mihi
Aedepol dabit. TR. dat profecto. TE. quin illũ in ius conueniam?
Mane experiar, ut opinor, certum eſt. TR. mihi hominem cedò.

TE. quid ſi igitur ego accerſam homines? TR. factũ eſſe iã oportuit.
Vel hominem iube ædeis mancupi poſcere. TE. imò primũ uolo
Quæſtioni accipere ſeruos. TR. faciundum ædepol cenſeo.
Interim ego hanc arã occupabo. TE. quid ita? TR. nullã rẽ ſapis:
Ne enim illi huc confugere poßint, quæſtioni quos dabit.
Hic ego tibi præſidebo, ne ulla interbitet quæſtio. (ſcies:

TE. Surge. TR. minime. TE. ne occupaßis obſecro arã. TR. cur? TE.
Quia enim id ita maxume uolo: illi iſtòc confugiant ſine:
Tanto apud iudicem hunc argenti condemnabo facilius.

TR. Quod agis, id agas. quid tu porrò uis ſerere negotium?
Neſcis quàm meticuloſa res ſit ire ad iudicem?

TE. Surge dum huc: eſt conſulere igitur quiddam quod tecum uolo.

TR. Sic tamen hinc conſilium dedero, nimio plus ſapio ſedens:
Tum conſilia firmiora ſunt de diuinis locis.

TE. Surge, ne nugare, aſpice dum contra me. TR. aſpexi. TE. uides?

TR. Video: huc ſi quis intercedat tertius, pereat fame.

TE. Quidum? TR. quia nihil quæſti ſit, mali hercle ambo ſumus.

TE. Perij. TR. quid tibi eſt? TR. dediſti uerba, qui tandem probè
Me emunxti. TR. uide ſis, ſatine recte nummi huic affluunt?

TE. Imò etiam cerebrum quoque omnem è capite emunxiſti meo.
Nam omnia malefacta uoſtra repperi radicitus:
Non radicitus quidem hercle, uerum etiam eradicitus.
Nunquam ædepol hodie inultus deſtinauerim tibi.

Iam iubebo ignem & ſarmenta carnufex circúndari.
TR. Ne faxis: nam elixus eſſe, quàm aſſus ſoleo ſuauior.
TE. Exempla ædepol faciam ego in te. TR. quòd placeo, exemplum (expetis.
TE. Loquere, quoiuſmodi, quom hinc abibam, reliqui filium?
TR. Cum pedibus, manibus, cum digitis, auribus, oculis, labris.
TE. Aliud te rogo. TR. aliud ego nunc tibi reſpondebo.
Sed eccum tui gnati ſodalem uideo huc incedere
Callidatem: illo præſente mecum agito, ſi quid uoles.

CALLIDATES, adol. TEVROPIDES, TRANIO.

C. VBi ſomnum ſepeliui, omnemq; obdormiui crapulam,
Philolaches ueniſſe mihi ſuum peregre huc dixit patrẽ,
Quoq; modo hominẽ aduenientẽ ſeruos ludificatus ſiet:
Ait ſe metuere, in conſpectum illius accedere.
Nunc ego de ſodalitate ſolus ſum orator datus,
Qui à patre eius conciliarem pacem. atque eccum optume.
Iubeo te ſaluere: & ſaluos quom aduenis Teuropides
Peregre, gaudeo. hic apud nos hodie cœnes. TE. ſalue & tu
Callidate: dij te ament. de cœna facio gratiam.
C. Quin uenis? TR. promitte: ego ibo pro te, ſi ire non lubet.
TE. Verbero, etiã irrides? TR. quin me pro te ire ad cœnam autumo.
TE. Non enim ibis: ego ferare faxo, ut meruiſti, in crucem.
TR. Age, mitte iſta hæc, & me ad cœnam dic iturum. quid taces?
C. Sed tu iſtic quid confugiſti in aram hanc inſcitiſſumus?
TR. Adueniens perterruit me. loquere nunc quid fecerim:
Nunc utriuſque diſceptator eccum adeſt, age diſputa.
TE. Filium corrupiſſe aio te meum. C. auſculta modo.
Fateor peccauiſſe: amicam liberaſſe abſente te:
Fœnori argentum ſumpſiſſe: id eſſe abſumptum prædico.
Num quid aliud fecit, niſi quod faciunt ſummi gnati?
TE. Hercle mihi cauendum eſt: nimis orator * clues catus, (* quis.)
Sine me iſtuc iudicare. ſurge, ego iſtic aſſedero
Maxume, & accipiam hanc ad me litem: enim iſtic captio eſt.
TR. Fac ego ne metuam, ut tu meam timeas uicem.
Iam minoris fecero prædem. TE. quid, iam quibus modis

Me lu-

Me ludificatus es? TR. bene factum hercle, & factum gaudeo.
Sapere iſta ætate oportet. quis capite candido capi?
TE. Quid ego nunc faciam, ſi amicus Dephilo aut Philomontes?
TR. Dicito his, quo pacto tuus te ſeruos ludificauerit:
Optumas fruſtrationes dederis in comœdijs.
C. Tace parumper, ſine me uiciſſim loqui: auſculta. TE. licet.
C. Omnium primum ſodalem me eſſe ſcis gnato tuo.
Is me adijt: nam illum prodire pudet in conſpectum tuum,
Propterea quòd fecit, quæ te ſcire ſcit. nunc te obſecro,
Stultitiæ atque adoleſcentiæ eius ignoſcas. tuus eſt.
Scis ſolere illanc ætatem tali ludo ludere.
Quicquid fecit, unà nobiſcum fecit. non delinquimus.
Fœnus, ſortem, ſumptumq; omnem, qui amica eſt, omnia
Nos dabimus, nos conferemus noſtro ſumptu, non tuo.
TE. Non potuit uenire orator magis ad me impetrabilis,
Quàm tu. neque illi ſum iratus, neque quoiquam ſuccenſeo:
Imò me præſente, amato, bibito, facito quod lubet.
Si hoc pudet, feciſſe ſumptum: ſumptum ſupplicij habeo ſatis.
C. Diſpudet iſtam ueniam. TR. quid me fiet nunc iam?
TE. Verberibus cædere dudum pendens: tametſi me pudet:
Interimam hercle. C. ego iubeo, fac iſtam cunctam gratiam.
Tranioni remitte: remitte quæſo hanc noxiam cauſſa mea.
TE. Aliud quiduis impetrari à me, facilius perferam,
Quàm ut non iſtunc ego ſuis pro factis peſſumis
Peſſum premam. TR. mitte quæſo. TE. uidén' ut reſtat furcifer?
C. Tranio? TE. quin tu ſi ſapis quieſce hanc rem modo petere:
Ego illum uerberibus, ut ſit quietus, ſubegero.
TR. Nihil opus eſt profecto. C. age, iam ſine te exorarier.
TE. Nolo. C. quæſo hercle. TE. nolo inquam, ne ores: nequicquam uenis.
C. Hanc modo unam noxiam unam, quæſo, fac cauſſa mea.
Quid grauaris, quaſi gratiam non commeream? ſi aliã noxiam:
Ibi utrunque & hoc & illud poteris ulciſci probè. (tiam.
Sine te exorem. TE. age habe, abi impune. hem huic habeto gra
Spectatores fabula hæc eſt acta, uos plauſum date.

ANNO-

ANNOTATIONES
IN MOSTELLARIAM.

COmœdia hoc nomen ſortita eſt ab euentu: dicta autem Moſtellaria non à muſtella, ſed à monſtris.

Frutex.) Eſt contemptionis, & deſpectionis nomen, quod etiam indicauit Hermo. in Plin.

Pergræcamini, amicas emite.) Vide Chiliades, pergræcari. Ad hunc locum alluſit Cicero in Verrina, cum inquit: Vt græco more biberetur. Non fuerit autem ἀπροσδιόνυσον ſi uerba Aſconij Pædiani huc adduxero, quæ in actiones illas ſcripſit. Eſt, inquit, græcus mos, ut græci dicunt, cum merocyathis ſaltantes, libantes primo deos, deinde amicos ſuos nominantes: nam toties merum bibunt, quoties & deos, & caros ſuos nominatim uocant. Hactenus Aſconius.

Opſonate pollucibiliter.) Pollucere eſt Herculi ſacrificium facere, quod quia laute fieri ſolebat, ideo pollucibiliter hic à Plauto, pro laute, & ſplendidè ponitur. Et pollucibilis cœna pro opipara, & ſplendida à Macrobio uſurpatur. Sunt qui legunt pro pollucibiliter, plauſibiliter, ſed inepte ſatis, ut ipſa res indicat.

Oboluiſti allium.) In ruſticum hoc dictum. Solent enim hi ſæpius uorare alliũ, unde & Galenus allium Theriacam ruſticorum eſſe dixit, & Plinius libro 91. capite ſexto, Allium ad multa ruſticis utile eſſe ſcribit.

Non omnes poſſunt olere unguenta.) Vnguenta ueteres, & purioris linguæ magiſtri, non medicamentaria iſta appellauerunt, ſed ad luxum, & ad delitias comparata. Exotica autem uocat, ab externis gentibus aduecta.

Sine me alliato.) Vetuſtiora exemplaria alliarum habent.

Lauat parietes.) Lauat pro madidas facit.

Vitium additur.) Id ſæpius de uirgine conſtuprata prius dixit.

Iam pridem mecaſtor frigida.) Frequens loquendi genus & Græcis, & Latinis θερμὸν pro θερμὸν ὕδωρ, ſic in Celſo, frigidam bibat, calidam ſumat, pro aqua.

Euentus rebus in omnibus uelut in horreo horna meſſis. Vide adagiorum Chiliad. Horna meſſis.

Veſtis

Veſtis ſartum.) Aliâs ſartum.

Siti, fameq́ꝫ, & gelu.) Romanus codex pro gelu, anheli-tu habuit.

In anginam.) συνάγχην, morbus qui conſtringit fauces, & collum, quiq́ꝫ ſuffocando laborantem conficit.

Et capiundos crines.) De crinibus fortunæ intelligas oportet, hoc eſt, captanda eſt præſens occaſio.

Coagmenta.) Primus hunc locum caſtigauit Angelus Politianus in Miſcella. cap. 66.

Cedo ceruſſam.) Fucus eſt meretricius quo faciem depin gunt, à græcis ψιμμύθιον dicitur.

Vna opera ebur atramento candefacere poſtulas.) Vi-de Chiliades adagiorum, Ebur atramento candefacere. Purpuriſſum autem & melinum, pigmenta ſunt ad faciem condecorandam, quorum utrunque rubicundum colorem malis inducunt.

Ne oleant argentum.) Veteres ſpeculis argenteis uſi ſunt ut probat Cœlius. Poteſt tamen etiam quemlibet ornatum muliebrem ſignificare.

Quæ uitia corporis fuco occultant.) Vide Chili. fucum (facere.

Vbi ſunt iſti plagipatidæ.) Scriptũ hic in pleriſq́ꝫ codici bus blagipatidæ, de qua dictione ſatis dictum ſuperius.

Subeunt ſub haſta.) Vide Eraſmi adagia, Sub haſtam uenire.

Vbi qui Dindymeneis haſtis.) Id eſt buxeis. Nota eſt hi-ſtoria ut Cybeles ſacerdotes furioſi ſe cædere dicebantur.

Atque Herculem inuocabis.) Hic ſiquidem monſtrorum domitor eſt.

Tam facile quàm uulpes pirum comeſt.) Vide Eraſmi adag. Quàm facile uulpes pyrum &c.

Bucedæ βουκεντaί.

Pilum inieciſti mihi.) Pilũ pro ſcrupo poſuit. Poſtquàm enim in cibo pilum reperimus, iã faſtidiũ nos edendi occupat.

Patrizat.) Patris mores imitatur.

Calidum hercule audiui optumum eſſe mendacium.) Vi de adagiorum Chiliad. Calidum mendacium.

Verum iam ad unum ſaxum.) Romanum exemplar pro unum nigrum habuit, ut ſit ſenſus. Rurſus ad periculoſum & mortiferum ſaxum.

Non bonus eſt ſomnus homini de prandio.) Teſtatur id Galenus in prognoſticorum lib. ſcribens.

Turget.

Turget.) ὀργᾷ, tractum hoc uerbum ab animalibus ad coitum concitatis.

Muſice hercle agitis ætatem.) Vide Chiliades, tibicinis uitam uiuere.

Ventus nauem deſeruit.) Id eſt res non ſuccedit ex ſententia: uide Chiliad. uentis ſecundis.

Subducta erat.) Perſiſtit in eadem metaphora. Subducimus naues in terram feliciter acta nauigatione: deducimus rurſus, cum tentanda uia fortunæ eſt.

Quid Sarſinatis ecqua'ſt.) Hęc ciuitas ſiquidem Vmbrię ſi..., & patria poetæ.

Simul flare ſorbereq́.) Vide Chiliad.

Tam placida eſt quàm fœta.) παροιμία qua uulgus adhuc utitur.

Sex talenta magna.) Hunc locum explicat Budæus de aſſe & partibus lib. 2.

μὰ τὸν ἄπόλλω.) Per Apollinem iurantis eſt.

Is uel Herculi conterere quæſtum poſſiet.) Vide annotatio. Bud. in pandectas, in dictione pollucere.

Vbi ego uideo rem uorti in meo foro.) Vide Chiliades: Res in foro noſtro uertitur.

Mittam lineam.) Id eſt circunducam hominem, dicitur alibi à Plauto trahitur linea, in eodem ſenſu.

M. ACTII PLAVTI

MENAEHMI.

DRAMATIS PERSONAE.

PROLOGVS.	MVLIER, *uxor.*
PENICVLVS, *paraſitus.*	SACERVS, *ſeruos.*
MENAEHMVS, *ſurreptus.*	ANCILLA.
EROTIVM, *meretrix.*	SENEX.
CYLINDRVS, *coquus.*	MEDICVS.
MENAEHMVS, *ſoſides.*	LORARII.
MESSENIO, *ſeruos.*	

ARGV-

ARGVMENTVM.

Mercator Siculus, quoi erant gemini filij,
Ei ſurrepto clàm altero, mors obtigit.
Nomen ſurrepti illius illi indit qui domi eſt:
Auos paternus facit Menæhmum Soſidem.
Et is germanum, poſtquam adoleuit, quæritat.
Hic fuerat alitus, ille ſurreptitius.
Menæhmum ciuem credunt omnes aduenam,
Eumq; appellant meretrix, uxor, & ſocer.
Ii ſe cognoſcunt fratres poſtremo inuicem.

ALIVD ARGVMENTVM.

GEminos habebat filios ciuis Siculus, quorum alterum Menæhmum, alterum uocauit Soſidem. ĩj eiuſdem erãt ætatis & formæ. Menæhmum pater Tarentum ducit. Is, dum illic forte fierent ſpectacula, aberrat à patre, quem mercator Epidamnenſis ſuſtulit, ſecumq; ducit Epidamnum, & eum filium adoptat ſibi, uxore bonisq; dotatum relinquit hæredem. Pater igitur cum amiſiſſet filium, præ ægritudine paucos poſt dies moritur. it Syracuſas nuntius. auus paternus quia ſurreptum dixerat, Soſidi ſuperſtiti indidit nomen Menæhmi. Is inſtituit quærere germanum fratrem, multas peragrat urbeis: tandem cum ſeruo Meſſenio ne Epidamnum uenit, ubi alter erat germanus frater iam ea ciuitate donatus. hic erat amore meretriculæ captus, Erotium cui nomen erat: apud quam dum unà cum Peniculo paraſito conuiuium parat, adueniens Menæhmus alter aduena excipitur pro fratre in meretricis domo. ibi iurgatur à fratris uxore, atque ipſius ſocero. Miratur aduena ſe ab his interpellari, quos non nouerat. Tandem ut ſe ab illis eximat, inſaniam ſimulat. hunc ſocer Menæhmi ſuum generum credens, cum uidet inſanum factum, à ſeruis comprehendi iubet atque arceſſi medicum. ille aufugit. Interea aduenit ciuis Menæhmus, & pro inſano capitur, accurrit Meſſenio hunc ratus captum herum, eumq; liberat à captoribus. Sicq; ludi utrinque fiunt, donec conuentis ſimul fratribus ipſi Meſſenionis interuentu & opera agnoſcunt ſe inuicem, ſeruusq; ob id Meſſenio emittitur manu.

PROLOGVS.

SALVTEM primum iam à principio propitiam
Mihi atq; uobis ſpectatores nuntio.
Adporto uobis Plautũ lingua,nõ manu:
Quæſo ut benignis accipiatis auribus.
Nunc argumentum accipite, atque animum aduortite.
Quàm potero in uerba conferam pauciſsima.
Atque hoc poëtæ faciunt in comœdijs,
Omneis res geſtas eſſe Athenis autumant,
Quo uobis illud Græcum uideatur magis:
Ego nuſquam dicam,niſi ubi factum dicitur.
Atque adeò hoc argumentum Græciſſat tamen,
Non Atticiſſat,uerùm Siciliciſsitat.
Nunc argumentum uobis demenſum dabo,
Non modio,neque trimodio,uerùm ipſo horreo:
Tantum ad narrandum uoſtra adeſt benignitas.
Mercator quidam fuit SYRACVSIS ſenex.
Ei ſunt nati filij duo gemini,
Ita ſimili forma pueri,ut mater ſua
Non internoſſe poſſet,quæ mammam dabat,
Neque adeò mater ipſa,quæ illos pepererat:
Vt quidem ille mihi dixit,qui pueros uiderat.
Poſtquàm iam pueri ſeptuennes ſunt,pater
Onerauit nauem magnam multis mercibus:
Imponit alterum geminum in nauim pater:
TARENTVM auexit ſecum ad mercatum ſimul:
Illum reliquit alterum apud matrem domi.
Tarenti ludi forte erant,quom illuc uenit.
Mortales multi ut ad ludos conuenerant,
Puer inter homines aberrauit à patre.
Epidamnenſis quidam ibi mercator fuit,
Is puerum tollit,auehitq; in Epidamnum,

Pater eius, poſtquàm puerum perdidit,
Animum deſpondit, atque is ægritudine
Paucis diebus pòſt Tarenti emortuu'ſt.
Poſtquàm Syracuſas de re ea rediyt nuntius
Ad auom puerorum, puerum ſurreptum alterum,
Patremq́; pueri pòſt Tarenti eſſe mortuum:
Immutat nomen huic auos gemino alteri,
Ita illum dilexit, qui ſurreptus eſt: alterum
Illius nomen indit illi qui domi eſt:
MENAEHMO *idem quod alteri nomen fuit,*
Et ipſus eſt eodem uocatus nomine.
Propterea illius nomen memini facilius,
Quia illum clamore uidi flagitarier.
Ne mox erretis, iam nunc prædico prius,
Idem eſt ambobus nomen geminis fratribus.
Nunc in Epidamnum *pedibus redeundum eſt mihi,*
Vt hanc rem uobis examußim diſputem.
Si quis quid uoſtrum Epidamni *curari ſibi uolt,*
Audacter imperato, & dicito: ſed ita
Vt det mihi unde curari id poßit ſibi.
Nam niſi qui argentum dederit, nugas egerit:
Qui dederit, magis maiores nugas egerit.
Verùm illuc redeo, unde abij, atque uno aſto in loco.
Epidamnenſis ille, quem uobis dudum dixeram,
Geminum illum puerum qui ſurripuit alterum,
Et liberorum, niſi diuitiæ, nihil erat:
Adoptat illum puerum ſubreptitium
Sibi filium, eiq́; uxorem dotatam dedit,
Eumq́; hæredem fecit, quom ipſe obiyt diem.
Nam rus ut ibat, ut multum forte pluuerat,
Ingreſſum fluuium rapidum ab urbe haud longule,
Rapide raptorem pueri ſubduxit fides,
Abſtraxitq́; hominem in maxumam malam crucem:
Ita illi diuitiæ euenerunt maxumæ.

Atque iſtic habitat geminus ſubreptitius.
Nunc ille geminus qui Syracuſis habet,
Hodie in Epidamnum uenit cum ſeruo ſuo,
Hunc quæritatum geminum germanum ſuum.
Hæc urbs, EPIDAMNVS *eſt, dum hæc agitur fabula:*
Quando alia agetur, aliud fiet oppidum:
Sicut familiæ mutari ſolent quoq;.

ACTVS PRIMVS.

PENICVLVS, *paraſitus.*

IVuentus nomen fecit Peniculo mihi,
Ideo quia menſam, quando edo, detergeo.
Homines captiuos, qui catenis uinciunt,
Et qui fugitiuis ſeruis indunt compedes.
Nimis ſtulte faciunt, mea quidem ſententia.
NAM *homini miſero malum ſi accedit ad malum,*
Maior lubido eſt fugere, & facere nequiter.
Nam ſe ex catenis eximunt aliquo modo.
Tum compediti ianuam lima perterunt:
Aut lapide excutiunt clauom. nugæ ſunt meræ.
QVEM TV *aſſeruare recte ne aufugiat uoles,*
Eſca atque potione uinciri debet:
Apud menſam plenam homini roſtrum deliges.
Dum tu illi quod edat, & quod potet, præbeas.
Arbitratu ſuo affatim quotidie:
Nunquam ædepol fugiet, tametſi capital fecerit:
Facile aſſeruabis, dum illo uinclo uincies.
Ita iſtæc nimis lenta uincla ſunt eſcaria:
Quam magis extendas, tanto adſtringant arctius.
Nam ego ad Menæhmum nunc eo, quoi iam diu
Sum iudicatus, ultrò eo ut me uinciat.
Nam illic homo homines non alit, uerùm educat,
Recreatq;, nullus melius medicinam facit:
Ita eſt adoleſcens ipſus eſcæ maxumæ:
Cerealeis cœnas dat, ita menſas extruit,

Tantas

Tantas ſtruices concinnat patinarias.
Standum eſt in lecto, ſi quid de ſummo petas.
Sed mihi interuallum iam hos dies multos fuit.
Domi ſum domitus uſque cum charis meis.
Nam neque edo, neque emo, niſi quod eſt cariſsimum,
Ii quoque iam chari qui inſtruxerunt, deſerunt.
Nunc ad eum inuiſo. ſed aperitur oſtium.
Menæhmum eccum ipſum uideo, progreditur foras.

MENAEHMVS, ſubreptus. PENICVLVS, paraſitus.

M. NI mala, ni ſtulta, ni indomita, imposq́; animi: quod uiro
Eſſe odio uides, tute tibi odio habeas. præter hac ſi mihi
Tale poſt hunc diem faxis, faxo foris uidua uiſas patrē.
Nam quoties ire uolo, me retines, reuocas, rogitas quò eam,
Quam rem ego agam, quid negotij geratur, quid detur,
Quid dicam, quid faciam, quid foris egerim, quid dixerim.
Portitorem duxi domum, ita omnem mihi rem neceſſe eſt loqui,
Quicquid egi, atque ago. nimium te habui delicatam. nūc adeò
Vt facturus dicam: quandò ego tibi ancillas, penum,
Lanam, aurū, ueſtem, purpurā bene præbeo, nec quiquam eges:
Malo caueb is, ſi ſapis: obſeruare uirum deſines.
Atque adeò ne me nequicquam ſerues, ob eam induſtriam
Hodie ducam ſcortum ad cœnam, atque aliò conducam foras.
P. Illic ſe homo uxori ſimulat male loqui, loquitur mihi.
Nam ſi foris cœnat, me profecto, haud uxorem, ulciſcitur.
M. Euàx, iurgio hercle tandem uxorem abegi ab ianua.
Vbi ſunt amatores mariti? quid dona ceſſant mihi
Conferre omnes gratulantes, quia pugnaui fortiter?
Hanc modo uxori intus pallam ſubripui, ad ſcortum fero.
Sic decet dari, facete uerba, cuſtodi cate:
Hoc facinus pulchrum eſt, hoc probum, hoc lepidum eſt, hoc factum eſt fabre.
Meo malo à mala abſtuli, hoc ad damnum defertur.
Auorti prædam ab hoſtibus noſtrûm ſalute ſociûm.
P. Heus adoleſcens, ecqua in iſtac pars mihi eſt præmij? M. perij:

In inſidias deueni. P. imò in præſidium, ne time.
M. Quis homo eſt? P. ego ſum. M. ò mea commoditas, ô mea opportunitas,
Salue. P. ſalue. M. quid agis? P. teneo dextra genium meum.
M. Non potuiſti per tempus magis aduenire, quàm aduenis.
P. Ita ego ſoleo: commoditatis omnis articulos ſcio.
M. Vin' tu facinus luculentum inſpicere? P. quis id coxit coquos?
Iam ſciam ſi quid titubatum eſt, ubi reliquias uidero.
M. Dic mihi, numquid uidiſti unquam tabulam pictam in pariete,
Vbi aquila catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?
P. Sæpe. ſed quid iſtæ picturæ ad me attinent? M. age, me aſpice,
Ecquid aßimulo ſimiliter? P. quid iſtic eſt ornatus tuus?
M. Dic hominem me lepidiſſumum eſſe. P. ubi eſuri ſumus?
M. Dic modo hoc, quod ego te iubeo. P. dico, homo lepidiſſume.
M. Ecquid audes de tuo iſtuc addere? P. atque hilariſſume.
M. Perge porrò. P. non pergo hercle, niſi ſcio qua gratia
Litigium tibi eſt cum uxore. M. hoc mihi abs te caueo cautius,
Clam uxorẽ ubi ſepulchrũ habeamus, atq; hunc cõburamus diẽ.
P. Age ſanè igitur, quando æquom oras, quàm mox incendo rogũ.
M. Dies quidem iam ad umbilicum eſt dimidiatus mortuus.
Remorare, mihi quom obloquere. P. oculũ effodito per ſolũ mihi
Menæhme, ſi ullum uerbum faxo, niſi quod iuſſeris.
M. Concede huc à foribus. P. fiat. M. etiam concede huc. P. licet.
M. Etiam nunc concede audacter ab leonino cauo.
P. Heu ædepol, næ tu, ego opinor, eſſes agitator probus.
M. Quî dum? P. ne te uxor ſequatur, reſpectas identidem.
M. Sed quid ais? P. egóne? id enim, tu quod uis, id aio, atq; id nego.
M. Ecquid tu de odore poßis, ſi quid forte olfeceris,
Facere coniecturam? captum ſit collegium augurum.
Agedum, odorare hanc, quam ego habeo pallam, quid olet?
Vt ſummum olfactare abſtines? P. ueſtimentum muliebre.
Næ ex iſtoc loco ſpurcatur naſum odore illutibili.
M. Olfacta igitur hinc Penicule lepide, ut faſtidis? P. decet.
M. Quid igitur? quid olet? reſponde. P. furtum, ſcortum, prandium.

M. Nunc ad amicam defertur hanc meretricem Erotium.
Mihi, tibi, atque illi iubebo iam apparari prandium.
Inde uſque ad diurnam ſtellam craſtinam potabimus.
P. Expedite fabulatus, iam fores ferio. M. feri.
Vel mane etiam mille paſſum commoratus cantharum.
Placide pulta. P. metuis credo, ne fores Samiæ ſient.
M. Mane mane obſecro hercle, ab ſe ecca exit. P. ô, ſolem uides:
Statim ut occæcatu'ſt præ huius corporis candoribus?

EROTIVM, PENICVLVS, MENAEHMVS, ſubreptus.

E. ANime mi Menæhme ſalue. quid ergo extra numerū es (mihi?
M. Idem iſtuc alijs aſcriptiuis ad legionem ſolet.
Ego iſtic mihi apparari iuſſi apud te prælium.
Hodie aliud feci: næ uterque pro Ilio potabimus:
Vter ibi melior bellator erit inuenius cantharo,
(Tua legio eſt) adiudicato cum utro hanc noctem ſies.
Vt ego uxorem, mea uoluptas, ubi te aſpicio, odi male?
E. Interim nequis quin eius aliquid indutus ſies.
Quid hoc eſt? M. induuiæ tuæ, atque uxoris exuuiæ, roſa.
E. Superas facile, ut ſuperior ſis mihi, quàm quiſque qui imperat.
P. MERETRIX TANTISPER blanditur, dum illud quod rapiat, uidet.
Nam ſi amabas, oportebat iam naſum abreptum mordicus.
M. Suſtine has Penicule exuuias, facere dum ſuauium uolo.
P. Cedò. M. ſed obſecro hercle ſalta ſic cum palla poſtea.
P. Ego ſaltabo? M. ſanus hercle non es. P. egóne, an tu magis?
M. Si non ſaltas, exi igitur: nimio ego hanc periculo
Surripui hodie, meo animo: ab Hippolyta ſubcingulum
Haud Hercules æque magno unquam abſtulit periculo.
Cape tibi hanc, quom una uiuis meis morigera moribus.
P. Hoc animo decet animatos eſſe amatores probos,
Qui quidem ad mendicitatem ſe properent detrudere.
M. Quatuor minis ego emi iſtanc anno iam uxori meæ.
P. Quatuor minæ periêre planè, ut ratio redditur.

M. Scin' quid uolo ego te accurare? ER. ſcio, curabo quæ uoles.
M. Iube nobis tribus apud te prandium accurarier,
Atque aliquid ſit omentorum de foro obſonarier,
Glandulam ſuillam, laridum, pernam itidem, aut ſinciput,
Aut polimenta porcina, aut aliquid aliud ad eum modum.
Madida quæ mihi appoſita menſam miluinam ſuggerant,
Atque actûtum. ER. licet ecaſtor. M. nos prodimus ad forum.
Iam hic nos erimus. dum coquitur, interim potabimus.
ER. Quando uis ueni, parata res erit. M. propera modo.
Sequere tu. P. ego hercle uerò te & ſeruabo, & te ſequar:
Neque hodie ut te perdam, meream deûm diuitias mihi.
ER. Euocate intus Cylindrum mihi coquom actûtum foras.

EROTIVM, meretrix. CYLINDRVS, coquus.

E. SPortulam cape atq; argentum. eccos treis nummos habes?
C. Habeo. E. abi, atq; obſoniũ affer, tribus uide quod ſit ſatis.
Neq; defiat, neque ſuperſit. C. quoiuſmodi homines erunt?
E. Ego & Menæhmus, & paraſitus eius. C. iam iſti ſunt decem,
Nam paraſitus, hominum octo munus facile fungitur.
E. Elocuta ſum conuiuas: cæterum cura tu, eſſe.
C. Cocta ſunt, iube ire accubitum. E. redi cito. C. iam ego hic ero.

ACTVS SECVNDVS.

MENAEHMVS Soſides. MESSENIO, ſeruus.

Men. NVlla eſt uoluptas nauitis, Meſſenio,
Maior, meo animo, quàm quom illi ex alto procul
Terram conſpiciunt. MES. maior non dicam dolo,
Quàm ſi aduenieus terram uideas, quæ fuerit tua.
Sed quæſo quamobrem nunc Epidamnum uenimus?
Iam quaſi mare, omnes circuimus inſulas.
Men. Fratrem quæſitum geminum germanum meum.
Mes. Nam quid modi futurum eſt illum quærere?
Hic annus ſextu'ſt. poſtquam rei huic operam damus:
Iſtros, Hiſpanos, Maßylienſes, Illyricos,
Mare ſuperum omne, Græciamq; exoticam,
Oraſq; Italicas omneis, quas adgreditur mare,

Sumus

Sumus circumuecti. ſi ACVM, credo, QVAERERES,
Acum inueniſſes, ſi apparet tam diu.
Hominem inter uiuos quæritamus mortuum:
Nam inueniſſemus iam diu, ſi uiueret.

Men. Ergo iſtuc quæro certum qui faciat mihi,
Qui ſeſe dicat, ſcire eum eſſe mortuum.
Operam præterea nunquam ſumam quærere:
Verùm inter uiuos nunquam deſiſtam exequi.
Ego illum ſcio, quàm cordi ſit charus meo.

Mes. IN SCIRPO NODVM QVAERIS: quin nos hinc domum
Redimus. niſi ſi hiſtoriam ſcripturi ſumus.

Men. Dictum faceſſe elatum, & diſcaueas malo:
Moleſtus ne ſis, non tuo hoc fiet modo. MES. hem.
Illoc enim uerbo eſſe me ſeruom ſcio:
Non potuit paucis plura plane proloqui.
Veruntamen me nequeo continere quin loquar.
Audin' Menæhme? quom inſpicio marſupium,
Viaticati hercle admodum æſtiue ſumus.
Næ tu hercle opinor niſi domum reuorteris,
Vbi nihil habebis, geminum dum quæris, gemes.
Nanque Epidamnea natio eſt hæc ita hominum
Voluptarij atque potatores maxumi:
Tum ſycophantæ, & palpatores plurimi
In urbe hac habitant: tum meretrices mulieres,
Quæ nuſquam perhibentur blandiores gentium.
Propterea huic urbi nomen Epidamno inditum eſt,
Quia nemo fermè huc ſine damno diuortitur.

Men. Ego iſtuc cauebo. cedò dum mihi huc marſupium.

Mes. Quid eo uis? MEN. iam abs te metuo de uerbis tuis.

Mes. Quid metuis? MEN. ne mihi damnum in Epidamno duas,
Tu magnus amator mulierum es Meſſenio.
Ego autem homo iracundus animi perditi.
Id utrunque argentum quando habebo, cauero,
Ne tu delinquas, néue ego iraſcar tibi.

 Cape,

Mes. Cape, atque ſerua, me lubente feceris.

CYLINDRVS, MENAEHMVS Soſides. MESSENIO.

C. BEne obſonaui, atque ex mea ſententia:
Bonum anteponam prandium pranſoribus.
Sed eccum Menæhmum uideo à tergo meo.
Prius iam conuiuæ ambulant ante oſtium,
Quàm ego obſonatu redeo. adibo, atq; colloquar. Menæhme ſal
Men. Dij te amabunt quiſquis es. ſcis quis ego ſum? (uos ſis.
C. Non hercle uerò. ubi ſunt conuiuæ cæteri?
Men. Quos tu conuiuas quæris? C. paraſitum tuum.
Men. Meum Paraſitum? certe hic inſanus eſt homo.
Mes. Dixin' tibi eſſe hic ſycophantas plurimos?
Quem tu paraſitum quæris adoleſcens? C. tuum
Peniculum. MES. eccum in uidulo ego ſaluom fero.
C. Menæhme num uero huc aduenis ad prandium
Men. Nunc ipſo naturæ deo mihi reſponde
Adoleſcens: quibus hic pretijs porci ueneunt
Sacres, ſynceri? nummum unum en à me accipe,
Iube te piari de mea pecunia:
Nam ego quidem inſanum eſſe te certo ſcio,
Qui mihi moleſtus homini ignoto, quiſquis es.
C. Cylindrus ego ſum: non noſti nomen meum?
Men. Seu tu Cylindrus, ſeu Choriendrus, perieris.
Ego te non noui, neque nouiſſe adeò uolo.
C. Eſt tibi Menæhmi nomen tantum, quod ſciam.
Men. Pro ſano loqueris, qui me meo appellas nomine.
Sed ubi nouiſti tu me? C. ubi ego te nouerim,
Qui amicam habes heram meam hanc Erotium?
Men. Neque hercle habeo: neque ego te, quis homo ſis, ſcio.
C. Non ſcis quis ego ſim, qui tibi ſæpiſsime
Cyathiſſo apud nos, quando potas? MES. hei mihi
Quom nihil eſt, quicum illi homini diminuam caput.
Men. Tun' cyathiſſare mihi ſoles, qui ante hunc diem

Epida-

Epidamnum nunquam uidi, neque ueni? C. negas?
Men. Nego hercle uerò. C. non tu in illiſce ædibus
Habitas? MEN. dij illos homines, qui illic habitant, perduint.
C. Inſanit hic equidem, qui ipſe maledicit ſibi.
Audin' Menæhme? MEN. quid uis? C. ſi me conſulas,
Nummum illum, quem mihi dudum pollicitus dare
(Nam tu quidem hercle certo non ſanus ſatis
Menæhme, qui nunc ipſus maledicas tibi)
Iubeas ſi ſapias, porculum afferri tibi.
Mes. Tu hercle inſanus homo es, multum & odioſus mihi.
C. Solet iocari ſæpe mecum illo modo,
Quanuis ridiculus eſt, ubi uxor non adeſt.
Men. Quid ais tu? C. quid uis inquam? ſatin' hoc, quod uides,
Tribus uobis obſonatus, an obſono amplius,
Tibi, & paraſito, & mulieri? MEN. quas mulieres,
Quos tu paraſitos loquere? MES. quod te urget ſcelus,
Qui huic ſis moleſtus? C. quid tibi mecum eſt rei?
Ego te non noui: cum hoc quem noui fabulor.
Men. Non ædepol tu homo ſanus es, certo ſcio.
C. Iam ergo hæc mandemur faxo. nihil morabitur:
Proin' tu ne quò longius abeas ab ædibus.
Num quid uis? MEN. ut eas maxumam in malam crucem.
C. Ire hercle melius eſt te intrò, atque accumbere.
Dum ego hæc appono ad Volcani uiolentiam.
Ibo intrò, & dicam te hic aſtare Erotio,
Vt te hinc abducat potius, quàm hic adſtes foris.
Men. Iamne abijt ille? ædepol haud mendacia
Tua uerba. MES. exterior ſis, obſeruato modo.
Nam iſtic meretricem credo habitare mulierem,
Vt quidem inſanus ille dixit, qui hinc abijt modo.
Men. Sed miror quî ille nouerit nomen meum.
Mes. Minime hercle mirum: morem hunc meretrices habent.
Ad portum mittunt ſeruolos, ancillulas.
Si qua peregrina nauis in portum aduenit,

Rogi-

Rogitant quoiatis ſit, quid ei nomen ſiet.
Post illæ extemplo ſe applicant, agglutinant:
Si pellexerunt, perditum amittunt domum.
MEN. Sane cenſeo. MES. nunc in iſtoc portu ſtat nauis,
Abs qua cauendum eſt nobis prædatoria.
MEN. Mones quidem hercle rectè. MES. tum demum ſciam
Rectè monuiſſe, ſi tu rectè caueris.
MEN. Tace dum parumper: nam concrepuit oſtium:
Videamus qui hinc egreditur. MES. hoc ponam interim.
Adſeruatote hæc ſultis nauales pedes.

EROTIVM, CYLINDRVS, MENAEHMVS Soſides. MESSENIO.

ER. Sine fores ſic. abi: nolo opperirier intus: para,
Cura tu, quod opu'ſt. C. fiat. ER. ſternite lectos: incendite
Odores. MVNDITIA illecebra animo eſt amantium.
Amanti, amœnitas malo: ſed nobis eſt lucro.
Sed ubi nam eſt ille, quem coquos mihi ante ædeis ait?
Atque eccum uideo, qui mihi uſui eſt, & plurimum
Prodeſt: item huic ultrò fit ut meret, potiſſumus
Vt noſtræ domui ſit. nunc eum adibo, atque ultro alloquar.
Animule mi Menæhme cur uideo te ſtare hic foris?
Fores quoi pateant magis, quàm domus tua, domus quom hæc tua ſit?
Prandium, ut iuſsiſti, hic curatum: ubi lubet, ire accubitum licet.
MEN. Quicum hæc mulier loquitur? ER. equidem tecum. MEN. quid mecum tibi
Fuit unquam, aut nunc eſt negotij? ER. quia pol te unũ ex omnibus
Venus uoluit me magnificare, neque id immerito tuo.
Nam ecaſtor ſolus bene factis me florentem facis.
MEN. Certo hæc mulier aut inſana, aut ebria eſt Meſſenio,
Quæ hominem ignotum compellet me tam familiariter.
MES. Dixin' ego iſtæc hic ſolere fieri? FOLIA NVNC cadunt,
Præ ut, ſi triduum hoc hic erimus: tum arbores in te cadent.
Nam ita ſunt hic meretrices omnes illecebræ argentariæ.

Sed

Sed ſine me dum hanc compellare. heus mulier tibi dico. ER. quid eſt?

Mes. Vbi tu hunc hominem nouiſti? ER. ibidem, ubi hic me, iam diu
In Epidamno. MES. in Epidamno? qui huc in hanc urbem pedem
Niſi hodie nunquam intrò tetulit? ER. eia, delicias facis
Mi Menæhme. quin ámabo is intrò? hic tibi erit rectius.

Men. Hæc equidem ædepol rectè appellat me meo mulier nomine.
Nimis miror, quid hoc ſit negoti. MES. oboluit marſupium
Huic iſtuc, quod habes. MEN. atque ædepol monuiſti probe.
Accipe dũ hoc: iam ſcibo, utrũ hæc me mage amet, an marſupiũ.

ER. Eamus intrò ut prandeamus. MEN. bene uocas, tum gratia eſt.

ER. Cur igitur tibi me iuſſiſti coquere dudum prandium?

Men. Egóne te iuſſi coquere? ER. certo tibi & Paraſito tuo.

Men. Quoi, malùm, paraſito? certe hæc mulier non ſana eſt ſatis.

ER. Peniculo. MEN. quis is eſt Peniculus, qui extergentur baxeæ?

ER. Scilicet qui dudum tecum uenit, quom pallam mihi
Detuliſti, quam uxori ſurripuiſſe aiebas tuæ.

Men. Tibi pallam dedi, quam uxori meæ ſurripui? ſanáne es?
Certe hæc mulier CANTHERINO ritu aſtans ſomniat.

ER. Quî lubet ludibrio habere me, atque ire inficias mihi,
Facta quæ ſunt? MEN. dic quid eſt id quod negẽ quod fecerim?

ER. Pallam te hodie mihi dediſſe uxoris. MEN. iam nunc nego
Ego quidẽ: neq; unq̃ uxorem habui, neq; habeo: neq; huc unquã
Poſtquam ſum natus, intra portam penetraui pedem.
Prandi in naui: inde huc ſum egreſſus: te conueni. ecce rem.

ER. Perij miſera, quam tu nunc mihi nauem narras? MEN. ligneam,
Sæpe tritam, ſæpe fixam, ſæpe excuſſam malleo.
QVASI ſupellex pellionis palus palo proxumus eſt.

ER. Iam ámabo deſine ludos facere. atque i hâc mecum ſimul.

Men. Nam quem mulier alium hominem, non tu me quæritas.

ER. Non ego te noui Menæhmum Moſcho prognatum patre:
Qui Syracuſis perhibêre natus eſſe in Sicilia:
Vbi rex Agathocles regnator fuit, & iterum Pythia,
Tertium Olympia, qui in morte regnum Hieroni tradidit?

Nunc

MEN. Nunc heroas haud falſo mulier prædicas. MES. proh Iupiter,
Nunc iſthæc mulier illinc uenit, quæ te nouit tam cate.
MEN. Hercle opinor pernegari non poteſt. MES. ne feceris:
Periſti, ſi intraſsis intra limen. MEN. quin tu tace modo.
Bene res geritur. aſſentabor quicquid dicet mulier,
Si poßim hoſpitium nanciſci. iam dudum mulier tibi
Non imprudens aduerſabar: hunc metuebam, ne meæ
Vxori renuntiaret de palla, & de prandio.
Nunc quandò uis eamus intrò. ER. etiam paraſitum manes?
MEN. Neque ego illum maneo, neque flocciſacio, neque ſi uenerit,
Eum intromitti uolo. ER. ecaſtor haud inuita fecero.
MEN. Sed ſcin' quid te ámabo ut facias impero? ER. quid uis modo?
MEN. Pallam illam quã dudum dederam, ad Phrygionẽ, ut deferam,
Vt reconcinnetur, atque ut opera addantur, quæ uolo.
ER. Hercle quin tu rectè dicis. MEN. eadem ignorabitur,
Ne uxor cognoſcat te habere, ſi in uia conſpexerit.
ER. Ergo mox auferto tecum quando abibis. MEN. maxume.
ER. Eamus intrò. MEN. iam ſequar te. hunc uolo etiam colloqui.
Eho Meſſenio accede huc. MES. quid negotij eſt ſuſciri?
Quid eo opus eſt? MEN. ſcio, ut me dicas tanto nequiorem.
Habeo prædam, tantum incœpi operis. & quantum potes,
Abduc iſtos in tabernam actûtum diuerſoriam.
Tu facito ante ſolis occaſum, ut uenias aduorſum mihi.
MES. Non tu iſtas meretrices nouiſti here. MEN. tace inquam, mihi
Dolebit, non tibi, ſi quid ego ſtulte fecero.
Mulier hæc ſtulta atque inſcita eſt, quantum perſpexi modo.
Eſt hic præda nobis. MES. perij. MEN. iámne abis? MES. perij: tibi probe
Ducit lembum direcctum nauis prædatoria.
Sed ego inſcitus, qui hero me poſtulem moderarier:
Dicto me emit audientem, haud imperatorem ſibi.
Sequimini: ut quod imperatum eſt, ueniam aduorſum tempori.

ACTVS TERTIVS.

PENICVLVS, paraſitus.

Plus

PLus triginta annis natus ſum, quom ego interea loci
Nunquam quicquam facinus feci peius, neque ſcelestius,
Quàm hodie, quom in concionem mediam me immerſi miſer.
Vbi, dij, mihi Menæhmus ſe ſubtraxit mihi,
Atque abijt ad amicam credo, neque me uoluit ducere.
Vbi illum dij omnes perduint, qui primus commentus eſt
Concionem habere, quæ homines occupatos occupat.
Nanque ad eam rem otioſos homines decuit deligi,
Qui niſi adſint, quom citemur, cenſus capiant illico.
Ad forum eſt hominum indies, qui ſingulas eſcas edunt.
Queis negoti nihil eſt, qui eſum neque uocamur, neque uocant:
Hos oportet concioni dare operam, atque comitijs.
Si id ita eſſet, non ego hodie perdidiſſem prandium:
Quoi tam credo datum uoluiſſe, quàm me uideo uiuere.
Ibo etiamnum: reliquiarum ſpes animum oblectat meum.
Sed quid ego uideo Menæhmum? cum corona exit foras.
Sublatum eſt conuiuium. ædepol uenio aduorſum tempori.

MENAEHMVS Soſides. PENICVLVS.

M. POtin' ut quieſcas, ſi ego tibi hanc hodie probe
Lepideq́; concinnatam referam tempori?
Non faxo eam eſſe dices, ita ignorabitur.
P. Pallam ad Phrygionem fert confecto prandio
Vinoq́; epoto, paraſito excluſo foras.
Non Hercule is ſum, qui ſum: ni hanc iniuriam,
Meq́; ultus pulchre fuero. obſeruabo quid agat
Hinc primùm: pòst, hunc hominem adibo, atque alloquar.
M. Proh dij immortales: quoi homini unquam uno die
Boni dediſtis plus, qui minus ſperauerit?
Prandi, potaui, ſcortum accubui, atque abſtuli
Hanc, quoius hæres nunquam erit poſt hunc diem.
P. Nequeo quæ loquitur exaudire clanculum.
Satur nunc loquitur de me, & de parti mea.
M. Ait hanc dediſſe me ſibi, atque eam meæ
Vxori ſurripuiſſe. quoniam ſemio

Errare, extemplo, quaſi res cum ea eſſet mihi,
Cœpi aſſentari: mulier quidquid dixerat,
Idem ego dicebam. quid multis uerbis opu'ſt?
Minore nuſquam bene fui diſpendio.

P. Adibo ad hominem: nam turbare geſtio.

M. Quis hic eſt, qui aduorſum ſit mihi? P. quid ais homo
Leuior quàm pluma, peſſume, & nequiſſume,
Hominis flagitium, ſubdole, ac minimi pretij?
Quid de te merui, qua me cauſſa perderes?
Vt ſurripuiſti te mihi dudum de foro?
Feciſti funus abſenti me prandio:
Cur auſus facere, quom ego ea, qua tu eras, eram?

M. Adoleſcens quæſo quid tibi mecum eſt rei,
Qui mihi maledicas ignoto inſciens? an tibi
Malam rem uis pro maledictis dari poſtea?

P. Eam. quid eſt? ædepol te dediſſe intellego.

M. Reſponde adoleſcens quæſo, quid tibi nomen ſit.

P. Etiam derides, quaſi nomen non noueris?

M. Non ædepol ego te, quod ſciam, unquam ante hunc diem
Vidi, neque noui. uerùm te hortor quiſquis es,
Si æquum facias, ut mihi odioſus ne ſies.

P. Non me nouiſti? M. non negem, ſi nouerim.

P. Menæhme uigila. M. uigilo hercle quidem, quod ſciam.

P. Tuum paraſitum non nouiſti? M. non tibi ſanu'ſt
Adoleſcens ſinciput, intellego. P. reſpondeas,
Surripuiſti uxori tuæ pallam iſtanc hodie,
Atque dediſti Erotio? M. neque ego uxorem habeo, neque
Ego Erotio dedi, nec pallam ſurripui.

P. Satin' ſanus es? occiſa eſt hæc res. non ego
Te indutum palla exire uidi iſtinc foras?

M. Væ capiti tuo, omnes cinædos cenſes nunc, quia tu es.
Tun' me indutum fuiſſe pallam prædicas?

P. Ego hercle uerò. M. non tu hinc abis quò dignus es?
Aut te piari iubes homo inſaniſſume?

P. Nunquam ædepol quiſquam me exorabit, quin tuæ
Vxori rem omnem iam, geſta ut ſit, eloquar.
Omnes in te iſtæc recident contumeliæ:
Faxo haud inultum prandium comederis.

M. Quid hoc eſt negotij? ſatin' ut quenq; conſpicor,
Ita me ludificam? ſed concrepuit oſtium.

ANCILLA, MENAEHMVS Soſides.

A. MEnæhme, orare ait te multum Erotium
Vt hoc una opera ad aurificem deferas,
Atque huic ut addas auri pondo unciam,
Iubeasq; ſpinter nouom reconcinnarier.

M. Et iſtuc, & aliud, ſi quid curari uolet,
Me curaturum dicito quicquid uolet.

A. Scin' quod hoc ſit ſpinter? M. neſcio, niſi aureum.

A. Hoc eſt quod olim clanculum ex armario
Te ſurripuiſſe aiebas uxori tuæ.

M. Nunquam hercle factum. A. non tu meminiſti obſecro?
Redde igitur ſpinter, ſi non meminiſti. M. mane:
Imò equidem memini, nempe hoc eſt, quod illi dedi.
Iſtuc. ubi hercle armillæ ſunt, quas unà dedi?

A. Nunquam dediſti. M. nam pol una dedi dic.

A. At te accurare dicit. M. accurabitur.
Hæc palla, & ſpinter faxo referantur ſimul.

A. Amabo mi Menæhme, inaureis da mihi
Faciunda pondo duûm nummûm * ſtalagmia, *ſpathalia.
Vt te lubenter uideam, quom ad nos ueneris.

M. Fiat. cedò aurum, ego manu pretium dabo.

A. Da ſodes abs te: pòſt reddidero tibi.

M. Imò cedò abs te. A. ego pòſt tibi reddam duplex.

M. Non habeo. A. at tu quando habebis, tum dato.
Num quid me uis? M. hæc me curaturum dicito,
Vt quantum poſſit, quamq; liceat, reueniant.
Iamne abijt intrò? abijt, obtrudit foreis.
Dij me quidem omnes adiuuant, augent, amant.

Sed quid ego ceſſo, dum datur mihi occaſio?
Tempu'ſt abire ab his locis lenonijs.
Propera Menæhme, fer pedem, confer gradum.
Demam coronam, atque abijciam ad læuam manum:
Vt qui ſequantur, hâc me abiſſe cenſeant.
Ibo, & conueniam ſeruom, ſi potero, meum:
Vt hæc, quæ bona dij mihi dant, ex me ſciat.

ACTVS QVARTVS.

MVLIER, uxor. PENICVLVS.

V. EGone hic mendiciar in matrimonio,
Vbi uir compilet clanculum quicquid domi eſt,
Atque ad amicam deferat? P. quin tu taces?
Manifeſto faxo iam opprimes: ſequere hâc modo.
Pallam ad Phrygionem cum corona hinc
Ferebat hodie, tibi quam ſurripuit domo.
Sed eccam, quam coronam habuit: num mentior?
V. Hem hâc abijt. P. ſi uis perſequi ueſtigijs,
Atque ædepol eccum optume reuortitur:
Sed pallam non fert. V. quid ego nunc cum illo agam?
P. Idem quod ſemper, male habeas. V. ſic cenſeo.
P. Huc concedamus ex inſidijs aucupa.

MENAEHMVS ſubreptus, MVLIER, uxor. PENICVLVS.

ME. AT hoc uiuitur more morum moleſto maxume omnium:
Atq; uti quiq; optumi ſunt maxumi, morem hũc habent:
CLIENTIS ſibi omnes uolunt eſſe multos: bonine an mali ſient,
Id haud quæritant. res quæritur magis, quàm clientum fides,
Quoiuſmodi cluat. ſi pauper eſt, atque haud malus:
Nequam habetur. ſin diues malus eſt: habetur is cliens
Frugi. qui neq; leges, neq; æquom, neque bonum uſquam colunt,
Solicitos patronos habent: datum denegant, quod datum eſt.
Litium pleni, rapaces, fraudulenti ſunt uiri:
Qui aut fœnore, aut periurijs paratam rem habent.

Men

Mens in querelis. iuris ubi dicitur dies, ſimul
Patronis dicitur: quippe qui pro illis, quæ maleſecerint,
Loquantur: aut ad populum, aut in iure, aut ad iudicem res eſt.
Sicut me hodie nimis ſolicitum quidam habuit cliens:
Neque quod uoluit agere, quicquam licitum eſt, ita me àdtinuit,
Ita detinuit apud ædiles prælijs factis plurimis,
Peſſumisq́;. dixi cauſſam, conditiones retuli
Tortas, confragoſas: plus minus opus quàm erat, multo dixeram
Controuerſiam, ut ſponſio fieret. quid ille? prædam dedit.
Nec magis ego manifeſto teneri hominem unquam uidi
Omnibus malefactis: teſtes tres aderant acerrumi.
Di illum omnes perdant: ita mihi hunc hodie corrupit diem:
Meq́; adeò, qui hodie forum oculis unquàm inſpexi meis.
Iuſſi apparari prandium. amica expectat me, ſcio.
Vbi primùm eſt licitum, illicò properaui abire de foro.
Irata eſt credo nunc mihi. placabit palla, quam dedi.
Quam hodie uxori abſtuli, atq; huic detuli. P. quid ais? V. uiro
Me malo male nuptã. P. ſatin' audis, quæ illic loquitur? V. ſatis.
M. Si ſapiam, hinc intrò abeam, ubi mihi bene ſit. V. mane, male
erit potius.
Ne illam mecaſtor fœnerato abſtuliſti? ſic datur?
Clanculum te iſtæc flagitia facere cenſebas poteſſe?
M. Quid illuc uxor negotij? V. mén' rogas? M. uin' hunc rogem?
P. Aufer hinc palpationes. M. perge tu quid tu mihi
Triſtis es? ſcire oportet. P. ſcit, ſed diſsimulat malus.
M. Quid negotij eſt? V. pallã M. pallam, quid? V. pallã: quid paues?
M. Nihil equidem, niſi unum: palla pallorem incutit.
P. An tune etiam mecum eſſes prandium? perge in uirum.
M. Non taces? P. non hercle uerò taceo. nutat, ne loquar.
M. Non hercle ego quidem uſquam quicquam nuto, neq; nicto tibi.
V. Næ ego ecaſtor mulier miſera. M. quî tu miſera es? mihi expedi.
P. Nihil confidentius, qui quæ uides, ea pernegat.
M. Per Iouem, deosq́; omneis adiuro uxor: ſatin' hoc eſt tibi?
Me iſti num nutaſſe credis? V. iam tibi de iſtis. illuc redi.

M. Quò ego redeã? V. equidẽ ad Phrygionem cenſeo, et pallã refer.
M. Quæ iſtæc palla eſt? V. taceo iã, quandò nec rem meminit ſuam.
M. Num quis ſeruorum deliquit? num ancillæ, aut ſeruæ tibi?
Reſponſa, aut loquere: impune non erit. V. nugas agis.
M. Triſtis admodum es, non mihi iſtuc ſatis placet. V. nugas agis.
M. Certe familiarium aliquoi irata es. V. nugas agis.
M. Num mihi es irata ſaltem? V. nunc tu non nugas agis.
M. Dic mea uxor, quid tibi ægre eſt? P. bellus blanditur tibi.
M. Potin' ut moleſtus ne ſis? non te appello. P. aufer manum.
Sic datur. properato abſente me comeſſe prandium.
Pòſt ante ædeis cum corona hederæ huc intrò tetuliſti pedẽm.
M. Neque pol ego prandi: neque hodie huc intrò tetuli pedem.
P. Tún' negas? M. nego hercle uerò. P. nihil hoc homine audacius:
Non ego te modo hic ante ædeis cum corona florea
Vidi aſtare, quom negabas mihi eſſe ſanum ſinciput,
Et me negabas nouiſſe? peregrinum aiebas eſſe te?
M. Quin ut dudum diuerti abs te, redeo nunc demum domum.
P. Noui ego te, non mihi cenſebas eſſe, qui te ulciſcerer.
Omnia hercle uxori dixi. M. quid dixiſti? P. neſcio:
Eã ipſus roga. M. quid hoc eſt uxor? quid nã hic narrauit tibi?
Quid id eſt? quid taces? quin dicis quid ſit? V. quaſi tu neſcias:
Palla eſt mihi domo ſubrepta. M. palla ſubrepta eſt tibi?
V. Mén' rogas? M. pol haud rogẽ te, ſi ſciam. P. ô hominẽ malum,
Vt diſſimulat? V. non potes celare: rem noui probe.
P. Omnia herclè ego edictaui. M. qd id eſt? V. quandò nihil pudet,
Neq; uis tua uoluntate ipſe profiteri, audi, atque ades:
Et quid ſim triſtis, & quid mihi hic dixerit, faxo ſcias.
Palla eſt mihi domo ſubrepta. N. palla ſubrepta eſt tibi?
P. Vidén' ut ſceleſtus capiat? huic ſubrepta eſt, non tibi.
Nam profecto tibi ſubrepta ſi eſſet, ſalua non foret.
M. Nihil mihi tecũ eſt. ſed quid tu ais? V. palla inquam perit domo.
M. Quis eam ſurripuit? V. pol iſtuc ille ſcit, qui illam abſtulit.
M. Quis homo eſt? V. Menæhmus quidam. M. ædepol factum nequiter

Quis

Quis is Menæhmus eſt? V. tu iſtic. M. egóne? V. tu. M. quis arguit?

V. Egomet. P. & ego. atque huic amicæ detuliſti Erotio.

M. Egon' dedi? P. tu, tu inquam. uin' afferri noctuam,
Quæ, tu tu, uſque dicat tibi? nam nos iam nos defeſsi ſumus.

M. Per Iouem deósq; omneis adiuro uxor. ſatin' hoc eſt tibi?
Non dediſſe. P. imò hercle uerò nos non falſum dicere.

M. Ego illam non condonaui: ſed ſic utendam dedi.

V. Equidem tuam nec chlamydem defero, nec pallium quoiquam
Vtendum. mulierem æquom eſt ueſtimentum muliebre
Dare foras, uirum uirile. quin refers pallam domum?

M. Ego faxo referetur. V. ex re tua, ut opinor, feceris.
Nam domum nunquam introibis, niſi feres pallam ſimul.

M. Ego domũ? P. quid mihi futurum eſt, qui tibi hanc operam dedi?

V. Opera reddetur, quando quid tibi erit ſubreptum domo.

P. Id quidem ædepol nunquam erit: nam nihil eſt, quod perdã domi
Commune cum uxore. dij uos perdant: properabo ad forum.
Nam ex hac familia me planè excidiſſe intellego.

M. Male uxor mihi ſe feciſſe cenſet, quom excludit foras:
Quaſi non habeam, quò intromittar, alium meliorem locum.
Si tibi diſpliceo, patiundum: at placuero huic Erotio,
Quæ me non excludet à ſe, ſed apud ſe occludet domi.
Nunc ibo: orabo, ut mihi pallam reddat, quam dudum dedi,
Aliam illi redimam meliorem. ecquis hic eſt ianitor?
Aperite, atque Erotium aliquis euocate ante oſtium.

EROTIVM, meretrix. MENAEHMVS ſubreptus.

E. Quis à me hic quærit inimicitias ſibi, atq; ætati ſuæ?
Mi Menæhme cur ante ædeis aſtas? ſequere intrò. M.
Scin' quid eſt, quod ego ad te uenio? E. ſcio: (mane:
ut tibi ex me ſit uoluptas.

M. Imò ædepol pallam illam amabo, quam tibi dudum dedi,
Mihi eam redde. uxor reſciuit rem omnem ut factum eſt ordine.
Ego tibi redimam bis tanto pluris pallam, quam uoles.

E. Tibi dedi equidem illam, ad Phrygionem ut ferres, paulò prius:

Et ſpinter, ut ad aurificem ferres, ut fieret nouom.

M. Mihi tu dederis pallam, & ſpinter? nunquam factum reperies.
Nam ego quidẽ poſtq̃ illam dudum tibi dedi, atq; abij ad forum:
Nunc redeo, nunc te poſt illa uideo. E. uideo quam rem agis:
Quia commiſi, ut me defrudes, ad eam rem affectas uiam.

M. Neque pol te defrudandi cauſſa poſco: quin tibi dico,
Vxorem reſciuiſſe. E. nec te ultrò oraui, ut dares:
Tute ultrò ad me detuliſti, dediſti eam dono mihi:
Eandem nunc repoſcis. patiar. tibi habe. aufer. utere
Vel tu, uel tua uxor, uel etiam in oculos compingite.
Tu huc poſt hunc diem pedem intrò non feres, ne fruſtra ſis.
Quandò tu me bene merentem tibi habes deſpicatui,
Niſi feres argentum: fruſtra me ductare non potes.
Aliam poſthac tibi inuenito, quam habeas fruſtratui.

M. Nimis iracunde hercle. tandem heus tu, tibi dico, mane,
Redi. E. etiámne aſtas? etiam audes mea reuorti gratia?

M. Abijt intrò ocyus in ædeis. nunc ego ſum excluſiſsimus:
Neque domi, neque apud amicam mihi iam quicquam creditur.
Ibo, & conſulam hanc rem amicos, quid faciundum cenſeant.

ACTVS QVINTVS.

MENAEHMVS Soſides. MVLIER, uxor.

M. Nimis ſtulte dudum feci, quom marſupium
Meſſenioni cum argento concredidi:
Immerſit aliquò ſeſe credo in ganeum.

V. Prouiſam quàm mox uir meus redeat domum.
Sed eccum uideo: ſalua ſum, pallam refert.

M. Demiror ubi nunc ambulet Meſſenio.

V. Adibo, atque hominem accipiam quibus dictis meret.
Non te pudet prodire in conſpectum meum,
Flagitium hominis, cum iſtoc ornatu? M. quid illud eſt?
Quæ res te agitat mulier? V. etiam túnc impudens
Mutire unum uerbum audes, aut mecum loqui?

M. Quid tandem admiſi in te, ut loqui non audeam?

V. Rogas me? ô hominis impudentem audaciam.

M. Non tu ſcis mulier, Hecobam quapropter canem
Græci eſſe prædicabant? V. non equidem ſcio.
M. Quia idem faciebat Hecoba, quod tu nunc facis:
Omnia mala ingerebat, quenque aſpexerat:
Itaque adeò iure cœpta appellari canis.
V. Non iſtæc ego flagitia poſſum perpeti.
Nam me ætatem meam uiduam eſſe mauelim,
Quàm iſtæc flagitia tua pati, quæ tu facis.
M. Quid id ad me, tute nuptam poſsis perpeti,
An ſis abitura à tuo uiro, an non? V. mos ita eſt.
M. Hæc peregrino ut aduenienti narrat fabulas?
V. Quas fabulas? non inquam patiar præter hac,
Quin uidua uiuam, quàm tuos mores perferam.
M. Mea quidem hercle cauſſa uidua uictita.
Vel uſque dum regnum obtinebit Iupiter.
V. At mihi negabas dudum ſurripuiſſe te,
Nunc eandem ante oculos attines. num te pudet?
M. Heu hercle mulier multum & audax & mala es.
Tun' tibi hanc ſubreptam dicere audes, quam mihi
Dedit alia mulier, ut concinnandam darem?
V. Næ iſtuc mecaſtor iam patrem accerſam meum.
Atque enarrabo tua flagitia, quæ facis.
Heus Decio, quære meum patrem: tecum ſimul
Vt ueniat huc ad me, ita rem illi eſſe dicito.
Iam ego aperiam iſtæc tua flagitia. M. ſanan' es?
Quæ mea flagitia? V. pallam atque aurum meum domo
Quom ſuppilas tuæ uxori: atque illud tuæ
Degeris amicæ: ſatin' hæc recte fabulor?
M. Quæſo hercle mulier, ſi ſcis, monſtra quod bibam,
Tuam quî poſsim perpeti petulantiam.
Quem tu hominem me arbitrare? V. neſcio te ego.
M. Scis tu me? V. non te noui? quom Parthaon es,
Me derides. at pol illum iam non potes
Patrem meum, qui huc aduenit, quin reſpicis?

Nouiſtin' tu illum? M. noui cum Calcha ſimul.
Eodem die uidi illum, quo te ante hunc diem.
V. Negas nouiſſe me? negas patrem meum?
M. Idem hercle dicam, auom ſi uis adducere.
V. Ecaſtor pariter hoc, atque alias res, ſoles.

SENEX, VXOR, MENAEHMVS Soſides.

SE. VT ætas mea eſt, atq; ut hic uſus facto eſt, gradũ proferã,
Progredi properabo: ſed id quàm facile ſit, haud mihi ſum falſus:
Nam pernicitas deſerit: conſitus ſum ſenectute: onuſtum gero
Corpus: uires reliquêre. ut AETAS MALA EST MERX? mala eſt ergo:
Nam res plurimas peſſumas cũ aduenit, affert: quas ſi autumem
Omneis, nimis longus ſermo eſt. ſed ea res mihi
In pectore, & corde dura eſt, quid nam hoc ſit negotij,
Quòd filia ſic repente expetit me, ut ad ſe irem: nec quid
Id ſit, mihi certius facit, quid uelit, quid me accerſit.
Verùm propemodum iam ſcio quid ſiet rei: credo
Cum uiro litigium natum eſſe aliquod: ita iſtæc ſolent, quæ uiros
Subſeruire ſibi poſtulant, fretæ, dote feroces.
Et illi quoq; haud abſtinẽt ſæpe culpa. uerùm eſt modus tamen,
Quo id pati uxorem oportet. nec pol filia unquã accerſit patrem
Ad ſe, niſi quid commiſſi adiurgij eſt cauſſa. ſed quicquid eſt,
Iam ſciam. atque eccam eam ipſam ante ædeis, & eius triſtem uirum uideo.
Id eſt quod ſuſpicabar. ibo aduorſum, appellabo hanc.
V. Salue multum mi pater. SE. ſalua ſis. ſed cur ab tuo ſeruo
Accerſi iubes? quid tu es triſtis? quid ille abs te iratus
Deſtitit? neſcio quid uos uelitati eſtis inter uos duos.
Loquere, uter meruiſtis culpam, paucis, non longos logos.
V. Nuſquam equidẽ quicquã deliqui: hoc primũ te abſoluo pater.
Verùm uiuere hic non poſſum, neq; durare ullo modo,
Proin' tu me hinc abducas. SE. quid iſtuc eſt? V. ludibrio pater
Habeor.

Habeor. SE. unde? V. ab illo quoi mandauiſti meo uiro.
SE. Ecce autem litigium. quoties tandem edixi tibi,
Vt caueres, neuter ad me iretis cum querimonia?
V. Quî ego iſtuc mi pater cauere poſſum? SE. me interrogas?
Niſi non uis. quoties monſtraui tibi, uiro ut morem geras?
Quid ille faciat, ne id obſerues, quò eat, quid rerum gerat.
V. At enim ille hanc amat meretricem ex proxumo. SE. ſanè ſapit.
Ob iſtanc induſtriam etiam faxo amabit amplius.
V. Atque ibi potat. SE. tuán' ille cauſſa potabit minus,
Siue illic, ſiue alibi lubebit? quæ hæc (malùm) impudentia eſt?
Vna opera prohibere, ad cœnam ne promittat, poſtules:
Néue quenquam accipiat alienum, apud te ſeruirén' tibi
Poſtulas uiros? dare una illi opera penſum poſtules:
Inter ancillas ſedere iubeas, lanam carpere.
V. Non quidem mihi aduocatum pater adduxi, ſed uiro.
Hinc ſtas, illinc cauſam dicis, ſi ille quid deliquerit.
SE. Multo tanto illum accuſabo, quàm te accuſaui, amplius.
Quandò te auratam & ueſtitam bene habet, ancillas, penum
Rectè præbet: melius ſanam eſt mulier mentem ſumere.
V. At ille mihi ſuppilat aurum, & pallas ex arcis modo
Me deſpoliat, mea ornamenta ad meretrices degerit.
SE. Male facit, ſi iſtuc facit: ſi non facit, tu male facis,
Quæ inſontem inſimules. V. quinetiam nunc habet pallam pater
Et ſpinter, quod ad hanc detulerat: nunc quia reſciui, refert.
SE. Iam ego ex hoc, ut factũ eſt, ſcibo. hominẽ adibo, atq; alloquar.
Dic mihi iſtuc Menæhme: quod uos diſſertatis, ut ſciam.
Quid tu triſtis es? quid illam autem iratam abs te deſtituis?
M. Quiſquis es, quicquid tibi nomen eſt ſenex, ſummum Iouem,
Deosq; deteſtor. SE. qua de re, aut quoi omnium rei?
M. Me neque iſti male feciſſe mulieri: neque quod me arguit,
Hanc domo abs ſe ſurripuiſſe, atque abſtuliſſe. delirat.
Si ego intra ædeis huius unquam, ubi habitat, penetraui pedem,
Omnium hominum exopto ut fiam miſerorum miſerrumus.
SE. Sanin' es, qui iſtuc exoptes, aut neges te unquam pedem

In eas ædeis intuliſſe? ubi habitas inſaniſſume?
M. Tun' ſenex ais habitare me in illiſce ædibus? SE. tu negas?
M. Nego hercle uerò: imò ſi non hæc eludere neget.
V. Niſi ex quo nocte emigraſti. SE. concede hoc filia.
Quid tu ais? non hinc emigraſti? M. quem in locum? aut quam ob rem obſecro?
SE. Non ædepol ſcio. V. profecto ludit te hic: non tute tenes?
SE. Iam uerò Menæhme ſatis iocatus, nunc ad rem age redi.
M. Quæſo quid mihi tecũ eſt? unde, aut quis homo tu es? quid nocui
Tibi, aut adeò iſti, quæ mihi moleſta eſt quoquo modo?
V. Viden' tu illi oculos urier? ut uiridis exoritur color
Ex temporibus, atque fronte: ut oculi ſcintillant, uide.
M. Quid? mihi melius eſt, quandò illi me inſanire prædicant,
Ego me aſsimulem inſanire, ut illos à me abſterream.
V. Vt pandiculans oſcitatur? quid nunc faciam mi pater?
SE. Concede huc mea nata ab iſtoc quàm potes longiſſume.
M. Euhoe atque heu Bromie, quò me in ſyluam uenatum uocas?
Audio: ſed non abire poſſum ab his regionibus,
Ita me illa ab læua rabioſa fœmina obſeruat canis.
Pòſt autem illic hircus alius, qui ſæpe ætate in ſua
Perdidit ciuem innocentem falſo teſtimonio.
SE. Væ capiti tuo. M. ecce Apollo mihi ex oraculo imperat,
Vt illi oculos exuram lampadibus ardentibus.
V. Peri mi pater, minatur mihi oculos exurere.
M. Hei mihi, inſanire me aiunt ultrò, quom ipſi inſaniunt.
SE. Filia. V. heus quid eſt? quid agimus? SE. quid ſi ego huc ſeruos cito?
Ibo, adducam, qui hunc hinc tollant, & domi deuinciant,
Prius quàm turbarum quid faciat. M. amplius enim hæreo.
Ni occupo aliquid mihi conſilium, hi domum me ad ſe auferent
Pugnis cæſum. V. notas in huius ore quicquam pater?
SE. Næ iam his oculis abſcedat in malam magnam crucem.
M. Faciam, quod iubes, Apollo. SE. fuge domum quantum potes,
Ne hic te obtundat. V. fugio ámabo: obſerua iſtunc mi pater,
Ne quò

Ne quò hinc abeat. ſum'ne ego mulier miſera; quæ illæc audio,
Aut male illunc amo? M. uirũ hunc ego perimam impuriſſimum,
Barbatum, tremulum, Titanum, Cycno prognatum patre.
Ita mihi imperas, ut ego huius membra, atque oſſa, atque ai tua
Comminuam illo ſcipione, quem ipſe habet. dabitur malum.

SE. Me quidem ſi attigeris, aut ſi propius ad me acceſſeris.

M. Faciam quod iubes, ſecurim capiam ancipitem, atque hunc ego
Senem exoſſem reddam, dedolabo aſſulatim uiſcera.

SE. Enimuero illud præcauendum, atq; accurandum mihi.
Sanè ego illum metuo, ut minatur, ne quid male faxit mihi.

M. Multa mihi imperas Apollo, nunc equos iunctos iubes
Capere me indomitos feroces, atque currum inſcendere,
Vt ego hunc proteram leonem Getûlum olentem, edemulum.
Iam aſcẽdo in currum, iam lora teneo, iam ſtimulus in manu eſt.
Agite equi, facitote ſonitus ungularum appareant
Curſu celeri, facitote in flexu ſit pernicitas
Pedum. malim equis iunctis manere: & ecce Apollo denuo
Me iubes facere impetum in eum, qui ſtat, atque occidere.
Sed quis hic eſt, qui capillo me hinc de curru deripit,
Imperium tuum demutat atq; edictum Apollinis?
Heu hercle morbum acrem & durum: dij uoſtram fidem.

SE. Vel hic qui nunc inſanit, quàm ualuit paulò prius?
Ei ecce derepente tantus morbus incidit,
Ibo atque accerſam, adducamq; medicum iam, quantum poteſt.

MENAEHMVS Soſides. SACERVS, ſeruus.

M. IAm'ne iſti abiêre quæſo ex conſpectu meo,
Qui me ui cogunt, ut ualidus inſaniam?
Quid ceſſo abire ad nauem, dum ſaluo licet?
Vos omneis quæſo, ſi ſenex reuenerit,
Ne me indicetis, qua platea hinc aufugerim.

S. Lumbi ſedendo, oculi ſpectando dolent,
Manendo medicum, dum ſe ex opere recipiat:
Odioſus tandem uix ab ægrotis uenit:
Ait ſe obligaſſe crus fractum Aeſculapio,

Apolli-

Apollini autem brachium. nunc cogito
Vtrum me dicam ducere, medicum, an fabrum.
Atque eccum incedit, mouet formicinum gradum.

MEDICVS, SENEX.

M. QVid eſſe illi morbi dixeras? narra ſenex.
Num laruatus erat, aut ceritus? fac ſciam.
Num eum ueternus, aut aqua intercus tenet?
S. Quin ea cauſa duco te, ut id dicas mihi:
Atque illum ut ſanum facias. M. perfacile id quidem eſt.
Sanum futurum: mea ego id promitto fide.
S. Magna cum cura ego illum curari uolo.
M. Quin ſuſpirabo plus ſexcentum dies.
Ita ego eum cum cura magna curabo tibi.
M. Atque eccum ipſum hominem: obſeruemus quam rem gerat.

MENAEHMVS ſubreptus, SENEX, MEDICVS.

Men. AEdepol næ hic dies peruorſus, atque aduorſus mihi
Obtigit. quæ me clam ratus facere, ea omnia fecit palã
Paraſitus: qui me compleuit flagitij & formidinis:
Meus Vlyſſes, qui ſuo regi tantum conciuit mali:
Quem ego hominem, ſi quidem uiuo, uita ſoluam ſua.
Sed ego ſtultus ſum, qui illius eſſe dico, quæ mea ſit.
Meo cibo, & ſumptu eductus eſt, anima priuabo uirum.
Condigne autem hæc meretrix fecit, ut mos eſt meretricius:
Quia rogo pallam ut referatur rurſum ad uxorem meam,
Mihi ſe ait dediſſe. heu ædepol næ ego homo uiuo miſer.
S. Audin' quæ loquitur? MED. ſe miſerum prædicat. S. adeas uelim.
Med. Saluos ſis Menæhme. quæſo cur apertas brachium?
Non tu ſcis, quantum iſti morbo nunc tute facias mali?
Men. Quin te tu ſuſpendis? MED. ecquid ſentis? MEN. quid ni ſentiã?
Med. Non poteſt hæc res ellebori iugere obtinerier.
Sed quid ais Menæhme? MEN. quid uis? MED. dic mihi hoc, quod te rogo:
Album an atrum uinum potas? MEN. quin tu is in malam crucẽ?
S. Iã hercle occœptat inſanire primulũ. MEN. quin me interrogas,

Purpu-

Purpureum panem, aut Puniceum ſoleam ego eſſe, an luteum?
Soleamne eſſe aueis ſquamoſas, piſceis pennatos. S. papæ,
Audin' tu ut deliramenta loquitur? quid ceſſas dare
Potionis aliquid, prius quàm percitus inſaniat?
Med. Mane uerò, etiam percontabor alia. S. occidis iam.
Med. Dic mihi hoc etiam, ſolent tibi unquam oculi duri fieri?
Men. Quid, tu me locuſtam cenſes eſſe homo ignauiſſume?
Med. Dic mihi, en unquam inteſtina tibi crepant, quod ſentias?
Men. Vbi ſatur ſum, nulla crepitant: quando eſurio crepant.
Med. Hoc quidem ædepol haud pro inſano uerbum reſpondit mihi.
Perdormiſcin' uſque ad lucem? MEN. facilin' tu dormis curans?
Med. Ego perdormiſco, ſi reſolui argentum quoi debeo.
Men. Quin te Iupiter diq; omnes percontator perduint.
S. Nunc inſanire inceptat, de illis uerbis caue tibi,
Modeſtior nunc quidem eſt de uerbis, præ ut dudum fuit.
Nam dudum uxorem ſuam eſſe aiebat rabioſam canem.
Men. Quid ego dixi? S. inſanis inquã. MEN. egóne? S. tu iſtic, qui mihi
Etiam me iunctis quadrigis minitatus proſternere:
Egomet ecce uidi facere, egomet ecce arguo.
Men. At ego te ſacram coronam ſurripuiſſe Ioui ſcio:
Et ob eam rem te in carcerem eſſe compactum ſcio:
Et poſtquam es emiſſus, cæſum uirgis ſub furca ſcio:
Tum patrem occidiſſe, & matrem uendidiſſe, etiam ſcio.
Satin' hæc pro ſano maledicta maledictis reſpondeo?
S. Obſecro hercle medice propere, quicquid ſis facturus, face.
Non uides hominem inſanire? MED. ſcin' quid facias optumum?
Ad me face ut efferatur. S. itan' cenſes? MED. quippini?
Ibi meo arbitratu potero curare hominem. S. age ut lubet.
Men. At ego te pendentem fodiam ſtimulis triginta dies.
Med. Elleborum potabis faxo aliquot uiginti dies.
Accerſe homines qui illum ad me deferant. S. quot ſunt ſatis?
Men. Proinde ui inſanire uideor. MED. quatuor, nihilo minus.
S. Iam hic erũt, adſerua tu iſtunc medice. MED. imò ibo ego domũ,
Vt parentur, quibus paratis opus eſt, tu ſeruos iube hunc

Ad me

Ad me ferant. S. iam ego illic faxo erit. MED. abeo. S. uale.

MEN. Abijt ſocerus: abijt medicus: nunc ſolus ſum. proh Iupiter,
Quid illuc eſt, quòd me hi homines inſanire prædicant?
Neque ego inſanio, neque pugnas, neque ego lites cœpio.
Sanos, ſaluos, alios uideo, noui homines, alloquor.
An qui perperam inſanire me uolunt, ipſi inſaniunt?
Quid ego nunc faciam? domum ire cupio, ſed uxor non ſinit.
Huc autem intromittit nemo: nimis prouentum eſt nequiter.
Hic ero uſque ad noctem: ſaltem credo intromittar domum.

MESSENIO, ſeruos.

SPECTAMEN BONO ſeruo id eſt qui rem herilem procurat, uidet,
Collocat, cogitatq́;, ut abſente hero diligenter rem tutet
Quàm ſi ipſe adſit, aut rectius. tergum q̃ gulam, crura q̃ uentrẽ
Oportet potiora eſſe. quoi cor eſt modeſte ſitum,
Recordetur id. qui nihili ſunt, quid ijs pretij detur
Ab ſuis heris? ignauis, improbis uiris, uerbera,
Compedes, molæ, magna laßitudo, fames, frigus durum.
Hæc pretia ſunt ignauiæ, id ego malè malum metuo.
Propterea bonum eſſe, certum eſt potius, quàm malum.
Nam magis multò patior facilius uerba, quàm uerbera.
Nimioq́; edo lubentius molitum, quàm molitum præbeo.
Propterea heri imperium exequor bene: & ſedulò ſeruio,
Atque id mihi prodeſt. alij ſunt ita, ut in rem eſſe ducunt ſuam.
Ego ero ita, ut me eſſe oportet. metum comitem mihi adhibeã,
Vt culpa abſtineam: hero ut omnibus in locis præſto ſiem.
SERVI QVI CVLPA CARENT, & metuunt, ij ſolent heris
Eſſe utibiles. nam illi qui nihil metuunt, poſtquam malum
Promeriti ſunt, tunc metuunt. metuam ego haud multũ quidem.
Propè eſt quando herus qui quod faciam, pretium exoluet mihi.
Ego extemplo ſeruio, tergi ut in rem eſſe arbitror. poſtquam
In tabernam uaſa & ſeruos collocaui, ut iuſſerat,
Venio aduorſum. nunc foreis pultabo, adeſſe ut me ſciat.
Sed metuo, ne ſerò ueniam depugnato prælio.

SENEX, MENAEHMVS, ſurreptus. LORARII, MESSENIO, ſeruus.

S. PEr, ego uobis, deos atq; homines dico, ut imperium meum
Sapienter habeatis curæ, quæq; imperaui atque impero,
Facite: illic homo iam in medicinas ablatus ſublimis ſiet:
Niſi quidem uos uoſtra crura aut latera nihili penditis.
Cauete quiſquam, quod illic minitetur, uoſtrum floccifecerit.
Quid ſtatis? quid dubitatis? iam ſublimem raptum oportuit.
Ego ibo ad medicum, præſtò ero illic, ut ueneritis. MEN. occidi.
Quid hoc eſt negotij? quid illic homines ad me currunt obſecro?
Quid uoltis uos? quid quæritatis? quid me circumſiſtitis?
Quò rapitis me? quò fertis me? perij, obſecro uoſtram fidem,
Epidamnenſes ſubuenîte quæſo ciues. quin me mittitis?
Mes. Proh dij immortales obſecro, quid ego oculis aſpicio meis?
Herum meum indigniſſume, neſcio quid, ſublimem ferunt.
Men. Ecqs ſuppetias mihi audet nũc afferre? MES. eo here audaciſſume
O facinus indignum & malum Epidamnij ciues, herum meum
Hoc in pacato oppido luci deripier in uia, qui ad uos
Liber uenerit. mittitis? MEN. nunc obſecro te, quiſquis es, operam mihi
Vt des, neu ſinas in me inſignîte fieri tantam iniuriam.
Mes. Imò & operam dabo, & defendam, & ſubuenibo ſedulò.
Ac nunquam te patiar perire: me perire ſatius eſt.
Eripe oculum iſti actûtum, ab humero qui tenet here te, obſecro.
Ego hiſce iam ſementem in ore faciam, pugnosq; obſeram.
Maxumo hodie malo hercle uoſtro fertis iſtunc. mittite.
Men. Teneo ego huic oculum. MES. face ei ut oculi locus in capite appareat.
Vos ſceleſti, uos rapaces, uos prædones. L. perimus, tuam fidem
Obſecro hercle. MES. mittite iſtunc ergo. MEN. quid me uobis tactio'ſt?
Plectite illos pugnis. MES. agite, abite, fugite hinc in malã crucem
Hem tibi etiam, quia poſtremus cedis, hinc hoc præmi feres.
Nimis haud bene ora commentaui, atque ex mea ſententia.

Aedepol

Acdepol here næ tibi ſuppetias tempore adueni modo.

MEN. Et tibi dij ſemper adoleſcens, quiſquis es, faciam bene.
Nam ſi abſq; te fuiſſem hodie, nunquã ad ſolẽ occaſum uiuerem.

MES. Ergo ædepol, ſi rectè facias here, nunc me emittas manu.

MEN. Liberẽ ego te? MES. uerũ, quandoquidẽ ego here te ſeruauerim.

MEN. Quid eſt adoleſcens? erras. MES. quid erro? MEN. per Iouem adiuro patrem (meus
Me herum tuũ non eſſe. MES. non taces? MEN. non mẽtior: nec
Seruos unquam tale fecit, quale tu mihi. MES. ſic ſine igitur,
Si tuum negas me eſſe ſeruom, abire liberum cum uiatico.

MEN. Mea quidem hercle cauſa liber eſto, atq; abito quò uoles.

MES. Nẽpe iubes? MES. iubeo hercle uerò, ſi qd imperij eſt in te mihi.

MES. Salue mi patrone. MEN. quom tu liber es adoleſcens, gaudeo. MES. credo hercle.
Sed patrone te obſecro, ne minus imperes mihi, quàm quom tuus
Seruos fui: apud te habitabo: & quando ibis, unà tecũ ibo domũ.

MEN. Minime. MES. nũc ibo in tabernã: uaſa & argentum tibi referã.
Rectè obſignatũ in uidulo eſt marſupiũ, id tibi iã nunc afferam.

MEN. Affer ſtrenue. MES. ſaluõ tibi ut dediſti redhibeo: hic me mane.

MEN. Nimia mira mihi quidem hodie hic exorta ſunt multis modis.
Alij me pernegant eum eſſe qui ſum, atq; excludunt foras.
Etiam hic ſeruom eſſe ſe meum aiebat, quem ego emiſi manu.
Is ait ſe allaturum cum argento marſupium. id ſi is attulerit:
Dicã ut à me abeat liber quò uolet. ne dũ quando ſanus factus ſit,
Argentum petat. ſocer et medicus me inſanire dicebant: quid ſit?
Mira ſunt hæc, nihilo mihi eſſe uidentur ſecius, quàm inſomnia.
Nunc ibo intrò huc ad hanc meretricẽ: quanquam ſuccẽſet mihi:
Si poſſum eam exorare, ut pallam reddat, quam referam domũ.

MENAEHMVS Soſides. MESSENIO.

MEN. MEn' hodie uſquam conueniſſe audax audes dicere,
Poſtquam aduorſum imperaui mihi ut huc uenires? MES. quin modo
Eripui homines, qui te ferebant ſublimem, quatuor
Apud haſce ædeis: tu clamabas, deûm fidem atque hominum

Quin

Quin ego accurro,teq́; eripio oppugnando ingratijs.
Ob eam rem,quia te ſeruaui,me amiſiſti liberum.
Quom argentum dixi me petere & uaſa,tu,quantum poteſt,
Percurriſti obuiam,ut quæ feciſti,inficias eas.
Men. Liberũ ego te iuſsi abire? MES. certo. MEN.quoi certiſſum' eſt
Me à te potius fieri ſeruom,quàm te unquam emittam manu.

MENAEHMVS ſubreptus. MESSENIO. MENAEHMVS ſoſides.

SVltis oculos iurare,nihilo hercle ea cauſſa magis
Facietis,ut ego hodie abſtulerim pallã,& ſpinter peſſumæ.
Mes. Proh dij immortales, quid uideo? MEN. quid uides? MES. ſpeculum tuum.
Men. Quid negotij eſt? MES. tua eſt imago,tã conſimilis eſt quã poteſt.
Men. Pol profecto haud diſsimilis,meam formam quom noſcito.
Men. O adoleſcens ſalue,qui me ſeruaſti,quiſquis es.
Men. Adoleſcens quæſo loquere tuum mihi nomen,niſi piget.
Men. Non me ædepol promeruiſti de me,ut pigeat quæ uelis.
Mihi eſt Menæhmus nomen. MEN. imò id ædepol mihi.
Men. Siculus ſum Siracuſanus. MEN. ea domus & patria eſt mihi.
Men. Quid ego ex te audio? MEN. hoc quod res eſt. MES.noui noui
Equidem hunc,herus eſt meus.
Ego quidem huius ſeruos ſum,ſed me eſſe huius credidi.
Ego hunc cenſebam eſſe te,huic etiam exhibui negotium.
Quæſo ignoſcas,ſi quid ſtulte dixi atque imprudens tibi.
Men. Delirare mihi uidêre,non commeminiſti ſimul
Te hodie mecum exire è naui? MES. quin tu æquom poſtulas,
Tu herus es. tu ſeruom quære. ſalueto tu. tu uale.
Hunc ego eſſe aio Menæhmum. MEN. at ego me. MEN.quæ hæc eſt fabula?
Tu es Menæhmus? MEN. me eſſe dico Moſcho prognatũ patre.
Men. Tun' meo patre es prognatus? MEN. imò quidem adoleſcẽs, neq́;
Tuum tibi occupare,neque præripere poſtulo.
Mes. Dij immortales ſpem inſperatam date mihi,quam ſuſpicor.
Nam niſi me animus fallit,hi ſunt gemini germani duo:

Nam & patrē & matrē commemorant pariter, qui fuerūt ſibi.
Sed uocabo herum. Menæhme. MEN. quid uis? MES. non am bos uolo.
Sed uter uoſtrum eſt aduectus naui mecum? MEN. non nego.
MES. At ego te uolo igitur. huc concede. MEN. conceßi. quid eſt?
MES. Illic homo aut ſycophanta, aut geminus eſt frater tuus:
Nam ego hominem homini ſimiliorem nunquam uidi alterum:
Nec AQVA AQVAE, nec lacte lacti, crede mihi, uſquam ſimilius,
Quàm hic tui eſt, tuq; huius. poſtea autē eandē patriā ac patrē
Memorat. melius nos eſt adire, atque hunc percunctarier.
MEN. Hercle quin tu me admonuiſti recte, & habeo gratiam.
Perge operam dare obſecro hercle. liber eſto: ſi inuenimus.
Hunc fratrem meum eſſe ſpero. MES. & ego pol idē ſpero fore.
Quid ais tu? Menæhmum opinor te uocari dixeras.
MEN. Ita uerò. MES. huic item Menæhmo nomen eſt. in Sicilia
Syracuſis natum eſſe dixiſti: hic natus eſt ibi.
Moſchum tibi patrem fuiſſe dixti: huic itidem fuit.
Nunc operam poteſtis ambo mihi dare, & uobis ſimul.
MEN. Promeruiſti ut ne quid ores, quod uelis, quin impetres.
Tanquam ſi emeris me argento, liber ſeruibo tibi.
MES. Spes mihi eſt, uos inuenturos fratres germanos duos
Geminos, una matre natos, & patre uno, uno die.
MEN. Mira memoras, utinam efficere quod pollicitus, poßis.
MES. Poſſum. ſed nunc agite, uterque id quod rogabo dicite.
MEN. Vbi lubet, roga: reſpondebo, nihil reticebo, quod ſciam.
MES. Eſt tibi nomen Menæhmus? MEN. fateor. MES. eſt idem tibi?
MEN. Eſt. MES. patrem fuiſſe Moſchum tibi, ais? MEN. ita uerò.
MEN. & mihi.
MES. Es'ne tu Syracuſanus? MEN. certò. MES. quid tu? MEN. quippini?
MES. Optume, uſque adhuc conueniunt ſigna. porrò operam date.
Quid longißime meminiſti, dic mihi, in patria tua?
MEN. Cum patre ut abij olim Tarentum ad mercatum, poſtea
Inter homines me deerrare à patre, atque inde auehi.
MEN. Iupiter ſupreme ſerua me. MES. quid clamas? quin taces?
Quot

Quot eras annos gnatus, quem te pater à patria auehit?
Men. Septuennis: nam tum denies mihi cadebam primulum,
Neq; patrem unquam poſt illa uidi. MES. quid, uoſtrum patri
Filij quot eratis? MEN. ut nunc maxime memini, duo.
Mes. vter eratis, tún' aut ille maior? MEN. æque ambo pares.
Mes. Quî poteſt? MEN. gemini ambo eramus. MEN. dij me ſeruatum uolunt.
Mes. Si interpellas, ego tacebo. MEN. potius tacebo ego.
Mes. Dic mihi, uno nomine ambo eratis? MEN. minime. nã mihi erat
Quod nunc eſt, Menæhmus: illum tum uocabant Soſidem.
Men. Signa cognoui, contineri quin complectar non queo.
Mi germane, gemine frater ſalue: ego ſum Soſides.
Men. Quomodo igitur pòst Menæhmo nomen eſt factum tibi?
Men. Poſtquam ad nos renuntiatum, te & patrem eſſe mortuum,
Auos noſter mutauit: quod nomen eſt tibi, fecit mihi.
Mes. Hercle ita factum eſt, ut dicit. MEN. ſed mihi hoc reſponde. MEN. roga.
Men. Quod erat nomen noſtræ matri? MEN. Teuſimarcæ. MEN. cõuenit.
O ſalue inſperate multis annis, poſtquam conſpicor,
Frater. S. & tu frater, quem multis miſeris laboribus
Vſque adhuc quæſiui, quemq́; ego eſſe inuentum gaudeo:
Mes. Hoc erat, quod hæc te meretrix huius uocabat nomine.
Hunc cenſebat te eſſe credo, quom uocat te ad prandium.
Men. Nanque ædepol mihi hodie hic iuſſi apparari prandium
Clam meam uxorem: quia pallam ſurripui dudum domo,
Eam dedi huic. S. hanc dicis frater pallam, quam ego habeo.
Men. Quo nã modo hæc ad te peruenit? S. meretrix hæc ad prãdium
Me adduxit, me ſibi dediſſe aiebat. prandi perbene,
Potaui atq; accubui ſcortũ, pallã, & aurum hoc. MEN. gaudeo
Aedepol, ſi quid propter me tibi euenit boni:
Nam illa quidem, quom te ad ſe uocabat, me eſſe credidit.
Mes. Numquid me morare, quin ego liber, ut iuſsiſti, eam?
Men. Optumum atque æquiſsimum orat frater, fac cauſſa mea.
S. Liber eſto. MEN. quom tu es liber, gaudeo Meſſenio.

MES. *Sed meliore eſt opus auſpicio, liber perpetuo ut ſiem.*
S. *Quoniam hæc euenerunt frater noſtra ex ſententia,*
In patriam redeamus ambo. MEN. *faciam frater, ut uoles.*
Auctionem hic faciam, & uendam quicquid eſt mihi. interim
Eamus intro. S. *fiat.* MES. *ſcitin' quid ego uos rogo?*
S. *Quid?* MES. *præconiũ ut mihi detis.* MEN. *dabitur ergo nũc iã.*
MES. *Vis conclamari auctionem fore quidem?* MEN. *die ſeptimi*
Auctio fiet. MES. *Menæhme.* MEN. *mane ſane, die ſeptimi*
Venibunt ſerui, ſupellex, fundi, ædes, omnia
Venibunt, quiqui licebunt præſenti pecunia.
Venibit uxor quoque etiam, ſiquis emptor uenerit.
Vix credo tota auctione capiet quinquageſies.
Nunc ſpectatores ualete, & nobis clare applaudite.

ANNOTATIONES
IN MENAEHMVM.

ATq; adeo hoc argumentũ Siciliciſſitat.) Quoniam ſumpta eſt comœdia hæc à Siculo Epicharmo, uel quia in Syracuſis Siciliæ nati ſunt gemini.

Ita ſimili forma pueri ut mater.) Mater hic nutricem ſignificat teſte Nonio.

Sicut familiæ.) Cum affinitatis titulo mutantur etiam familiæ.

Iuuentus nomen fecit Peniculo.) De Peniculo ſiue penicillo ſpongiarum genere Plinius lib. 9. cap. 45.

Apud menſam homini roſtrum.) Roſtrum hominis pręter conſuetudinem dixit. In Nonio pro caput, apud legitur, & in dictione roſtrum, ſed ſatis corrupte.

Cerealeis cœnas dat.) Vide Chiliad. Pontificalis cœna.

Tantas ſtruices concinnat patinarias.) Vide adagia Eraſmi, priuſquam ſortiaris, communia deuoras.

Catamitum rapuit.) Catamitum Ganymedem appellant; notæ ſunt fabulæ.

Ab Hippolyta.) Sextus labor Herculis eſt.

Atq; aliquid ſitomentorum.) Sitomenta uocat quęcunq; in cibum ueniunt, à græco σῖτος.

Glandulum ſuillam.) Vide annotationes Merulę in Galeotum,

leotum, ubi obiter loca quædam Plauti caſtigantur.
Græciam exoticam.) Magnam ſcilicet Græciam.
Si acum credo quærceres.) Vide Chiliades, uel acum inueniſſes.
In ſcyrpo nodum quæris.) Vide Chiliades.
Quibus hic precijs porci ueneunt.) Explicat ſatis hunc locum Eraſmus in adagio, porcum immola.
Seu tu Cylindrus.) Iocatur in nomine, nam utrunque morbi nomen eſt.
Cyathiſſo apud uos.) κυαθίζω in cyathum infundo, ſumitur etiam aliter in Chiliad. κυαθίζειν.
Adſeruatore hæc ſultis nauales pedes.) Feſtus teſtatur pedes Plautum dixiſſe remos, opinor hoc loco.
Tum arbores in te cadent.) Vide Chiliades, Minutula pluuia.
Quis eſt iſte peniculus.) Peniculus ſpongię genus eſt. Feſtus Pompeius peniculum uult eſſe ex caudarum extremitate aut boum, aut equorum, quibus calciamenta extergun-tur. Baxeæ calciamenta ruſtica ſunt teſte Iulio Polluce.
Cantharino ritu.) Cœlius libro quinto capite quarto Canterino ritu legendum præſcribit, atque enarrat hunc Plauti uerſum: Malim tamen cantharino, quòd canthari magis repant quàm uolent.
Quaſi ſuppellex pellionis.) Solent hi conſuere pelles, quemadmodum aſſeres in nauibus fabri. Eraſmus non pellionis, ſed Celeonis legit: atq; id rectiſſime, ſimul & explicans poëtæ locum in adagio: Colei ſupellex.
Agathocles regnator.) Agathocles & Hiero tyranni Syracuſanorum nobiliſſimi, multis carminibus à Pindaro celebrati.
Ad Phrygionem.) Exemplar Romanum Pellionem hic habuit, ſed minus recte.
Cum corona.) Iam ſæpius dictum eſt ebrios ſolere cum coronis apud amicas potare.
Stalagmia.) Ornamenta aurium ſunt, ſimilitudinē ſtillarum cōgelatarum habentia: nā id ſignificat σαλαγμὸς apud Gręcos. Georgius Merula Spatalia legendum cenſet.
Nę illam mecaſtor fœnerato abſtuliſti.) Hoc eſt, cum fœnore furtum hoc reddes.
Hecobam.) Hecuba canis appellata à Græcis, quòd in ęos maledicta plurima ingereret. Exemplar Romanum

Hecate habuit primo loco, ſecundo hecale. huius autem effigiem canis forma pingere ſolent, & canem eidem immolabant, autor Heſychius.

Non longos logos.) λόγȣς fabulas, inania uerba: eſt autem ſuauis παρανομασία.

Titanum.) Hoc eſt, toruum, & tetricum, uide Chiliades Titanicus aſpectus. Cygnus rex antiquiſſimus in bello Troiano occubuit, autor Dictes Cretenſis.

Leonem getulum olentem.) Plinius de leonibus ita ſcribit libro octauo capite decimoſexto. Grauem odorem nec minus anhelitum habent. De leonibus loquitur. Getulum autem dixit ἐπιθετικῶς quod in Africa nobiliſſimi.

Hellebori iugere obtinerier.) Vide Chiliades. Helleborum bibe.

M. ACTII PLAVTI
MILES GLORIOSVS.

DRAMATIS PERSONAE.

PYRGOPOLINICES, *miles.*	PLEVSIDES, *adoleſcens.*
ARTOTROGVS, *paraſitus.*	LVCRIO, *puer.*
PALESTRIO, *ſeruos.*	MELPHIDIPPA.
PERIPLECTOMENVS, *ſenex.*	ACROTELEVTIVM.
SCELEDRVS, *ſeruos.*	PVER.
PHILOCOMASIVM, *meretrix.*	CARIO, *coquus.*

ARGVMENTVM.

Meretricem Athenis EPHESVM *miles auehit.*
Id dum ſeruos hero amanti nuntiare uolt,
Legato peregre, captus ipſu'ſt in mari,
Et illi eidem militi dono datu'ſt.
Suum arceſſit herum Athenis: atque inde adforat
Geminis communem parietem ſuum ædibus,
Licere ut quiret conuenire amantibus.

Obhærenteis cuſtos hos uidit de tegulis.
Ridiculus autem quaſi ſit alia deluditur.
Idemq́; impellit militem PALESTRIO.
Omiſſam facit concubinam, quando ei
Senis uicini cupiat uxor nubere.
Vltrò abeat, orat: donat multa. ipſe in domo
Senis prehenſus, pœnas pro mœcho luit.

ALIVD ARGVMENTVM.

MEretricem ingenuam deperibat mutuo
Athenienſis iuuenis. Naupactum is domo
Legatus abijt. miles in eandem incidit:
Deportat Epheſum inuitam. ſeruos Attici
Vt nuntiaret domino facta, nauigat.
Capitur. donatur illic captus militi.
Ad herum, ut ueniret Epheſum, ſcribit. aduolat
Adoleſcens, atque in proxumo deuortitur
Apud hoſpitem paternum. medium parietem
Perfodit ſeruos, commeatus clanculum
Quâ foret amantium. geminam fingit mulier
Sororem adeſſe. mox ei dominus ædium
Suam clientem ſolicitandum ad militem
Subornat. capitur ille. ſperat nuptias.
Dimittit concubinam: & mœchus uapulat.

ALIVD.

AMabat mulierem Philocomaſium Athenienſis Pleuſides. ſed dum is legatus Naupactum proficiſcitur, Athenas uenit Pyrgopolinices glorioſus miles, qui mulierem abducit Epheſum. Seruus adoleſcētis Paleſtrio, ut ſuo nunciet hero abductam amaſiam, mox ingreditur mare: à pirata capitur: donoq́; datur à prædone militi. is herilem ubi amicam cognouit, mittit ad herum literas, ut concedat Epheſum. ille mox aduolat, diuertiturq́; in proxima uicini domo, à Periplectomeneq́; excipitur paterno hoſpite. Paleſtrio ut amantibus copiam faciat, communem domus perfodit parietem. Sed dum ſe inuicem illi complectuntur, Sceledrus militis ſeruus conſpexit oſculantes de tegulis.

hoc ne aperiatur militi, illico occurrit Palæſtrio, ſimulat eſſe ſimilem ueniſſe ſororem alteram, quæ per defoſſum parietem exiens, ac rediens oſtendit ſe in utraq; domo. Struuntur deinde nouę fallaciæ. Periplectomenes ornat ancillam ſuam pro uxore. hæc edocta per conſeruam ancillam nunciat ſe deperire militem, anulumq́; mittit amoris pignus. ille ut glorioſus ſe difficilem reddit. tandem confictis irretitur dolis. & ut nouis liceat amoribus potiri, ſuaſu uafri Palæſtrionis Philocomaſium prius remittit domum. Et cum ſe in uicinas ædeis proriperet, ratus amantem mulierem offendere, incidit in paratos laqueos: uincitur: uapulat: meritasq́; adulterij luit pœnas.

ACTVS PRIMVS.

PYRGOPOLINICES, *miles.* ARTOTROGVS, *paraſitus.*

P. *CVRATE ut ſplendor meo ſit Clypeo clarior,* *(ſolent:*
Quàm ſolis radij eſſe olim, cum ſudu' ſt,
Vt ubi uſus ueniat, contrà conſerta manu
Oculorum præſtringat aciem in acie hoſtibus. *(ri uolo,*
Nam ego hanc machæram mihi conſola
Ne lamentetur, neue animum deſpondeat,
Quia ſe iam pridem feriatam geſtitem:
Quæ miſera geſtitet fractum facere ex hoſtibus.
Sed ubi Artotrogus? A. hic eſt, ſtat propter uirum
Fortem, atque fortunatum, & forma regia,
Cum quo bellator Mars haud auſit dicere,
Neque æquiparare ſuas uirtutes ad tuas.
P. *Quemne ego ſeruaui in campis cuticulindonijs,*
Vbi bombomachides cluninſtatides Archides
Erat imperator ſummus Neptuni nepos?
A. *Memini, nempe illum dicis cum armis aureis,*
Quoius tu legiones difflauiſti ſpiritu,
Quaſi uentus folia aut penniculum tectorium.
P. *Iſtuc quidem ædepol nihil eſt. A. nihil hercle hoc quidem,*

Præ

Præut alia dicam, tu quæ nunquam feceris.
Periuriorem hoc homine ſiquis uiderit,
Aut gloriarum pleniorem, quàm illic eſt,
Me ſibi habeto: & ego me illi mancupi dabo,
Si unum epityrum edam apud illum eſuriens inſane.
P. Vbi tu es? A. eccum ædepol. elephanto in India
Quo pacto pugno præfregiſti brachium.
P. Quid, brachium? A. illud dicere uolui, femur.
At diligenter hic eram. pol ſi quidem
Conniſus eſſes, per corium, per uiſcera,
Per'q; os elephanti brachium tranſmitteres.
P. Nolo iſtæc hic nunc. A. ne hercle operæpretium quidem
Mihi id enarrâre, tuas qui uirtutes ſciam.
Venter creat omneis has ærumnas, auribus
Peraudienda ſunt, ne dentes dentiant:
Et aſſentandum eſt, quicquid hic mentibitur.
P. Quid illud quod dico? A. hem ſcio quid uis dicere:
Factum hercle, memini fieri. P. quid id eſt? A. quicquid eſt.
P. Habes tabellas? A. uis rogare? habeo & ſtilum.
P. Facete aduortis tuum animum ad animam meam.
A. Nouiſſe mores me tuos meditate decet:
Curam'q; adhibere, ut præuolet mihi, quò tu uelis.
P. Ecquid meminiſti? A. memini. centum in Cilicia,
Et quinquaginta centum in Siclo latrones,
Triginta Sardis, ſexaginta Macedones,
Sunt homines, tu quos occidiſti uno die.
P. Quanta iſtæc hominum ſumma eſt? A. ſeptem millia.
P. Tantum eſſe oportet, recte rationem tenes.
A. At nullos habeo ſcriptos, ſic memini tamen.
P. Aedepol memoria optuma eſt. A. offa emonet.
P. Dum tale facies, quale adhuc, aßiduo edes,
Communicabo te ſemper menſa mea.
A. Quid in Cappadocia, ubi tu quingentos ſimul,
Ni hebes machæra foret, uno ictu occideres,

At pedites tibi reliquia erant, ſi uiuerent?
Quid tibi ego dicam, quod omnes mortales ſciunt,
Pyrgopolinicen te unum in terra uiuere
Virtute, & forma, & factis inuictiſſimis?
Amant te omnes mulieres: neque iniuria,
Qui ſis tam pulcher: uel here illæ quæ pallio
Me deprehendêre. P. quid here dixerunt tibi?
A. Rogitabant, Hicne Achilles eſt, inquit tibi?
Imò eius frater, inquiam. illarum altera,
Ergo mecaſtor pulcher eſt, inquit mihi,
Et liberalis. uide cæſaries quàm decet:
Næ illæ ſunt fortunatæ, quæ cum iſto cubant.
P. Itán' dicunt tandem? A. quæ me ambæ obſecrauerint,
Vt te hodie quaſi pompam illàc præterducerem.
P. NIMIA EST MISERIA, pulchrum eſſe hominem nimis.
A. Moleſtæ ſunt, accedunt, orant, obſecrant,
Videre ut liceat: ad ſeſe accerſi iubent,
Vt tuo non liceat dare operam negotio.
P. Videtur tempus eſſe ut eamus ad forum,
Vt in tabellis, quas conſignaui hic heri,
Latronibus ego denumerem ſtipendium.
Nam rex Seleucus me opere orauit maxumo,
Vt ſibi latrones cogerem, & conſciberem.
Regi hunc diem mihi operam decretum eſt dare.
A. Age, eamus ergo. P. ſequimini ſatellites.

ACTVS SECVNDVS.

PALESTRIO, ſeruos.

Mihi ad enarrandum hoc argumentum eſt comitas,
Si ad auſcultandum ueſtra erit benignitas.
Qui autem auſcultare nolet, exurgat foras:
Vt ſit ubi ſedeat ille, qui auſcultare uolt.
Nunc qua aſſediſtis cauſa in feſtiuo loco,
Comœdiæ huius, quam nos acturi ſumus,
Et argumentum & nomen uobis eloquar.

ALAZON Græce huic nomen eſt comœdiæ:
Id nos Latine GLORIOSVM dicimus.
Hoc oppidum Epheſus eſt. miles, meus eſt herus,
Qui hinc ad forum abijt, glorioſus, impudens,
Stercoreus, plenus periurij atque adulterij.
Ait ſeſe ultrò omneis mulieres ſectarier:
Is eſt deriſui, quaqua incedit, omnibus.
Itaque hic meretrices labijs dum ducant eum,
Maiorem partem uideas ualgis ſauijs.
Nam ego iamdiu apud hunc ſeruitutem ſeruio.
Id uolo uos ſcire, quomodo ad hunc deuenerim
In ſeruitutem ab eo, quoi ſeruiui prius.
Date operam: nam nunc argumentum exordiar.
Erat herus Athenis mihi adoleſcens optumus:
Is amabat meretricem mactè Athenis Atticis,
Et illa illum contrà, qui eſt amor cultu optumus.
Is publicè legatus Naupactum fuit.
Interim iuit hinc miles. forte Athenas aduenit.
Inſinuat ſeſe ad illam amicam heri mei.
Occœpit eius matris culpa pariter, &
Vino, ornamentis, oppiparisq; obſonijs.
Itaque intumum ibi ſe miles apud lenam facit.
Vbi primum euenit militi huic occaſio,
Sublinit os illi lenæ matri mulieris,
Quam herus meus amabat. nam is illius filiam
Compegit in nauem miles clam matre ſua:
Eamq; inuitam huc mulierem in Epheſum auehit.
Ego quantum unus poſſum, mihi nauem paro,
Vbi amicam herilem Athenis auectam ſcio.
Inſcendo ut eam rem Naupactum ad herum nuntiem.
Vbi ſumus prouecti in altum, ſicut uolunt,
Capiunt prædones nauem illam, ubi uectus fui.
Prius perij, quàm ad herum ueni, quò ire occœperam.
Ille qui me cepit, dat me huic dono militi.

Hic

Ipſe exit. hic ille eſt lepidus, quem dixi ſenex.

PERIPLECTOMENVS, ſenex. PALESTRIO, ſeruos.

PE. Ni hercle defregeritis talos, poſthac quenq; in tegulis
Videritis alienum, ego ueſtra faciam latera lorea.
Mihi quidem iam arbitri uiſunt meæ quid fiat domi:
Ita per impluuium introſpectant. nunc adeò edico omnibus,
Quenq; à milite hic uideritis hominem in noſtris tegulis,
Extra unum Paleſtrionem, hunc deturbatote in uia:
Quòd ille columbam, aut gallinam ſe ſectari, aut ſimiam
Dicat. periſtis, niſi uſque ad mortem mulctatis male.
Atq; adeò ut ne legi fraudem faciam talariæ:
Accuratote ut ſine talis domi agitent conuiuium.

PA. Neſcio quid malefactum noſtra huic familia eſt, quãtum audio:
Ita ſenex talos elidi iuſſit conſeruis meis.
Sed me excepit: nihili facio quid faciat cæteris.
Aggrediar hominem. Eſt ne aduorſum mihi? eſt quaſi. quid agis
Periplectomene? PE. haud multos homines, ſi optandum fuerit mihi,
Nunc uidere, & inuenire, quàm te mauellem. PA. quid eſt?
Quid negotij eſt? PE. res palàm eſt. PA. quæ res palàm eſt? PE. de tegulis
Modo neſcio quis inſpectauit uoſtrum familiarium.
Per noſtrum impluuium intus apud nos Philocomaſium, atque
Oſculanteis. PA. quis homo uidit? PE. tuus con- (hoſpitem
ſeruos. PA. quis is eſt homo?

PE. Neſcio, ita abripuit repente ſeſe ſubito. PA. ſuſpicor
Me periſſe. PE. ubi abijt, conclamo, Heus quid agis, tu inquam, in tegulis?
Ille mihi abiens ita reſpondit, ſe ſectari ſimiam.

PA. Væ mihi miſero, quoi pereundum eſt propter nihili beſtiam.
Sed Philocomaſium hiccine etiã eſt nunc? PE. cũ exibã, hic erat.

PA. Si eſt, iube tranſire huc quantum poſſit, ſe ut uideant domi
Familiares: niſi quidem illa nos uolt, qui ſerui ſumus,
Propter ſuum amorem omneis crucibus contubernaleis dari.

PE. Dixi iam ego iſtuc niſi quid aliud uis. PA. uolo. hoc dicito,
Parũper artẽ,et diſciplinã obtineat,colorem,& quemadmodum
Roget eum qui hic ſe uidit,utrum iunctam uiderit,
Si quidem centies hic uiſa ſit,tamen inficias eat.
PE. Os habet,linguam,perfidiam,malitiam,atque audaciam,
Confidentiam,confirmitatem,fraudulentiam.
Qui arguat ſe,eum contrà uincat iureiurando ſuo.
Domi habet animum falſiloquum,falſificum,falſiiurium,
Domi dolos,delenifica facta,domi fallacias.
Nam mulier olitori nunquam ſupplicat,ſi qua eſt mala:
Domi habet hortum,& condimenta ad omneis molis mellifica.
Ego iſtæc ſi erit hic,nuntiabo. ſed quid Paleſtrio eſt,
Quod uoluis aſtute tecum in corde? PA. pauliſper tace:
Dum ego mihi conſilia in animum conuoco,& conſulo
Quid agam,quem dolum doloſo contrà conſeruo parem,
Qui illam hic uidit oſculantem:id uiſum ne uiſum ſiet,
Quæro. PE. ego hinc abſceſſero abs te huc:interim illuc ſis. uide
Quemadmodum aſtitit ſeuera fronte,curas cogitans:
Pectus digitis pultat,cor credo euocaturus foras.
Ecce autem auortit nixus læua,in femore habet manum,
Dextera digitis rationem computat feriens femur
Dexterum:ita uehementer quod facto opu'ſt ægre ſuppetit.
Concrepuit digitis,laborat cerebro,commutat ſtatus.
Ecce autem capite nutat,non placet quod repperit.
Quicquid eſt,incoctũ non exprimit:bene coctum aliquid dabit.
Ecce autem ædificat,columnam mento ſuffulſit ſuo.
Apage,non placet mihi profecto illa ædificatio.
Nam os columnatum poëtæ inaudiui eſſe barbaro,
Quoi uiui cuſtodes ſemper totis horis accubant.
id eſt Euge ἰυχημόνως hercle aſtitit & dulce,& comœdice.
deco Nunquam hodie quieſcet prius quàm id quod petit perfecerit.
re. Habet opinor. age,ſi quid agis uigila,ne ſomno ſtude:
Niſi quidem hic agitari mauis uirgis. uigila,tibi ego
Dico,feriatus ne ſis. heus te alloquor Paleſtrio,

Vigila,

Vigila,expergiſcere inquam,lucet. hoc inquam. PA. audio.
PE. Viden' hoſtis tibi adeſſe,tuoq; tergo obſidium? tibi conſule.
Arripe opē,auxiliūq; ad hanc rē propere. hoc nō placide decet.
Anteueni aliqua: aliquos mitte: circunduce exercitum:
Curre in obſidium perduellis: noſtris præſidium para:
Intercludc inimicis commeatum: tibi muni uiam,
Qua cibatus commeatusq; ad te,& legiones tuas
Tuto poßit peruenire. hanc age rem: res ſubitaria eſt.
Repperi,comminiſcere: cedo callidum conſilium cito:
Quæ hic eſt uiſa,ut uiſa non ſiet,facta infecta ut ſient.
Magnum illic honorem incipis,ſi magna munis mœnia.
PA. Tu te unus ſi hoc recipere ad te dicis,confidentia eſt
Nos inimicos profligare poſſe. PE. dico,& recipio
Ad me: & ego imperatorem dico me ad id,quod petis. PA. at te
Iuppiter bene amet. PE. at me imperti quod cōmentus. PA. tace,
Dum in regionem aſtutiarum mearum te induco,ut ſcias
Iuxtà mecum mea conſilia. PE. ſalua ſumes indidem.
PA. Meus herus elephanti corio circumtectus,non ſuo'ſt:
Neque plus habet ſapientiæ,quàm lapis. PE. ego iſtuc ſcio.
PA. Nunc ſic rationem incipiens,hanc inſtituam aſtutiam,
Vt Philocomaſio huic ſororem geminam germanam,alteram
Dicam aduenïſſe Athenis,& cum amatore aliquo ſuo,
Tam ſimilem,quàm lacte lac eſt: apud te eos hic diuortier
Hoſpitio. PE. euge euge lepide,laudo commentum tuum.
PA. Vt ſi illic concriminatus ſiet aduorſum militem
Meus conſeruos,eam uidiſſe oſculantem hic cum alieno: cum
Ego contrà arguam,illam uidiſſe apud te cum ſuo
Amatore amplexantem,atque oſculantem. PE. immò ut optume.
Idem ego dicam,ſi me exquiret miles. PA. ſed ſimillimas
Dicito eſſe,& Philocomaſio id præcipiendum eſt,ut ſciat,
Ne titubet,ſi quæret ex ea miles. PE. nimis doctum dolum.
Sed ſi ambas uidere in uno miles concilio uolet,
Quid agimus? PA. facile eſt: trecentæ poſſunt cauſæ concinni.
Non domi'ſt,abijt ambulatum,dormit,ornatur,lauat,

Pran-

Prandet, potat, occupata'ſt opere, non eſt, non poteſt.
Quamum uis prolationum, dummodo nunc prima uia
Inducamus, uera ut eſſe credat, quæ memibimur.
PE. Placet ut dicis. PA. intrò abi ergo: & ſi iſtic eſt mulier, iube eam
Cito domum tranſire, atque hoc ei præmonſtra, & præcipe
Vt teneat conſilia noſtra, quemadmodum exorſi ſumus
De gemina ſorore. PE. docte tibi illam perdoctam dabo.
Nunquid aliud uis? PA. intrò ut abeas. PE. abeo equidē igitur.
PA. Eho ibo domū, atq; hominē inueſtigabo, operā hanc diſsimulās,
Qui conſeruos hodie fuerit ſectatus ſimiam.
Nam non potuit quin ſuo ſermoni aliquem familiarium
Participauerit de heri amica, qui uidiſſet eam hic in proxumo
Oſculantem cum alieno adoleſcentulo. noui morem ego,
Et tacere ſolus ſcio. ſi inuenio qui uidit: ad eum
Vineas pluteosq; agam. res parata'ſt, impugnandoq;
Capere certa res eſt. ſi ita non repperio, ibo odorans quaſi
Venaticus uſque, donec perſecutus uolpem ero.
Sed fores concrepuerunt noſtræ. ego uoce moderabo me:
Nam Philocomaſio cuſtos meus conſeruos it foras.

SCELEDRVS, PALESTRIO, ſerui.

S. NIſi quidem ego hodie ambulaui dormiens in tegulis,
Certo ædepol ſcio uidiſſe, hic proxumæ uiciniæ
Philocomaſium herilem amicam ſibi alium quærere. P. hic illam
Vidit oſculantem, quantū hunc audio loquentem. S. quis hic eſt?
P. Tuus conſeruos. quid agis Sceledre? S. te Palæſtrio
Volupe'ſt conueniſſe. P. quid negotij, fac ſciam.
S. Metuo. P. quid metuis? S. ne hercle hodie quantum hic familiarium eſt,
Maxumum in malum cruciatum inſiliamus. P. tu ſali ſolus:
Nam ego iſtam inſulturam, & deſulturam nihil hic moror.
S. Neſcis tu fortaſſe, apud nos facinus quod natum eſt nouom.
P. Quod id eſt facinus? S. impudicum. P. tute ſcis, ſoli te tibi:
Mihi ne dixis, ſcire nolo. S. non enim faciam, quin ſcias.

Simiam

Simiam hodie ſum ſectatus noſtram in horum tegulis.

P. Aedepol Sceledre homo ſectatus nihili nequam beſtiam.

S. Di te perdant. PA. te iſtuc æquom quomodo occœpiſti eloqui.

S. Forte fortuna per impluuium huc deſpexi proxumum,
A tque ego hic aſpicio oſculantem Philocomaſium cum altero
Neſcio quo adoleſcēte. P. quod ego Sceledre ſcelus ex te audio?

S. Profecto uidi. P. tune? S. egomet his duobus oculis meis.

P. Abi, non ueriſimile eſt, neque uidiſti. S. num tibi
Lippus uideor? P. medicum iſtuc tibi melius perconctarier.
Verùm enim ſi te di ament temere, haud tollas fabulam: tuis
Nunc cruribus capitiq; fraudem capitalem hinc creas
Tibi iam, ut pereas: paratum eſt dupliciter, ni reprimas tuum
Stultiloquium. S. quî uerò dupliciter? P. id dicam tibi,
Primùm dum ſi falſum inſimulas Philocomaſium, hoc perieris.
Iterum, ſi id uerum eſt, tu cuſtos ei additus perieris.

S. Quid ad me? P. at neſcio. S. hæc me uidiſſe ego certo ſcio.

P. Pergin' infelix? S. quid tibi uis dicam, niſi quod uiderim?
Quin etiam nunc intus hic in proxumo eſt. P. ehò, an non domi (eſt?

S. Viſe, abi intrò tute: nam ego mihi nihil credi poſtulo.

P. Certũ eſt facere. S. hic te opperiar. P. eidem hinc inſidias dabo,
Quàm mox ad ſtabulum iunix recipiat ſe pabulo.

S. Quid ego nunc faciam? cuſtodem me illi miles tradidit.
Nunc ſi indicium facio, interij: ſi taceo, ſic tamen
Hoc palàm fuerit. quid peius muliere atque audacius?
Dum ego in tegulis ſum, illæc relicto hoſpitio exijt foras.
Aedepol facinus audax, hoccine ſi miles ſciat?
Credo hercle has tollat ædeis totas, tollat atque hic crucem.
Hercle quicquid eſt, muſsitabo potius quàm inteream male.
Non ego poſſum, quæ ipſa ſeſe uenditat, tutarier.

P. Sceledre Sceledre. S. qs homo interminat? P. eſt alter audacior,
Qui magis inimicitias acquirat ſibi, quàm tu? S. quid eſt?

P. Iube nunc tibi oculos effodi, quibus id quod nuſquam eſt uides.

S. Quid, nuſquã? P. non ego emam nunc uitam tuam uitioſa nuce.

S. Quid negoti eſt? P. quid negoti ſit rogas? S. cur non rogem?

E e Nonne

P. Nonnè tibi iſtam prætruncari linguam largiloquam iubes?
S. Quamobrẽ iubeam? P. Philocomaſium eccã domi, quam in proxumo
Vidiſſe ais te oſculantem, atq; amplexantẽ cum altero.
S. Miru'ſt lolio uictitare te, tam uili tritico.
P. Quid iam? S. quia luſcioſus. P. uerbero, ædepol tu quidem
Cæcus, non luſcioſus: nam illam quidem uidi domi.
S. Quid, domi? P. domi hercle uerò. S. abi, ludis me Paleſtrio.
P. Tam mihi ſunt manus inquinatæ? S. quî dum? P. quia ludam luto.
S. Væ capiti tuo. P. iſtuc Sceledre promitto fore, niſi oculos
Orationemq; aliam commutas tibi. ſed fores
Concrepuerunt noſtræ. S. at ego illas obſeruaſſo fores:
Nam nihil eſt, quâ hinc huc tranſire ea poſsit, niſi recto oſtio.
P. Quin' domi eccam. S. neſcio utique. P. Sceledre Sceledre te ſuſcita.
S. Mihi ego uideo: mihi ego ſapio: mihi ego credo plurimum.
Me homo nemo deterreat, quin ea ſit in his ædibus.
Hic obſiſtam, ne imprudenti hic ea ſe ſubrepſit mihi.
P. Meus illic homo eſt, deturbabo ego iam illum de pugnaculis.
Vin' iam te faciam, ut ſtultum dum fateare? S. age, uolo, face.
P. Neque te quicquam ſapere corde, neque oculis uti? S. ſcio,
Neque ſolarium, neque hortum, niſi per impluuium ſcio.
P. Quid nunc, ſi domi eſt, ſi facio ut eam hinc exire uideas domo,
Dignus es uerberibus multis? S. dignus. P. ſerua iſtas fores,
Ne tibi clam ſe ſubterducat iſtinc, atque huc tranſeat.
S. Conſilium eſt ita facere. P. ego iam illam huc tibi ſiſtã in uiam.
S. Agedũ ergo, face: uolo ſcire utrũ ego id quod mihi uidi, uiderim:
An illic faciat, quod facturum dicit, ea ut ſit domi.
Nam ego quidem meos oculos habeo, nec rogo utendos foris.
Sed hic illi ſupparaſitatur ſemper, hic ei proxumus,
Primus ad cibum uocatur: primo pulmentum datur.
Nam illic noſter eſt fortaſſe circiter triennium,
Neque quoiquam, quàm illi in noſtra melius famulo familia.
Sed quid ego ago? quod me agere oportet, hoc obſeruare oſtiũ.

Hic

Hic obſiſtam,hâc quidem pol uerba mihi nunquam dabunt.

PALESTRIO, PHILOCOMASIVM, SCELEDRVS.

PA. PRæcepta facito ut memineris. PH. mirum eſt,tolle mone-
re,memini. (malæ:

PA. At metuo,ut ſatis ſis ſubdola. PH. ne doceto malas,ut ſint
Mihi ſola ego ſuperſum. PA. age igitur,nunc iā inſiſte in dolos.
Ego iſtinc abs te procul recedam. ô quid agis Sceledre? S. hanc
rem gero.
Habeo aureis, loquere quid uis. PA. credo ego iſtuc éxtēplo tibi
Eſſe eundum actûtum extra portā diſpeſsis manibus, patibulum
Quom habebis. S. quam nam ob rem? PA. reſpice dum ad læ-
uam. quis illic eſt mulier?

S. Proh dij immortales noſtra herilis concubina eſt hæc quidem.

PA. Mihi quoque pol ita uidetur. age nunc iam quandò tibi lubet.

S. Quid agam? PA. peri propere. PH. ubi iſte bonus ſeruos,
qui prodit
Me maxume innocentem tibi falsò inſimulatam? PA. uæ tibi,
Hic dixit mihi. PH. quem dixti tu me uidiſſe in proximo,
Sceleſte hic oſculantem? PA. atque id alieno cum adoleſcentulo,
Dixit. S. dixi hercle uerò. PH. tún' me uidiſti? S. atque his qui-
dem oculis.

PH. Carebis credo,qui plus ecaſtor uident,quàm quod uident.

S. Nunquam hercle deterrebor,quin ego uiderim id quod uiderim.

PH. Ego uerò ſtulta moror multum,quæ cum hoc inſano fabulem,
Quem pol ego capitis perdam. S. noli minitari. ſcio crucem
Futuram mihi ſepulchrum:ibi enim mei maiores ſunt ſiti,
Pater,auos,proauos,abauos. non mihi poſſunt minacijs tuis
Hiſce oculi fodiri. ſed paucis uerbis te uolo Paleſtrio:
Obſecro unde exit hæc? PA. unde,niſi domo? S. domo? PA. te
uidente uides.

S. Niſi mirū eſt facinus,quomodo hæc nunc hinc tranſire potuerit.
Nam certo neque ſolarium apud nos eſt,neque ortus ullus, neq;
Feneſtra,niſi clatrata. nam certo ego te hic intus uideram.

PA. Pergin' ſceleſte intendere,et hāc arguere? PH. ecaſtor ergo mihi

Haud falſum euenit ſomnium, quod noctu hac ſomniauerim.
PA. Quid ſomniaſti? PH. ego tibi eloquar. ſed amabo aduortito
Animũ. hac nocte in ſomnis ſoror mea gemina et germana mihi
Viſa eſt ueniſſe Athenis in Epheſum cum amatore quodam ſuo.
Hi ambo hoſpitio huc in proxumum mihi diuorti ſunt uiſi.
S. Paleſtrioni ſomnium narratur. PA. perge porrò. PH. ego
Læta uiſa, quia ſoror ueniſſet: propter eandem maxumam
Suſpicionem uiſa ſum ſuſtinere. nam arguere in ſomnis meus
Me familiaris mihi uiſus eſt, me cum alieno adoleſcentulo
Quaſi nunc eſt, oſculatum: quom tamen illa oſculata mea ſoror
Gemina ſuum eſſet illum amicum. ita me inſimulatam perperã
Fuiſſe ſomniaui PA. ſatin' ut eadem uigilanti expetunt,
Quæ in ſomnis, uiſa memoras: heus hercle præſenti iam omnia.
Abi intrò, & comprecare. narrandum ego militi iſtuc cenſebo.
PH. Facere certum mihi. neq; ego prodi me quidem impune patiar
Ab iſtoc falsò inſimulatam. S. timeo quid rerum geſſerim.
Ita dorſum totum prurit. PA. ſcin' te perijſſe nũc quidem domi?
S. Certo. ſed certa res eſt, noſtrum nunc obſeruare oſtium,
Vbi eſſet. PA. at Sceledre quæſo, ut ad id exemplum ſomnium
Quaſi ſimile ſomniauit illa, atque ut tu ſuſpicatus es
Eam uidiſſe oſculantem? S. me eam non uidiſſe, arbitraris tu?
PA. Næ tu hercle opinor: obſecro reſpice, ſi ad herũ hæc res peruenit
Periſti pulchre. S. nunc demum experior ob oculos caliginem
Prius mihi obtigiſſe. PA. dudum ædepol planum eſt hoc quidem,
Quæ hucuſque fuerit intus. S. nihil habeo quod loquar. non uiderim,
Etſi uidi. PA. næ te ædepol ſtultitia tua penè perdidit:
Dum te fidelem facere hero uoluiſti, penè aſſumptus es.
Sed fores uicini proxumi concrepuerunt. conticeſcam iam.

PHILOCOMASIVM, PALESTRIO, SCELEDRVS.

PH. INde ignem in aram, ut Epheſiæ Dianæ latas laudes,
Grateſq; agam, eiq; ut Arabico fumificem odore,
Amœnè quæ me in locis Neptunijs templiſq; turbulentis
Seruauit ſæuis fluctibus, ubi ſum afflictata multum.

Pale-

S. Paleſtrio ô Paleſtrio. PA. ô Sceledre, Sceledre, quid uis?

S. Hæc mulier, quæ hinc exit modo, éſtne herilis concubina
Philocomaſium? an non eſt iſta? PA. hercle opinor, ea uidetur.
Sed facinus mirum eſt, quomodo hæc hinc potuerit tranſire:
Si quidem ea eſt. S. an dubium tibi eſt, eam eſſe hanc? PA. ea uidetur:
Adeamus, appellemus. S. heus, quid iſtuc Philocomaſium?
Quid iſtic tibi in hiſce ædibus debetur? quid negotij eſt?
Quid nunc taces? tecum loquor. PA. imò ædepol tute tecum:
Nam hæc nihil reſpondet. S. te alloquor, uitij probriq; plena
Quæ circum uicinos uages. PH. quicum tu fabularis?

S. Quicum, niſi tecum? PH. quis tu homo es? aut mecum quid eſt negotij?

S. Mén' rogas hem, qui ſiem? PH. quî? num hunc ego rogem, quem neſciam ego?

PA. Quis ego ſum igitur, ſi hunc ignoras? PH. mihi odioſus quiſquis es, tu
Et hic. S. non nos noſti? PH. neutrum. S. metuo maxume. PA. quid metuis?

S. Enim ne noſmet perdiderimus uſpiam. nam neque te, neque me
Nouiſſe ait hæc. P. perſcrutari hic uolo Sceledre, nos noſtri
An alieni ſimus: ne dum quiſpiam nos uicinorum
Imprudenteis aliquis immutauerit. S. certe equidem noſter
Sum. PA. & pol ego. quæris mulier malum. tibi dico. heus Philocomaſium.

PH. Quæ te intemperiæ tenent, qui me perperam perplexo appelles
Nomine? PA. ehò quî igitur uocare Philocomaſiũ dicere nomen
Si iniuria eſt? falſum nomen poßidere Philocomaſium
Poſtulas? at iſtuc nõ decet, et meo hero facis iniuriã. PH. egón'?

PA. Tu. PH. quæ heri Athenis Epheſum adueni ueſperi cum meo amatore
Adoleſcẽte Athenienſi? PA. dic mihi, quid tibi hic in Epheſo eſt
Negotij? PA geminã germanam hic eſſe meam ſororem audiui:
Eam ueni quæſitum. PA. mala es. PH. imò eccaſtor ſtulta multũ,
Quæ uobiſcum fabulem. abeo. S. abire non ſinam te. PA. mitte

Sceledre, manifeſtaria res eſt. S. non omitto. PH. at iã crepabũ
Manu malæ tibi, niſi me omittis. S. quid (malùm) illic adſtas?
Quin retines altrinſecus? PA. nihil moror, negotioſum
Mihi eſſe tergum. quî ſcio, an iſta non ſit Philocomaſium,
Atque alia eius ſimilis ſit? PH. mittis me, an non mittis? S. imò
Vi atque inuitam, atque ingratijs uolutatim domum te rapiam.
PH. Non oſtium, hoc mihi eſt domiciliũ. Athenis domus, ac herus eſt.
Ego iſtam domum neq; moror, neq; uos qui homines ſitis noui,
Neque ſcio. S. lege agito: te nuſquam mittam, niſi mihi das
Firmatam fidem, te huc, ſi emiſero, intrò ituram. PH. ui me cogis
Quiſquis es: do tibi fidem, ſi omittis, iſtuc me intrò ituram,
Quo iubes. S. ecce ergo mitto. PH. at ego abeo miſſa. S. mulie-
Feciſti fide. PA. Sceledre manibus amiſiſti prædam. (bri
S. Si quæam, tam ea eſt noſtra, quàm poteſt herilis concubina.
Vin' tu facere hoc ſtrenue? PA. quid faciam? S. mihi affer machæram huc intus.
PA. Quid facies ea? S. introrumpã rectà in ædeis: quenq; hic intus
Videro cum Philocomaſio oſculantẽ, cũ ego obtrũcabo ẽxtẽplo.
PA. Viſá'ne ea eſt? S. imò ædepol planè ea eſt. PA. ſed quomodo
Diſsimulabat? S. abi, machærã huc affer. PA. iam faxo hic erit.
NEQVE EQVES, NEQVE PEDES præfectus quiſquam tama audacia eſt,
Qui æque faciat confidenter, quàm mulieres faciunt,
Vt utrobique orationem docte duint. nam ut ſublinitur
Os cuſtodi cauto conſeruo meo? nimis beat,
Quòd commeatus eſt trans parietem. S. heus Paleſtrio,
Machæra mihi nihil opus eſt. PA. quid iam? aut quid opus eſt? S. domi
Eccam herilem concubinam. PA. quid, domi? S. in lecto cubat.
PA. Aedepol næ tibi malam rem reperiſti, ut prædicas.
S. Quî iam? PA. quia hãc attingere auſus mulierẽ hic in proxumo.
S. Magis hercle metuo. ſed nunquam quiſquam faciet, quin ſoror
Iſta ſit germana huius. PA. eam pol tu oſculantem hic uideras:
Et quidem palàm eſt, eam eſſe ut dicis. S. quid propius fuit,

Quàm

Quàm ut perirem, ſi locutus fuiſſem hero? PA. ergo ſi ſapis,
Muſsitabis: PLVS OPORTET ſcire ſeruom, quàm loqui.
Ego abeo, ne quid tecum conſilij commiſceam:
Atque apud hunc uicinum tuæ mihi turbæ non placent.
Herus ſi ueniet, ſi quæret me, hic ero, hinc me accerſito.

SCELEDRVS, PERIPLECTOMENVS.

S. SAtin' abijt hinc ille? neque herile negotium
Plus curat, quàm ſi non ſeruitutem ſeruiat.
Certo quidem illa hic noſtra intus eſt in ædibus.
Nam ego excubantem eam modo offendi domi.
Certu'ſt nunc obſeruationi operam dare.
P. Non hercle hiſce homines me marem, ſed fœminam
Vicini rentur eſſe ſerui militis:
Ita me ludificant. meáne hic in uia hoſpita,
Quæ heri huc Athenis cum hoſpite aduenit meo
Tracta & ludificata eſt ingenua & libera?
S. Perij hercle, hic ad me recta nunc abit uia.
Metuo illæc mihi res ne malo magno fuat,
Quantum hunc audiui facere uerborum ſenem.
Accedam ad hominem. P. tún' Sceledre hic ſcelerum caput,
Meam ludificaſti hoſpitam ante ædeis modo?
S. Vicine auſculta quæſo. P. ergo auſcultem tibi?
S. Expurgare uolo me. P. túne expurges mihi,
Qui facinus tantum, tamq́; indignum feceris?
An quia latrocinaris, arbitramini
Quiduis licere facere uobis uerbero?
S. Licétne? P. at ita di me deæq́; omnes ament,
Niſi mihi ſupplicium uirgarum de te datur
Longum, diutinumq́;, à mane uſque ad ueſperum,
Quòd meas confregiſti imbrices & tegulas
Ibi, dum condignam te ſectaris ſimiam:
Quodq́; inde inſpectauiſti meum apud me hoſpitem
Amplexum, amicam quom oſculabatur ſuam:
Quodq́; concubinam herilem inſimulare auſus es.

Probri pudicam, meq́; ſummi flagitij:
Tum quòd tractauiſti hoſpitem ante ædeis meas:
Niſi tibi ſupplicium ſtimuleum deditur,
Dedecoris pleniorem herum faciam tuum,
Quàm magno uento plenum eſt undarum mare.
S. Ita ſum coactus Periplectomene, ut neſciam
Vtrum me poſtulare tecum æquom'ſt prius:
Si iſtæc non eſt iſtæc, neque iſtæc eſt mihi:
An me expurgare hoc tibi uidetur æquius,
Sicut etiam nunc, neſcio quid uiderim:
Ita eſt iſtæc huius ſimilis noſtræ tua.
Siquidem non eadem eſt. P. uiſe ad me intrò, iam ſcies.
S. Licétne? P. neque te inhibeo, placide noſcita.
S. Ita facere certum eſt. P. heus Philocomaſium cito
Tranſcurre curriculo ad nos: ita negotium eſt.
Pòſt quando exierit Sceledrus à nobis, cito
Tranſcurrito ad uos rurſum curriculo domum.
Nunc pol ego metuo, ne quid infucauerit.
Si hic non uidebit mulierem, aperitur dolus.
S. Proh di immortales, ſimiliorem mulierem,
Magisq́; eandem quàm noſtræ eſt ea, non reor
Deos facere poſſe. P. quid nunc? S. commerui malum.
P. Quid igitur, eán' eſt? S. & ſi ea eſt, non eſt ea.
P. Vidiſtin' iſtam? S. uidi & illam & hoſpitem
Complexam atque oſculantem. P. eáne hæc eſt? S. neſcio.
P. Vin' ſcire planè? S. cupio. P. abi intrò ad uos domum:
Continuo uide ſitne iſta hæc domum uoſtram intus. S. licet:
Pulchre admonuiſti. iam ego ad te exibo foras.
P. Nunquam ædepol hominem quenquam ludificarier
Magis facete uidi, & magis miris modis.
Sed eccum egreditur. S. Periplectomene te obſecro
Per deos, atque homines, perq́; ſtultitiam meam,
Perq́; tuam gratiam. P. quid? S. meæ ut inſcitiæ,
Meæ ſtultitiæ ignoſcas: nunc demum ſcio

Me ſuiſ-

Me fuiſſe excordem, cæcum, incogitabilem.
Nam Philocomaſium eccam intus. P. quid nunc furcifer,
Vidiſti ambas? S. uidi. P. exhibeas herum uolo.
S. Meruiſſe equidem me maxumum fateor malum,
Et tuæ feciſſe me hoſpitæ aio iniuriam.
Sed meam eſſe herilem concubinam cenſui,
Quoi me cuſtodem herus addidit miles meus.
Nam è ſummo puteo ſimilior nunquam poteſt
Aqua aquæ ſumi, quàm hæc eſt, atque iſta eſt hoſpita.
Et me deſpexiſſe ad te per impluuium tuum
Fateor. P. quid ni fateare, ego qui uiderim?
S. Sed Philocomaſium me uidiſſe cenſui.
P. Ratiſne iſtic me hominem eſſe omnium minimi pretij,
Si ego me ſciente paterer uicino meo
Inferri apud me ita inſignite iniuriam?
S. Nunc demum à me inſipienter factum eſſe arbitror,
Quom rem cognoſco: at non malitioſe tamen
Feci. P. imò equidem indigne. NAM HOMINI SERVO, ſuos
Domitos habere oportet oculos, & manus,
Orationemq́;. S. egone? ſi poſt hunc diem
Mutiuero, etiam quod ego me certo ſciam,
Dato excruciatum me: egomet me dedam tibi.
Nunc hoc mihi ignoſcas quæſo. P. uincam animum meum:
Ne malitioſe factum id eſſe abs te arbitrer.
Ignoſcam tibi iſtuc. S. at dij tibi faciant bene.
P. Næ tu hercle ſi te di amabunt, linguam comprimas.
Poſthac etiam illud, quod ſcies, neſciueris:
Ne uideris, quod uideris. S. bene me mones:
Ita facere certum eſt. ſed ſatin' oratus abit?
Nunquid nunc aliud me uis? P. ne me noueris.
S. Dedit hic mihi uerba, qua benigne gratia
Fecit, ne iratus eſſet. ſcio quam rem gerat:
Vt me quom éxtemplo adueniat à foro domum,
Domi comprendat. unà hic & Paleſtrio

Me habent uenalem: ſenſi, & iamdudum ſcio.
Nunquam hercle ex iſta naſſa ego hodie eſcam petam.
Nam iam aliquò aufugiam, & occultabo aliquot dies,
Dum hæ conſileſcunt turbæ, atque iræ leniunt.
Nam iam nunc ſatis & plus nimio merui mali.
Veruntamen de me quicquid eſt, ibo hinc domum,
P. Ille hinc abſceßit. ſat ædepol certo ſcio,
OCCISAM SAEPE ſapere plus multo ſuem,
Quom manducatur. ne id quod uidit, uiderit?
Nam illius oculi, atque auris, atque opinio,
Transfugêre ad nos. uſque adhuc actum eſt probè.
Nimium feſtiua mulier operam præbuit.
Redeo in ſenatum rurſus. nam Paleſtrio,
Frequens ſenatus: Sceledrus nunc autem foras,
Illic domi apud me poterit nunc haberier.
Ibo intrò: ne dum abſum, illi in ſortito ſiem.

ACTVS TERTIVS.

PALESTRIO, PLEVSIDES, adoleſcens. PERIPLECTOMENVS.

PA. Cohibete intra limen etiam uos parumper Pleuſides:
Sinite me prius perſpectare, ne uſpiam inſidiæ ſient:
Conciliumq́; habere uolumus. nã opus eſt nunc tuto loco,
Inimicus ne quis noſtris ſpolia capiat conſilijs,
Atq; unde inimicus ne quis ſpolia capiat auribus. (teſt,
NAM BEME conſultum, inconſultum ſi ſit, inimicis uſu eſſe po
Si minus cum cura, aut catalogo loquendi lectum ſiet.
Quin ſi inimicis uſu eſt, obſit mihi.
Nam bene conſultum ſurripitur ſæpißime.
Quippe ſi reſciuêre inimici conſilium tuum, tibi
Tuopte conſilio occludunt linguam, & conſtringunt manus:
Atque eadem quæ illis uoluiſti facere, faciunt tibi,
Sed ſpeculabor nequis aut hinc ab læua, aut ab dextera
Noſtro conſilio uenator aßit cum auritis plagis.
Sterilis hinc proſpectus uſque ad ultimam plateam probè eſt.

Euoca-

Euocabo. heu Periplectomene & Pleuſides progredimini.

PE. Ecce nos tibi obediemeis. PA. FACILE EST imperiũ in bonis.
Sed uolo ſcire eodem conſilio, quod meditati intus ſumus,
Si gerimus rem. PE. magis ad rem non poteſt eſſe utibile.

PA. Imò qd tibi Pleuſides? PL. quod ne uobis placet, diſpliceat mihi?

PE. Quis homo ſit magis meus, quàm tu es? PL. loquere lepidè & commodè.

PA. Pol ita decet hunc fatere. PL. at hoc me facinus miſerũ macerat,
Meumq́; cor, corpusq́; cruciat. PE. quid id eſt quod cruciat te?

PL. Me tibi iſtuc ætatis homini facinora puerilia
Obijcere, neq; te decôra, neque tuis uirtutibus:
Eaq́; expetere te opibus ſummis mei amoris gratia.
Mihiq́; amanti ire opitulatum: atque ea facere facinora,
Quæ iſtæc ætas fugere facta magis, quàm ſectari ſolet:
Eam me pudet tibi in ſenecta obijcere ſolicitudinem.

PE. Nouo modo tu homo amas, ſi quidem te quicquam, quod faxis, pudet.
Nihil amas, umbra es amantum, magis quàm amator Pleuſides.

PL. Hanccine me ætatem exercere mei amoris gratia?

PE. Quid ais tu? itáne tibi ego uideor oppidò Acheronticus?
Tam capulari ſtamine tibi diu uideor uiuere? (quatuor.
Nam equidem haud ſum natus annos præter quinquaginta &
Clare oculis uideo, pernix ſum manibus, ſum pedes mobilis.

PA. Si albus capillus hic uidetur, neutiquam ibi ingenio ſenex ineſt:
In hoc amuſsitata ſua ſibi ingenua indoles.

PL. Pol id quidem ita experior eſſe ut prædicas Paleſtrio.
Nam benignitas quidem huius oppidò ut adoleſcentuli.

PE. Imò hoſpes magis quom periculum faciet, magis noſces meam
Comitatem, merito te amantem. PL. quid opus nota noſcere?

PE. Quom apud te exemplum experiundi habeas, non eges foris.
Nam qui ſe amauit, amantis ægre ingenium inſpicit. & ego
Amatoris aliquantum habeo, humorisq́; etiam in corpore:
Neque dum exarui ex amore, rebusq́; uoluptarijs.
Cauillator facetus, uel commodus conuiua item ero.

Neq;

Neque ego oblocutor unquam ſum alteri in conuiuio.
Incommoditate abſtinere me apud conuiuas commode
Commemini: & meæ orationis iuſtam partem perſequi,
Et meam partem itidem tacere, quom aliena eſt oratio.
Minime ſputator, ſcreator ſum itidem minime ſuccidus.
Pòſt, Epheſi ſum natus: non enim in Apulis, non ſum in Vmbria.

PA. O lepidum ſemiſenem, næ ſi quas memorat uirtutes habet,
Atque equidem planè eductum in nutricatu Venerio.

PE. Plus dabo quàm prædicabo ex me uenuſtatis tibi.
Neque ego unquam alienum ſcortum ſubagito in conuiuium:
Neque præripio pulpamentum: neque præuorto poculum.
Neq; per uinum unquam ex me exoritur diſsidium in conuiuio.
Si quis ibi eſt odioſus, abeo domum, ſermonem ſegrego:
Venerem, amorem, amœnitatemq́; accubans exerceo,
Et quidem ædepol omneis mores ad uenuſtatem iugiter.

PL. Cedò treis mihi homines cõtrà aurichalco emptos iſtis moribus.

PA. At quidem illuc ætatis qui ſit, non inuenies alterum
Lepidiorem ad omneis res, nec qui amicus amico ſit magis.

PE. Tu te me ut fateare faciam, eſſe adoleſcentem moribus:
Ita apud omneis comparebo tibi res benefactis frequens.
Opus eritne tibi aduocato triſti, iracundo? ecce me.
Opus leni? leniorem dices, quàm mutum eſt mare:
Liquidus citusq́; ero, quàm uentus eſt Fauonius.
Vel hilariſſumum conuiuam me extimandum exprimam tibi,
Vel primarium paraſitum, atque obſonatorem optumum.
Tum ad ſaltandum, nõ cinædus magis uſquam ſaltat, quàm ego.

PA. Quid ad illas arteis optes ſi optio eueniat tibi?

PL. Huius pro meritis ut referri pariter poſsit gratia,
Tibiq́;: quibus eſſe me experior ſummæ ſolicitudini,
At tibi tanto ſumptui eſſe mihi moleſtum eſt. PE. mortuus es:
NAM IN MALA VXORE atque inimico ſi quid ſumatur,
ſumptus eſt.
In bono hoſpite atque amico, quæſtus eſt quod ſumitur.
Et quod in diuinis rebus ſumas ſumptus, ſapienti lucro eſt.

Dein

Dein deûm uirtute euntẽ hoſpitio accipere,apud me eſt comitas.
Es,bibe,animo obſequere mecum,atque onerato hilaritus me.
Liberæ ſunt ædes:liber ſum autem ego,me uti uolo libere.
Nam mihi uirtute deûm,dicam,propter diuitias datas,
Licuit uxorem dotatam genere ſummo ducere.
Sed nolo mihi oblatratricem in ædeis intromittere.
PL. Cur non uis:nam procreare liberos lepidum eſt onus.
PE. Hercle uerò liberum hominem eſſe,id multo eſt lepidius.
PL. Tu homo & alteri ſapienter potis es conſulere,& tibi.
PE. Nam bona uxor,ſi ea quidem deducta eſt uſquam gentium,
Vbi ea poſsit inueniri? uerùm egone eam ducam domum,
Quæ mihi hæc dicat,Eme mi uir lanam,unde tibi pallium
Malacum,& calidum,conficiantur tunicæ mihi hybernæ bonæ,
Ne algeam hac hyeme? hoc,hoc nunq̃ uerbum ex uxore audiam.
Et prius quàm galli cantent,quæ me ſomno ſuſcitet,
Da mihi uir calendis quæ mittam,quom Martiæ uenerint:
Da qui faciat,qui condiat:da quod dem quinquatribus,
Præcantatrici,collectrici,ariolæ,atq; haruſpicæ.
Flagitium eſt,ſi nil mittetur,quo ſupercilio ſpicit.
Tum Patrita clementer,non pota eſt,inquit,munere.
Iampridem,quia nihil abſtulerit,ſuccenſet cellaria.
Tum obſtetrix expoſtulauit mecum parum miſſum ſibi.
Quid,nutrici non miſſurus quicquam, quæ uernas alit?
Hæc atque huius ſimilia alia damna multa mulierum.
Nunc uxorem prohibent mihi,& quæ huius ſermonis erant.
PA. Dij tibi ſunt propitij hercle:nam ſi iſtam ſemel amiſeris
Libertatem,haud facile te in eundem reſtitues locum.
PL. At illa laus eſt magno in genere & diuitijs maxumis,
Liberum hominem educare generi monimentum,& ſibi.
PE. Quandò habeo multos cognatos,quid opus ſit mihi liberis?
Nunc bene uiuo,et fortunate,atq; ut uolo,atque animo ut lubet.
Mea bona mea morte cognatis dicam inter eos partiam.
Illi apud me edunt,me curant,uiſunt quid agam,ecquid uelim.
Prius quàm lucet,adſunt:rogitant noctu an ſomnum ceperim.

Eos pro liberis habeo. quin mittunt munera:
Sacruficant: dant inde partem mihi maiorem, quàm ſibi.
* Abducunt * ad exta me: ad ſe ad prandium, ad cœnam uocant.
ex- Ille miſerrimum ſe retur, minimum qui miſit mihi.
tra Illi inter ſe certant donis: ego mecum muſsito.
me. Bona mea inhiant. certatim nutricant & munere.
PA. Nimis ratione bona nimiumq́; apte tu multa uides:
Et tibi ſunt gemini, & tergemini, ſi te bene habes, filij.
PE. Pol ſi habuiſſem, cepiſſem ſatis miſeriarum, liberis
* Cenſerem * emori, cecidiſsétne ebrius, aut de equo uſpiam.
mœ- Metuerem ne ibi defregiſſet crura, aut ceruiceis ſibi.
rorē. Ea mihi inſignitos pueros pariat poſtea,
Aut uarū, aut ualgum, aut compernem, aut petū, aut brocchum.
PA. Huic homini dignum eſt diuitias eſſe, diu uitam dare,
Qui ægre ſeruat, & qui bene habet, ſuiſq́; amicis uolt uolup.
O lepidum caput: ita me dij deæq́; ament, æquom fuit
Deos paraſſe, uno exemplo ne omnes uitam uiuerent.
Sicuti merci pretium ſtat, pro uirtute ut ueneat:
Quæ improba eſt, pro mercis uitio dominum pretio pauperat.
Itidem diuos diſpertiſſe uitam humanam æquom fuit:
Qui lepide ingenuatus eſſet, uitam longinquam darent.
At qui improbi, & ſceleſti, ijs adimerent animam cito.
Si hoc parauiſſent, homines eſſent minus multi mali,
Et minus audacter ſceleſta facerent facta: & poſtea
Qui homines probi eſſent, eſſet his annona uilior.
PE. Quid deorum conſilia culpes ſtultus inſcitusq́;, ſic
Qui deos uituperes? nunc iam iſtis rebus deſiſti decet.
Nunc uolo obſonare, uel ut hoſpes te tua ex uirtute meæ
Domi accipiam benigne, lepide, & lepidis uictibus.
PL. Nihil me pœnitet iam quanto ſumptu fuerim tibi.
NAM HOSPES nullus tam in amici hoſpitium deuorti poteſt,
Quin ubi triduum continuum fuerit, iam odioſus ſiet.
Verùm ubi dies decem continuos ire ad eundem inſtat,
Tametſi dominus non inuitus patitur, ſerui murmurant.

Serui-

PE. Seruienteis ſeruitutem ego ſeruos introduxi mihi
Hoſpes,non qui imperarent mihi,quibus ego eſſem obnoxius.
Si illud ægre'ſt,mihi quod uolupe eſt,meo animo morem geros
QVOD TAMEN odioſe faciundum,fit malum atq; ingratijs.
Nunc quod occœpi, obſonatum pergam.PL.ſi certu'ſt tibi,
Commodum obſona,nec magno ſumptu:mihi quod uis ſat eſt.
PE. Quin tu iſtanc orationem hinc ueterem atq; antiquam amoues?
Nam proletario ſermone nunc quidem hoſpes utere.
Nam hi ſolent,quando accubuere,ubi cœna appoſita eſt,dicere:
Quid tibi opus fuit hoc ſumptu tanto noſtra gratia?
Inſaniiſti hercle:nam idem hoc hominibus ſat erat decem.
PA. Quod eorum cauſa obſonatum eſt,culpant,& comedunt tamen.
PA. Fit pol illud ad illud exemplum. ut doctè & perſpectè ſapit.
PE. Sed idē homines nunquam dicūt quanquā appoſitū eſt ampliter,
Iube illud demi,tolle hanc patinam,pernam nihil moror:
Aufer hinc illam offam penitam,probus hic conger frigidus:
Remoue,abi,aufer. neminem eorum hæc aſſeuerare audias:
Sed percellunt,ſed perducunt,dimidiatim dum appetunt.
PA. Bonus hercle ut malos deſcripſit mores? PE. haud centeſimam
Partem dixi,atque otium rei ſi ſit,poſſum expromere.
PA. Igitur id quod agitur,nunc hoc primum præuorti decet.
Nunc huc animum aduortite ambo. mihi opus eſt opera tua
Periplectomene:nam ego inueni lepide ſycophantiam,
Qui miles admutiletur cæſariatus:atque uti
Huic amanti ad Philocomaſium hanc efficiamus copiam,
Vt eam hinc abducat,abeatq;. PE. dari iſtanc rationem uolo.
PA. At ego mihi annulū dari iſtunc tuū uolo.PE. quam ad rem uis?
PA. Quando habebo igitur, rationem mearum fabricarum dabo.
PE. Vtere,accipe. PA. accipe à me rurſum rationem doli,
Quā inſtitui.PL.perpurgatis ambo damus tibi operā auribus.
PA. Herus meus ita magnus mœchus eſt mulierum,ut neminem
Fuiſſe æque,neq; futurum credo. PL. credo ego iſtuc idem.
PA. Itaque Alexandri præſtare prædicat formam ſuam:
Itaque ſe omneis ultrò ſectari in Epheſo memorat mulieres.

Aedi-

PE. Aedepol quid de iſto multa? ſcio te non mentirier.
Sed ego ita eſſe, ut dicis, teneo pulchre: proin' Palæſtrio
Quàm potes, tam uerba confer maxume ad compendium.

PA. Ecquam tu potes reperire forma lepida mulierem,
Quoi fallaciarum mens, corpusq; ſit plenum & doli.

PE. Ingenuam an libertinam? PA. parui iſtuc facio, dummodo
Eam des, quæ ſit quæſtuoſa, quæ alat corpus corpore,
Quoiq; ſapiat pectus. nam cor non poteſt, quod nulla habet.

PE. Lautam uis, an quæ nondum ſit lauta? PA. ſicco ſuccidam,
Quàm lepidiſſumam potes, quamq; adoleſcentem maxume.

PE. Habeo eccillam clientam meam, meretricem adoleſcentulam.
Sed quid ea uſus eſt? PA. ut ad te eam iam deducas domum.
Itaque eam huc ornatam adducas matronarum modo,
Capite compto, crines uittasq; habeat, aſsimuletq; ſe
Tuam eſſe uxorē. ita præcipiendū. PL. erro quam inſiſtas uiam.

PA. At ſcietis poſtea. ſed ecquæ ancilla eſt illi? PE. eſt primita.

PA. Ea quoque opu'ſt. ita præcipio mulieri, atque ancillulæ
Vt ſimulet ſe eſſe tuam uxorem, & deperire hunc militem.
Quaſiq; hunc annulum Fameſtæ ancillæ dederit, ea porrò mihi,
Militi ut darem, quaſiq; ego rei ſim interpres. PE. audio.

PA. Ne me ſurdum uerbera. tu ſi audis, ego rectè militi
Dabo: tua mihi uxore dicam delatum, & datum,
Vt ſe ad eum conciliarem. ille eiuſmodi eſt, cupiet miſer:
Qui niſi adulterio ſtudioſus, nulli aliæ rei eſt improbus.

PE. Non potuit reperire, ſi ipſi ſoli quærendas dares,
Lepidiores duas ad hanc rem, quàm ego. habe animum bonum.

PA. Ergo accura: & propera. nunc tu auſculta mi Pleuſides.

PL. Tibi ſum obediens hoc facto. PA. miles domum ubi aduenerit,
Memineris ne Philocomaſium nomines. PL. quam nominem?

PA. Dic eā. PL. nempe eandē, quæ dudū conſtituta eſt. PA. pax, abi.

PL. Meminero: ſed quid meminiſſe id refert? PA. ego enim dicam
Tibi tum demum, quando uſus poſcet: interea tace,
Vt quom etiam hic agit, actûtum parteis defendas tuas.
Ego eo intrò igitur. PA. hæc præcepta ſobriè ut cures, face.

PALE-

PALESTRIO, LVCRIO, puer.

P. QVantas res turbo, quantas moueo machinas?
Eripiam ego hodie concubinam militi,
Si centuriati bene ſunt manipulares mei.
Sed illum uocabo. heus Sceledre, niſi negotium,
Progredere ante ædeis: te uocat Paleſtrio.
L. Non opera eſt Sceledro. P. quid iam? L. ſorbet dormiens.
P. Quid, ſorbet? L. illud, ſtertit uolui dicere:
Sed quia conſimile eſt, quod ſtertas, quaſi ſorbeas.
P. Ehò an dormit Sceledrus intus? L. non naſo quidem.
Nam eo magnum clamat, tetigit calicem, clanculum
Dimiſit nardini unam amphoram cellarius.
P. Ehò tu ſceleſte, qui illi ſuppromus: ehò tu.
L. Quid uis? P. quî libitum eſt illi condormiſcere?
L. Oculis opinor. P. non te iſtuc rogito ſcelus.
Procede huc: periiſti iam, niſi uerum ſcio.
Prompſiſti tu illi uinum? L. non prompſi. P. negas?
L. Nego hercle uerò: nam ille me uetuit dicere.
Neque equidem heminas octo exprompſi in urceum.
Neque illæ hic calidum exuunt in prandium.
P. Neque tu bibiſti? L. dij me perdant, ſi bibi.
P. Quî iam? L. quia enim obſorbui: nam mihi nimius calor
Comburebat gutturem: alij ſunt ebrij,
Poſtquam potarunt. P. bono cella ſuppromo credita.
L. Tu hercle faceres idem, ſi tibi eſſet credita.
Quoniam æmulari non licet, nunc inuides.
P. Ehò an nunquam prompſi antehac? reſponde ſcelus.
Atque ut tu ſcire poſsis, ego dico tibi,
Si falſa dicis, faxo iam excruciabere,
Ita uerò ut tu ipſe me dixiſſe dictites.
L. Poſt hæc ſagina ego eijciar cellaria:
Vt tibi qui prompſeris alium ſuppromum pares.
P. Non ædepol faciam. age, loquere audacter mihi.
L. Nunquam ædepol uidi promere, uerùm hoc erat:

Mihi imperabas, ego promebam: poſtea
Hic illi Sceledro capite ſiſtebas cadum.
Non hercle tam iſthoc ualide quaſſabant cadi:
Sed in cella paululum erat loculi lubrici:
Ibi erat bilibris aqualis, hic propter cados,
Eaq́; ſæpe decies complebatur die,
Eam plenam atque inanem fieri, plenam à ſummo,
Vbi bacchabatur auia, quaſſabant cadi.
P. Abi abi intrò iam, uos in cella uinaria
Bacchanal facitis: iam hercle ego herum adducam à foro.
L. Perij, excruciabit me herus domum ſi uenerit,
Quom hæc facta ſcibit: quia ſibi non dixerim.
Fugiam hercle aliquò, atque hoc in die extollam malum.
Ne dixeritis huic, obſecro uoſtram fidem.
P. Quò te agis? L. ſum miſſus aliò, iam huc reuenero.
P. Quis miſit? L. Philocomaſium. P. abi, actûtum redi.
L. Quæſo tamen, tu meam partem infortunij,
Si diuidetur me abſente, accipito tamen.
P. Modo intellexi, quam rem mulier geſſerit:
Quia Sceledrus dormit, hunc ſubcuſtodem ſuum
Foris ablegauit, dum eapſe tranſire huc placet.
Sed Periplectomenus, quam ei mandaui, mulierem
Nimis lepida forma ducit. di hercle hanc rem ut iuuant?
Quàm digne ornata incedit, haud meretricie.
Lepide hoc ſuccedit ſub manus negotium.

PERIPLECTOMENVS, MILPHIDIPPA, ACROTELEVTIVM, PALESTRIO.

PE. REm omnẽ hanc edere uos ut uelim, tibi mea Milphidippa
Domi demonſtraui ordine: hanc fabricam, fallaciasq́;
Minus ſi tenetis, denuo uolo percipiatis plane.
Satis ſi intelligitis, aliud eſt quod potius fabulem.
M. Stultitia magna atque inſipientia, non fallacia hæc ſit,
Me ire in opus alienum, aut tibi meam operam pollicitari,
Si ea opificina neſciam aut mala eſſe, aut fraudulenta.

At me-

PE. At melius eſt monerier. M. meretricem commoneri,
Quàm ſanè magni referat, nihil clàm eſt. quin ego fruſtro,
Poſtquam adhibere meas aureis ad tuam moror orationem.
Tibi dixi, miles quemadmodum potis eſſet deartuari.
PE. AT NEMO ſolus ſatis ſapit: nam ego multos ſæpe uidi
Regionem fugere conſilij, prius quàm repertam habere.
A. SI QVID faciundum eſt mulieri malæ atque malitioſæ,
Ea ſibi immortalis memoria eſt, meminiſſe & ſempiterna.
Sin bene aut fideliter quid faciundum ſit, eadem ueniunt,
Obliuioſæ èxtemplo ut fiant, & meminiſſe nequeant.
PE. Ergo iſtuc mecum cònuenit: uobis faciundum utrunque.
Nam id proderit mihi, malitia malè quod facietis ambæ.
A. Dum neſcientes quid bonum faciamus, ne formida.
PE. Mala nulla meretrix eſt. A. ne paue, peioribus conueniunt.
PE. Ita uos decet, conſequimini. PA. ceſſo ego illis obuiam ire?
Venire ſaluom gaudeo. lepide ornatus hercle incedis.
PE. Bene, opportuneq́; obuiam is Paleſtrio: tibi adſunt,
Quas me iuſsiſti adducere, & quo ornatu. A. heus noſter.
PA. eſto.
Paleſtrio Acroteleutium ſalutat. A. quis nam homo eſt hic
Qui tam pro nota me nominat? PE. hic noſter architectu'ſt.
A. Salue architecte. PA. ſalua ſis. ſed dic mihi, ecquid hic te
Onerauit præceptis? PE. probè meditatam utranque duco.
PA. Audire cupio quemadmodum: ne quid peccetis paueo.
PE. At tua præcepta: de meo nihil his nouom ipſe appoſui.
A. Nempe ludificari militem tuum herum uis? PA. exlocuta es.
A. Lepidè, & ſapienter, commodè, & facetè res paratæ.
PA. Atque huius nunc uxorem te uolo aſsimulare. A. fiat.
PA. Quaſi militi animum adieceris, ſimulare ſic futurum,
Quaſi quæ hæc res per me interpretẽ, et tuã ancillam curetur.
A. Bonus uates poteras eſſe: quom quæ ſunt futura, uideas.
PA. Quaſi quæ anulum hunc ancillula tua abs te detulerit ad me,
Quem ego militi darem tuis uerbis. A. nunc uera dicis.
PA. Quid iſtis nunc memoratis opus eſt commeminere melius?

A. NAM MI patrone hoc cogitato, ubi probus eſt architectus,
Bene liniatam ſi ſemel carinam collocauit,
Facile eſſe nauem facere, ubi fundata & conſtituta'ſt.
Nunc hic carina ſatis & fundata eſt bene, & ſtatuta.

PA. Adſunt fabri, architectiq́;, eam quidem ad rem haud imperiti.

A. Si non nos materiarius remoratur, quod quidem opus eſt:
Noui indolem noſtri ingenij, cito erit parata nauis.

PA. Nempe tu nouiſti militem meum herum? A. rogare, miru'ſt.
Populi odium quid ni nouerim? magnum illum concinnatum,
Mœchum unguentatum. PA. num ille etiam te nouit? A. nunquàm uidit:
Quî nouerit me, quis ego ſum? PA. nimis lepide fabulare:
Eo poterit uerum lepidius fieri. A. potíne ut hominem
Mihi des? quieſcas cætera: ni illum ludificata lepide,
Culpã omnem poſt in me impingito. PA. age igitur, uos intrò abite:
Inſiſtite hoc negotium ſapienter. A. alia cura.

PA. Age Periplectomene duc has nunc intrò: ego ad forum illum
Conueniam, atque illi hunc annulum dabo, atque prædicabo
A tua mihi uxore eſſe datum, eamq́; illum deperire.
Hanc ad nos, quàm éxtemplo à foro ueniemus, mittito tu,
Quaſi clanculum ad eum miſſa ſit. PE. faciemus: alia cura.

PA. Vos modo curate, ego illum probè iam oneratum huc acciebo.

PE. Bene ambula, bene rem gere. at ego hoc nunc efficiam planè,
Vt concubinam militis meus hoſpes habeat hodie,
Atque hinc Athenas abeat hodie. hunc nos dolum dolamus.
Quid tibi ego mittam muneris? A. des ne aliæ mulieri operam.

PA. Lepidæ ſunt, & comes ſunt. A. at confido iam futurum:
Vbi facta erit collatio noſtrarum malitiarum,
Haud uereor ne nos ſubdola perfidia peruincamur.
Abimus ergo intrò, hæc uti meditemur. PE. cogitate
Ne quid, ubi miles uenerit, titubetur. A. tu morare,
Vt accurate & commode hoc quod agendum eſt, exequamur.

ACTVS QVARTVS.

PYRGOPOLYNICES, PALESTRIO.

Volu-

PY. VOlupę'ſt quod agas, ſi id procedit lepide ex ſententia.
Nam ego hodie ad Seleucum regẽ miſi paraſitum meũ,
Vt latrones quos conduxi, hinc ad Seleucum duceret,
Qui eius regnum tutarentur, mihi dum fieret otium.
PA. Quin tu rem tuam cura potius quàm Seleuci, quæ tibi
Conditio noua, & luculenta fertur per me interpretem.
PY. Imò omneis res poſteriores pono, atque operam do tibi.
Loquere. aureis meas profecto dedo in ditionem tuam.
PA. Circumſpicito dum nequis noſtro auceps ſermoni ſiet:
Nam hoc negotij clandeſtinò ut agerem, mandatur mihi.
PY. Nemo adeſt. PA. hunc arrabonẽ amoris primum à me accipe.
PY. Quid hic, aut unde eſt? PA. à luculenta atq; feſtiua fœmina,
Quæ te amat, tum quæ expetiſcit pulchram pulchritudinem.
Eius hunc annulum ad te ancilla porrò ut afferrem dedit.
PY. Quid ea? ingenua, an feſtuca facta, ſerua an libera eſt?
PA. Vah, egóne ut ad te ab libertina eſſe auderem internuntius?
Quî ingenuis factis reſponſaret? te eapſe cupit uti.
PY. Nupta iſta, an uidua? PA. & nupta & uidua. Py. quo pacto potis
Vidua & nupta eſſe eadẽ? PA. quæ adoleſcens nupta ſit cũ ſene.
PY. Euge. PA. lepida & liberali forma eſt. Py. caue mendacium.
PA. Ad tuã formam illa una digna eſt. Py. hercle pulchrũ prædicas.
Sed quis ea eſt? PA. ſenis huius uxor Periplectomenis. Py. proxumi?
PA. Ea demoritur te: atque ab illo cœpit abire, odit ſenem.
Nunc te orare atque obſecrare iuſsit, ut tui copiam
Sibi, poteſtatemq; facias. Py. cupio hercle equidem, ſi illa uolt.
PA. Quæ cupit? Py. quid illa faciemus concubina, quæ domi eſt?
PA. Quin tu illam iube abs te abire quò lubet, ſicut ſoror
Eius gemina uenit Epheſum, & mater, arceſſuntq; eam.
PY. Ain' tu? aduênit Epheſum eius mater? PA. aiunt qui ſciunt.
PY. Hercle occaſionem lepidam, ut mulierem excludam foras.
PA. Imò uin' tu lepide facere? Py. loquere, & conſilium cedò.
PA. Vin' tu illam actûtum amouere à te, ut abeat per gratiam?
PY. Cupio. PA. tum hoc facere oportet, tibi diuitiarum affatim eſt.

Iube ſis aurum atque ornamenta, quæ illi inſtruxiſti,
Mulierem dono habere, auferre abs te quod lubeat ſibi.

PY. *Placet, ut dicis: ſed ne iſtam amittam, et hæc mutet fidem,*
Vide modo. PA. *uah delicatus, quæ te tanquam oculos amet.*

PY. *Venus me amat?* PA. *at tace, aperiuntur fores, concede huc iam.*
Hæc celox illius eſt, quæ hic egreditur internuntia.

PY. *Quæ hæc celox?* PA. *ancillula illius eſt, quæ hic egreditur foras,*
Quæ annulum iſtunc attulit, quem tibi dedi. PY. *ædepol equidẽ*
Bellula eſt. PA. *pithecium hæc eſt præ illa & ſpinthurnicium.*
Viden' tu illam oculis mature facere, atque aucupium auribus?

MILPHIDIPPA, PYRGOPOLINICES, PALESTRIO.

M. *IAm'ne eſt ante ædeis hircus? ubi ludificandus mihi eſt?*
Diſsimulabo, hos quaſi non uideam, neque eſſe hic etiam dum ſciam.

PY. *Tace, ſubauſcultemus ecqua de me fiat mentio.* (ſuam?

M. *Nunc quis nam hic prope adeſt, qui rem alienam potius curet q̃*
Quiq; aucupetur, tanquam quidem qui ueſperi uiuat ſuo?
Eos nunc homines metuo mihi, ne obſint, neue obſtent uſpiam,
Domo ſi ibit, ac dũ huc tranſibit. nanq; huius cupiẽs corporis eſt:
Atq; amat hunc hominẽ nimium lepidũ, & nimia pulchritudine,
Militem Pyrgopolinicẽ. PY. *ſatin' hæc quoq; me deperit? meam*
Laudat ſpeciem? ædepol huius ſermones, haud cinere quæritant.

PA. *Quo hoc argumẽto?* PY. *q̃a enim loq̃tur laute et minime ſordide.*
Tum autem illa ipſa eſt nimium lepida, nimiſq; nitida fœmina.
Hercle uero iam mihi adlubeſcit primulum Paleſtrio.

PA. *Priusne q̃ illam oculis tuis uides?* PY. *uideo, id quod credo tibi.*
Tum hæc elocutio, illa autem abſens ſubigit me, ut amem hercle hanc quidem.

PA. *Nihil tu amaſsis, mihi hæc deſponſata'ſt, tibi ſi illa hodie nupſerit:*
Ego hanc continuo uxorem ducam. PY. *quid ergo hanc dubitas colloqui?*

PA. *Sequere hâc me ergo.* PY. *pediſſequos tibi ſum.* M. *utinam quoius cauſſa foras*

Egreſſa ſum conueniundi mihi poteſtas eueniat.

PA. Erit,& tibi exoptatū obtinget.bonū habe animum,ne formida.

M. Homo quidem eſt. PA. qui ſcit,quod quæris, ubi ſit? M. quem ego hic audiui?

PA. Socium tuorum conſiliorum,& participem conſiliarium. (las.

M. Tū pol igitur id quod cælo,haud cælo.PA.imò etiā,ſed non cæ-

M. Quo argumento? PA. inſido caelas,ego ſum firme tibi fidelis.

M. Cedò mihi ſignū ſi hoc uerū eſt.PA.amat mulier quædā quendā.

M. Pol iſtuc quidē multæ.PA. at nō multæ de digito domū mittūt.

M. Enim cognoui nunc,feciſti modo mihi ex procliuo parem.

Sed hic num quis adeſt? PA. uel adeſt,uel non. M. cedò te mihi ſolæ ſolum.

PA. Breuin' an longinquo ſermone? M. tribus uerbis. PA. iam iam ad te redeo. (ſtror.

Py. Quid ego hic aſtabo tantiſper cum hac forma,& factis? ſic fru-

PA. Patere atque aſta, tibi ego do hanc operam. Py. properando excrucior miſer.

PA. Pedetentim tu hæc ſcis,tractari ſolere haſce huiuſmodi meritis.

Py. Age age ut tibi maxume concinnius. PA. nullum eſt hoc ſtolidius ſaxum.

redeo nunc ad te,conſiliū quaſi hunc depereas. M. teneo iſtuc.

PA. Collaudato huius formā, & faciem,& uirtutes commemorato.

M. Ad eam rem habeo omnē faciem,ut dudū iam tibi demonſtraui.

Tu contrà cura & contempla,& de uerbis meis uenator.

Py. Aliquā mihi partē hodie operæ des, deniq; iā tandē ades illico.

PA. Aſſum, impera ſi quid uis. Py. quid illa hæc narrat tibi? PA. lamentari

Ait illam miſeram,cruciari,& lachrumantem ſe afflictare,quia

Tis egeat,quia te careat:ob eā rem huc ad me miſſa'ſt.Py. iube

Adire. PA. at ſcin' quid tu facias? facias faſtidij plenum,

Quaſi non lubeat,& me inclamato,quia ſic te uolgo uolgem.

Py. Memini, & præceptis parebo. PA. uoco ergo hanc huc, quæ te quærit.

Py. Adeat ſi quid uolt.PA.ſi quid uis,adi mulier.M. pulcher ſalue.

Py. Meum cognomentũ commemorauit. dij dent quæcunq; optes.
M. Tecũ ut ætatem exigere liceat. Py. nimiũ optas. M. nõ me dico,
Sed heram meam, quæ te demoritur. Py. multæ aliæ idem iſtuc cupiunt.
Quibus copia non eſt. M. ecaſtor haud mirũ ſi te habes carum,
Hominem tam pulchrũ, & præclara uirtute, & forma factisq;.
Dignior fuit quiſquam homo, qui eſſet? PA. non hercle humanum eſt hoc, credo. (heus
Nã uolturio plus humani credo eſt. Py. magnũ me faciam nunc,
Quoniã illæc me collaudauit. PA. uidẽn' tu ignauũ ut ſeſe ĩferat?
Quin tu huic reſponde: hæc illæc eſt, ab illa quam dudum tibi.
Py. Qua ab illarum? nam ita me occurſant multæ, haud meminiſſe omnes poſſum.
M. Ab illa quæ digitos deſpoliat ſuos, & tuos digitos decorat.
Nam hunc annulum ab tui cupiente huc detuli huic porrò.
Py. Quid nunc tibi uis mulier? memora. M. ut quæ te cupit, eam ne ſpernas,
Quæ per tuam nunc uitam uiuit. ſit, nec ſit ſpes, in te uno eſt.
Py. Quid ea nũc uolt? M. te cõpellare, & complecti, & contrectare.
Nam niſi tu fers illi ſuppetias, iam illa animum deſpondebit.
Agè mi Achilles, fiat quod te oro, ſerua illam pulchrã pulcher:
Exprome benignũ ex te ingeniũ, urbium captor, occiſor regum.
Py. Heu hercle odioſas res: quoties hoc tibi uerbero ego interdixi,
Meam ne ſic uolgo polliciteris operam? PA. audin' tu mulier?
Dixi hoc tibi dudum, & nũc dico, niſi huic uerri affertur merces,
Non hic ſeminio ſuo quanq; porculenam partituru'ſt.
M. Dabitur quantum ipſus precij poſcet. PA. talentum philippûm huic opus auri eſt.
Minus hic à nemine accipiet. M. heu ecaſtor nimis uile eſt tandẽ.
Py. Non mihi auaritia unquam innata eſt, ſatis habeo diuitiarum.
Plus mihi auri mille eſt modiorũ philippi. PA. præter theſaurũ,
Tũ argenti montes, nõ maſſas habet, Aetna mons nõ æque altus.
M. Heu ecaſtor hominem periurum. PA. ut ludo? M. quid ergo tu ſublætus?

Scite

PA. Scite. M. ſed ámabo mitte me actûtum. PA. quin tu huic reſponde aliquid,
Aut facturũ, aut non facturũ: quid illã miſeram animi excrucias,
Quæ numquam male de te merita eſt? Py. iube ipſe eam exire huc ad nos. (æquom,
Dic me omnia, quæ uolt, facturum. M. facis nunc, ut facere eſt
Quæ te uolt, et eandẽ tu uis. PA. nũ hic inſulſum habet ingenium.
M. Quomq; me oratricem non ſpreuiſti, ut exorarẽ ex te. quid eſt,
Vt ludo? PA. nequeo hercle quidem riſu meo moderarier:
Ob eam cauſſam huc abs te auorti. Py. nõ ædepol tu ſcis mulier,
Quantum ego honorem nunc illi habeo. M. ſcio, & iſtuc ei dicam. PA. contrà
Auro alij hanc uendere potuit operam. M. pol iſtuc tibi credo.
PA. Meri bellatores gignuntur, quas hic prægnanteis fecit:
Et pueri, annos octingentos qui uiuont. M. uæ tibi nugator.
Py. Quin mille annorum perpetuo uiuont ab ſeculo ad ſeculum.
PA. Minus eo dixi, ne hæc cenſeret me aduorſum ſe mentiri.
M. Perij, quot hic annos uiuet, quoius filij tam diu uiuont?
Py. Poſtriduo natus ſum ego mulier, q̃ Iuppiter ex Ope natus eſt.
PA. Si hic pridie foret, quàm ille eſt: hic regnum haberet in cœlo.
M. Iam iam ſat ámabo eſt: ſinite ut abeam, ſi poſſum, uiua à uobis.
PA. Quin ergo abis, quando reſponſu'ſt? M. ibo, atq; illã adducam,
Quam propter opera eſt mihi. num quid uis? Py. ne ſim magis pulcher quam ſum:
Ita me mea forma habet ſollicitum. PA. quid hic nunc ſtas? quin abis? M. abeo.
PA. Atq; adeò, audin' tu? dicito docte & cordate, ut cor ei ſaliat.
Philocomaſio dic, ſi eſt hic, domum ut tranſeat, hunc hic eſſe. M. hic cum hera eſt:
Clam noſtrũ hunc illæ ſublegerunt ſermonẽ. PA. lepide factũ eſt.
Iam ex ſermone hoc gubernabunt doctius. porrò remorare me.
M. Abeo: neque te remoror, neque te tango, neq; te taceo. Py. iube
Maturate illam exire huc. iam nos iſti rei præuortemur.

PYRGOPOLYNICES, PALESTRIO.

PY. QVid mihi nunc es author, ut faciam Paleſtrio
De concubina noſtra? nullo pacto poteſt
Prius hæc in ædeis recipi, quàm illam omiſerim.
PA. Quid me conſultas, quid agas? dixi equidem tibi,
Quo id pacto fieri poßit clementiſſume:
Aurum atque ueſtem omnem muliebrem habeat ſibi:
Quæ illi inſtruxiſti, ſumat, habeat, auferat.
Dicasq; tempus maxumum eſſe, ut eat domum:
Sororem hic eius geminam eſſe, & matrem dicito:
Quibuſcum comitata recte deueniat domum.
Py. Quid tu ſcis eas adeſſe? PA. quia oculis meis
Vidi hic ſororem eſſe eius. Py. conuenitne ea?
PA. Conuenit. Py. ecquid fortis uiſa eſt tibi? PA. omnia
Vis opinare. Py. ubi matrem eſſe aiebat ſoror?
PA. Cubare in naui lippam, atque oculis turgidis
Nauclerus dixit, qui illas aduexit, mihi.
Py. Is ad hos Nauclerus hoſpitio diuortitur?
PA. Quid is? Py. ecquid fortis? PA. abi ſis hinc: nam tu quidem
Aeque fuiſti ſcitus emiſſarius,
Qui conſectare, qui mares, quæ fœminæ.
Py. Hoc age nunc iſtuc, quod das conſilium mihi?
Tecum illa uerba facere de iſta re uolo:
Nam cum illa ſanè congruit ſermo tibi.
PA. Quin potius cum tute ades, tuam rem tute agas.
Dicas uxorem tibi neceſſum eſſe ducere,
Cognatos perſuadere, amicos cogere.
Py. Itáne tu cenſes? PA. quin ego nunc ita cenſeam?
Py. Ibo igitur intrò, tu hic ante ædeis interim
Speculare, ut ubi illæc prodeat, me prouoces.
PA. Tu modo iſtuc cura, quod agis. Py. curatum id quidem eſt.
Quin ſi uoluntate nolet, ui extrudam foris.
PA. Iſtuc caue faxis, quin potius per gratiam
Bonam abeat abs te, atque illæc quæ dixi, dato:
Aurum, ornamentáq;, quæ illi inſtruxiſti, ferat.

Cupio.

Py. Cupio. PA. hercle credo te facile impetratum iri.
Sed intrò abi, noli ſtare. Py. tibi ſum obediens.
PA. Nunquid uidetur demutare? aut utique
Dixi uobis dudum hunc eſſe meum militem?
Nunc ad me ut ueniat uſu'ſt Acroteleutium
Ancillula eius, & Pleuſides. proh Iupiter
Satin' ut commoditas me uſquequaq; adiuuat?
Nam quos uidere exoptabam me maxume,
Vnà exeunteis hinc uideo de proximo.

ACROTELEVTIVM, MILPHIDIPPA, PLEVSIDES, PALESTRIO.

A. SEquimini, ſimul circumſpicite ne quis adſit arbiter.
M. Neminem pol uideo, niſi hunc quem uolumus conuentum.
A. ergo uoca. (quid eſt?
M. Quid agis noſter architecte? PA. egòne architectus? uah. M.
PA. Quid enim non ſim dignus præ te, ut figam palum in parietem?
Ea nimis facete, nimisq; facundè mala eſt,
Vt lepide deruncinauit militem? M. at etiam parum.
Bono animo es, negotium omne iam ſuccedit ſub manus.
PA. Vos modo porrò, ut occœpiſtis, operam date amicabilem.
Nam ipſe miles concubinam intrò abijt oratum ſuam,
Vt hinc ab ſe abeat cum ſorore & matre Athenas. PL. probe.
PA. Quin etiam aurum, atq; ornamenta, quæ ipſe inſtruxit, mulieri
Omnia dat dono, ab ſe ut abeat, ita ego conſilium ei dedi.
PL. Facile iſtuc quidem eſt, ſi & illa uolt, & ille autem cupit.
PA. Non tu ſcis cum alto ex puteo ſurſum ad ſummum deſcenderis,
Maxumum periculum inde etiam ab ſummo, ne rurſum cadas?
Nunc hæc res apud ſummum puteum geritur. ſi præſenſerit
Miles: nihil hanc ferre poterit, huius nunc quàm maxume
Opus eſt dolis. PL. domi etiam ad eam rem uideo ſalis ſatis,
Mulieres treis, quartus tute es, quintus ego, ſextus ſenex.
PA. Quod apud nos fallaciarum, ſeptimu'ſt certo ſcio,
Oppidum quoduis uidetur poſſe expugnari dolis.
Date modo operam. A. id nos ad te, ut ſi quid uelles, uenimus.

Lepide

PA. Lepide facitis, nunc hoc tibi ego impero. A. quid uoles?
PA. Militem lepide & facetè ludificarier uolo.
A. Voluptatem me caſtor mihi imperas. PA. & ſcin' quemadmodũ?
A. Nempe ut aſsimulem me amore iſtius differri Athenis.
Quaſiq; iſtius cauſſa amoris ex hoc matrimonio
Abierim, cupiens iſtius omen nuptiarum ordinis.
PA. Niſi modo unum hoc, haſce ædeis dicas dotaleis tuas:
Hinc ſenem abs te abiiſſe, poſtquam feceris diuortium,
Ne ille mox uereatur introire in alienam domum.
A. Bene mones. PA. ſed ubi ille exierit intus, iſtic te procul,
Ita uolo aſsimulare, præ illius forma quaſi ſpernas tuam,
Quaſiq; eius opulentitatem reuerearis, & ſimul
Formam amœnitatis: illius faciem, pulchritudinem
Collaudato. ſatin' præcepti'st? A. teneo. ſatin' eſt ſi tibi
Meum opus ita dabo expolitum, ut improbare non queas?
PA. Sat habeo. nunc tibi uiciſsim quæ imperabo diſcito.
Quàm éxtemplo hoc erit factum, intrò ubi hæc abierit, tu illico
Facito ut uenias ornatu huc naucleriaco, cauſiam
Habeas ferrugineam, culturam ad oculos laneam:
Palliolum habeas ferrugineum, nam is color Thalaſsicus.
Idem & cum nexu in humero, læuo expapillato brachio,
Præcinctus: aliquid ſimulato quaſi gubernator ſies.
Atq; apud hunc ſenem omnia hæc ſunt: nam is piſcatores habet.
PL. Quid ubi ero exornatus? quin dicis quid facturus ſim?
PA. Huc uenito, & matris uerbis Philocomaſium accerſito:
Vt ſi itura Athenas eſt, eat tecum ad portum cito,
Atque adiuuet ferri in nauim, ſi quid imponi uelit.
Niſi eat, te ſoluturum eſſe nauim, uentum operam dare.
PL. Satis placet pictura, perge. PA. illa éxtemplo nihil
Iam morabitur ut eat, ut properet, ne ſit matri moræ.
PL. Multis tu quidem modis ſapis. PA. uerùm illi poſt hæc ego
Dicam, ut me adiutorem, qui onus feram ad portum, roget.
Ille iubebit me ire cum illa ad portum: ego adeò, ut tu ſcias,
Prorſum Athenas protinus abibo tecũ. PL. atq; ubi illò ueneris,

Triduum

Triduum ſeruire nunquam te,quin liber ſis,ſinam.

PA. Abi cito,adorna te.PL.numquid aliud? PA. hæc ut memineris.

PL. Abeo.PA. & uos intrò abite actûtum:nam illum huc ſat ſcio
Iam iam exiturum eſſe intus. A. apud nos imperium tuum eſt.

PA. Agite, abſcedite ergo. ecce autem commodum aperitur foris.
Hilarus exit,impetrauit:inhiat quod nuſquam eſt,miſer.

PYRGOPOLYNICES, PALESTRIO.

Py. QVod uolui,ut uolo,impetraui per amicitiam & gratiam
A Philocomaſio. PA. quid nã tam intus fuiſſe dicã diu?

Py. Nunquam ego tam ſenſi amari, q̃ nunc ab illa muliere.

PA. Quid iam? Py. ut multa uerba fecit?ut lenta materies fuit?
Verùm poſtremo impetraui ut uolui:donaui ei
Quæ uoluit,quæ poſtulauit:te quoque ei dono dedi.

PA. Etiam me? quomodo ego uiuam ſine te? Py. age,animo bono es:
Idem ego te liberabo. nam ſi poſſet ullo modo
Impetrari,ne te abduceret,operam dedi. uerùm
Oppreſſit. PA. deos ſpero,teq; poſtremo:tametſi iſtud mihi
Acerbum nunc eſt,quia hero te carendum eſt optumo.
Saltem id uolupe eſt,cum ex uirtute formæ uenit tibi
Mea opera ſuper hac uicina, quam ego nunc concilio tibi.

Py. Quid opus uerbis? libertatem tibi ego & diuitias dabo,
Si impetras. PA. reddam impetratum. P. at geſtio. PA. at modico diſce
Moderare animo,ne ſis cupidus. ſed eccam egreditur foras.

MILPHIDIPPA, ACROTELEVTIVM, PYRGOPOLYNICES, PALESTRIO.

M. HEra eccum præſto militem. A. ubi is eſt? M. ad læuam. A: uideo.

M. Aſpice limis oculis,ne ille nos ſe uidere ſentiat. A. uideo.

M. Aedepol nunc tempus eſt è malis nos peiores fieri.

A. Tuum eſt initium obſecro,tute ipſum conueniſti.

M. Ne parce uoci,ut audiat. A. cum ipſum pol ſum ſecuta placide ipſa,ut lubitum eſt mihi,
Otioſe meo arbitratu. Py. audin' quæ loquitur? PA. audio:

Quàm

Quàm læta eſt, quia te adit? M. ô fortunata mulier.
Py. Vt uideor amari. PA. dignus es. A. permirum ecaſtor prædicas,
Te adiſſe, atque exoraſſe, per epiſtolam aut per nuntium.
Quaſi regem, adiri eum aiunt. M. nam ædepol uix fuit copia
Adeundi, atque impetrandi. PA. ut tu inclytus apud mulieres?
Py. Patiar ita quandò ita Venus uolt. A. Veneri pol habeo gratiã.
Tandemq́; exoro & quæſo, ut eius mihi ſit copia,
Quem amo, quemq́; expetiſſo, benignusq́; erga me ut ſiet:
Quod cupiam, ne grauetur. M. ſpero ita futurum: quanquam
Illum multæ ſibi expetiſſunt, ille illas ſpernit,
Segregat ab ſeſe omneis, extra te unam. A. ergo iſtius metus
Me macerat, quòd ille faſtidioſus eſt iam,
Ne oculi eius ſententiam mutent, ubi me uiderint,
Atq; eius elegantia meam extemplo ſpeciem ſpernat. (tuo
M. Non faciet, bonum animũ habe. Py. ut ipſa ſeſe comẽnit? A. me-
Ne prædicatio tua nunc meam formam exuperet.
M. Iſtuc curaui ut opinione illius pulchrior ſies.
A. Si pol me uolet uxorem ducere, genua amplectar,
Atque obſecrabo. aliquo modo ſi impetrare non quibo,
Conſciſcam letum: ſine illo ſcio uiuere me non poſſe.
Py. Prohibendam mortem huic mulieri uideo. mulierem adibo?
PA. minime.
Nam tu te uilem feceris, ſi te ultrò largibere.
Sine ultrò ueniat ad te, quæritet, deſyderet,
Expectet. ſi non perdere iſtam gloriam tu uis,
Quam habes, caue ſis faxis: nam nulli mortali ſcio
Obtigiſſe hoc niſi duobus, tibi & Phaoni Lesbio,
Tam nimie ut amarẽtur. A. eo intrò, abi tu illunc euocatũ foras
Mea Milphidippa. M. imò opperiamur, dum exeat aliquis.
A. Durare nequeo, quin eam intrò. M. occluſæ ſunt fores.
A. Effringam. M. ſana nõ es, ſimula inquam. A. parem ſapientiam
Si hic habet ad formam, per amorem ſiquid ego fecero,
Clemẽti animo ignoſcet. PA. ut quæſo amore perdita eſt miſera?
Py. Mutuum fit. PA. tace, ne audiat. M. quid aſtitiſti obſtupida? cur

Non

Non pultas? A. quia non eſt intus, quem ego uolo. PA. quî ſcis? A.
Aedepol, olfacio, nam odorem naſus ſentiet, (ſtia
Si intus ſiet. Py. ariolatur. quia me amat, propterea Venus
Fecit ut diuinaret. A. neſcio ubi hic prope adeſt, quem expeto
Videre. olet profectò. Py. naſo pol iam hæc quidem plus uidet,
Quàm oculis. PA. cæca hercle eſt. A. tene me obſecro. M.
cur? A. ne cadam M. quid ita?

A. Quia ſtare nequeo, ita animus per oculos meos deſit.
M. Militem pol tu aſpexiſti? A. ita. M. at non uideo. ubi eſt?
A. Videres pol ſi amares. M. non ædepol tu illum magis
Amas, quã egomet, ſi aperte liceat. PA. omnes profectò mulieres
Te amant, ut quæque aſpexit. Py. neſcio, tu me ex hoc audieris, an non, (gredere.
Nepos ſum Veneris. A. mea Milphidippa adi obſecro, & con-
Py. Vt me ueretur? PA. illa ad uos pergit. M. uos uolo. Py. & nos te.
M. Vt iuſsiſti, herã meam eduxi foras. Py. uideo. M. iube ergo adire.
Py. Induxi animum ne oderim item, ut aliâs, quandò oraſti.
M. Verbum hercle facere non potis, ſi acceſſerit propè ad te.
Dum te obtuetur, linguã oculi præciderũt. Py. leuandũ morbum
Mulieri uideo. M. uidẽn' ut tremit, atque extimuit, poſtquam
te aſpexit?
Py. Viri quoque armati idem iſtuc faciunt. iube domum ire.
M. Næ tu mirere melius mulierem. Py. ſed quid uolt me agere?
M. Ad ſe ut eas, tecum uiuere uolt, atque ætatem exigere.
Py. Egon' illam adeã, quæ nupta ſit? uirum eius metuere æquom eſt.
M. Quin tua cauſſa exegit uirum à ſe. Py. quî id facere potuit?
M. Quia ædes dotales huius ſunt. Py. itáne? M. ita pol. dicam domũ
Py. Ita, ego illic ero. M. uide ne ſis in expectatione, ne (ire.
illam animi excrucies.
Py. Non ero profectò. abite. M. abimus. Py. ſed quid ego uideo?
PA. quid uides?
Py. Neſcio quis eccũ incedit ornatu quidẽ thalaſsico. PA. is nos uolt.
Eſt profectò nauclerus: hic quidem eſt: uidelicet accerſit accitam hinc credo.

PLEV-

PLEVSIDES, PALESTRIO, PYRGOPOL.

PL. Alium alio pacto propter amorem neſciam
Feciſſe multa nequiter: uerear magis
Me amoris cauſſa cum hoc ornatu incedere.
Verùm quom multos multa admiſiſſe acceperim
Inhoneſta propter amorem, atque alienum à bonis,
Mitto iam, ut occidit Achilles, quiuis paſſus eſt.
Sed eccum Paleſtrionem, ſtat cum milite:
Oratio illò mihi demutanda eſt mea.
Mulier profecto nata'ſt ex ipſa mora.
Nam quæuis alia, quæ mora eſt, æque mora
Minor ea uidetur, quàm quæ propter mulierem eſt.
Hoc adeò fieri credo conſuetudine.
Nunc ego hanc accerſam Philocomaſium. ſed fores
Pultabo. heus ecquis hic eſt? PA. adoleſcens quid eſt?
Quis tu es? quid pultas? PL. Philocomaſium quærito:
A matre illius uenio, ſi eſt itura, eat.
Omnis moratur, nauim cupimus abſoluere.
Py. Iamdudum res parata eſt. heus Paleſtrio,
Aurum, ornamenta, ueſtem, pretioſum omne ut ferat,
Duc adiutores tecum ad nauim qui ferant.
Omnia compoſita ſunt, quæ donaui, ut ferat.
PA. Eo. PL. quæſo hercle propera. Py. non morabitur.
Quid iſtuc quæſo, quod oculo factum eſt tuo?
PL. Habeo quidem hercle oculum. Py. ad læuum dico. PL. eloquar.
Maris cauſſa hercle hoc ego oculo utor minime.
Nam ſi abſtinuiſſem à mari, tanquam hoc uterer.
Sed nimis morantur me diu. Py. eccos, exeunt.

PALESTRIO, PHILOCOMASIVM, PLEVSIDES, PYRGOPOLYNICES.

PA. Quid modi flendo quæſo hodie facies? PH. qđ, ego ne fleã,
Vbi pulcherrime egi ætatem, inde abeo? PA. uiden' hominem tibi,
Qui à matre & ſorore uenit? PH. uideo. Py. audiſtin' Paleſtrio?

Quid

PA. Quid uis? Py. quin tu iubes efferri omnia quæ iſti dedi?
PL. Philocomaſium ſalue. PH. & tu ſalue. PL. materq; & ſoror
Tibi ſalutem me iuſſerunt dicere. PH. ſaluæ ſient.
PL. Orant te, ut eas, uentus operam dum dat, ut uelum explicent.
Nam matri oculi ſi ualerent, mecum ueniſſet ſimul.
PH. Ibo, quanquam inuita facio omnia, pietas ſic cohibet. PL. ſapis.
Py. Si non mecum ætatem egiſſet, hodie ſtulta uiueret.
PH. Iſtuc crucior, à uiro me tali abalienarier,
Nam tu quemuis potis es facere, ut fluat facetijs.
Et quia tecum eram, propterea animo eram ferocior.
Eam nobilitatem. uide omnia. Py. ne fle. PH. non queo,
Quom te uideo. PA. habe bonum animum: ſcio ego & quid doleat mihi.
Nam nihil miror, ſi tu libenter Philocomaſium hic eras,
Forma huius, mores, uirtus, animum attinerent hic tuum:
Quom ego ſeruos, quando aſpicio hunc, lachrumor qui abiungitur.
PH. Obſecro liceat complecti, priuſquàm proficiſcor. Py. licet.
PH. O mei oculi, ô anime mi. PA. obſecro te, mulierem ſine,
Ne affligatur. Py. quid iſtuc? PA. poſtq̃ abs te abijt, animo male
Factum eſt huic repente miſeræ. Py. accurrite intrò, atque afferte aquam.
PA. Nihil moror aquam. Py. quor? PA. malo ne interueneris quæſo
Dum reſipiſcit capta inter ſe nimis: noxam hinc habet.
Non placet. labra labellis ferruminauit, acre malum.
PL. Tentabam ſpiraret an non auræ. at nos iam oportuit.
Sin magis uis, ambos mittam. Py. nolo retineat. PL. flet miſer.
Py. Exite, atque hæc afferte huc intus omnia, quæ iſti dedi.
PA. Etiam nunc ſaluto te familiaris, prius quàm eo.
Conſerui conſeruæq; omnes bene ualete, & uiuite:
Bene quæſo inter uos dicatis, & mi abſenti tamen.
Py. Agè Paleſtrio bono animo es. PA. heu mihi, nequeo quin fleam,
Quom abs te abeã. Py. fer animo æquo. PA. ſcio qd doleat mihi.
PL. Sed quid hoc eſt Philocomaſium? quid quereris? PH. quid uideo?

Lux ſalue. PL. iam reſipiſti? PH. obſecro quem amplexa ſum hominem?
Perij. ſed súmne ego apud me? Py. ne timeas uoluptas mea.
PA. Quid iſtuc eſt negoti? Py. animus hanc modo hic reliquerat.
PA. Metuoq; & timeo, ne hoc tandem palàm fiat nimis.
Py. Quid illud eſt? PA. nos palàm ferre nunc per urbẽ hæc omnia,
Ne quis tibi hoc uitio uortat. Py. mea, non illorum dedi.
Parui ego illos facio. agite, ite cum dis bene uolentibus.
PA. Tua ego hoc cauſſa dico. Py. credo. PA. iam uale. Py. & tu bene uale.
PA. Ite cito, iam ego uos aſſequar, cum hero pauca eloquar.
Quanquam alios fideliores ſemper habuiſti tibi,
Tamen tibi habeo magnam gratiam rerum omnium.
Et ſi ita ſententia eſſet, tibi ſeruire mauelim
Multò, quàm alij libertus eſſe. Py. habe bonum animũ. PA. ah ah
Cùm uenit in mentem, mores ut mihi mutandi ſient:
Muliebres mores diſcendi, obliuiſcendi tui.
Py. Fac ſis frugis. PA. iam non poſſum, amiſi omnem lubidinem.
Py. I, ſequere illos, ne morere. PA. bene uale. Py. & tu bene uale.
PA. Quæſo ut memineris, ſi forte liber fieri occœperim,
Mittam nuntium ad te, ne me deſeras. Py. non eſt meum.
PA. Cogitato identidem, tibi quàm fidelis fuerim. ſi id
Facies, tum demum ſcibis, tibi qui bonus ſit, qui malus.
Py. Scio & perſpexi uerum, cum antehac, tum hodie maxume.
PA. Scies imò hodie meum factum, faxo pòſt dies magis.
Py. Vix reprimor, quin te manere iubeam. PA. caue iſtuc feceris,
Dicent te mendacem, nec uerum eſſe, fide nulla eſſe te.
Dicant ſeruorum præter me eſſe fidelem neminem.
Nam ſi honeſte cenſeam te facere poſſe, ſuadeam.
Verum non poteſt, caue faxis. Py. abi, iam patiar, quicquid eſt.
Bene uale igitur. PA. ire melius eſt. Py. ſtrenue. PA. etiã nũc uale.
Py. Ante hoc factũ, hunc ſum arbitratus ſemper ſeruom peſſumum,
Eum fidelem mihi eſſe inuenio. quom ego mecum cogito:
Stulte feci, qui hunc amiſi. ibò hinc intrò nunc iam

Ad amc-

Ad amores meos. quis exit hinc? ſonitum fecêre fores.

PVER, PYRGOPOLINICES.

PV. NE me moneatis, memini ego officium meum.
Ego nam conueniam illum: ubiubi erit gentium,
Inueſtigabo, operæ ego non parco meæ.

Py. Me quærit illic, ibo puero huic obuiam.

P V. Hem te ipſum quæro, commodum uir, lepidiſsime
Cumulate commoditate præter cæteros,
Duo di quem curant. Py. qui duo? PV. Mars & Venus.

Py. Facetum puerum. PV. intrò te ut eas illa obſecrat.
Te uolt, te quærit, teq́; expectans deperit.
Amanti fer opem. quid ſtas? quin intrò is? Py. eo.

PV. Ipſus illic ſeſe iam impediuit in plagas:
Paratæ inſidiæ ſunt. nanque in ſtatione ſtat ſenex,
Vt adoriatur mœchum, qui forma eſt ferox,
Qui omneis ſe amare credit, quasq́; aſpexerit
Mulieres. cum odêre tam uiri quàm mulieres.
Nunc in tumultum ibo, intus clamorem audio.

ACTVS QVINTVS.

PERIPLECTOMENVS. PYRGOPOLINICES, CARIO, coquus. SCELEDRVS.

PE. DVcite iſtum, ſi non ſequitur: rapite ſublimem foras:
Facite cum inter terram atque cœlum ut ſit. diſcindite.

Py. Obſecro hercle Periplectomene. PE. nequicq̃ hercle obſecras,
Vide ut tibi iſtic ſit acutus Cario culter probe.

C. Quin iamdudum geſtit mœcho hoc abdomen adimere:
Vt faciam quaſi puero in collo pendeant crepundia.

Py. Perij. C. haud etiã * numero hoc dicis. iámne in hominẽ inuolo? * num uero

PE Imò etiam prius uerberetur fuſtibus multum quidem.
Cur es auſus ſubagitare alienam uxorem impudens? Py. ita me
Dij ament, ultro uentum eſt ad me. PE. mentitur. feri. Py. mane
Dũ narro. PE. quid ceſſatis? Py. nõ licet mihi dicere? (tibi

PE. Dic. Py. oratus ſum ad te huc uenire. PE. quare auſus? Py. hem

Hodie ſum ſatis uerberatus, obſecro. PE. quàm mox ergo,
Vbi lubet, diſpendite hominem diuorſum, & diſtendite.

Py. Obſecro hercle te, ut mea uerba audias, prius quàm ſecer.

PE. Loquere, nondum donec factum eſt. Py. uiduam eſſe cenſui.
Itaque eſſe ancilla conciliatrix dicebat mihi.

PE. Iura te non nociturum eſſe hominem de hac re neminem,
Quòd tu hodie hic uerberatus, aut quòd uerberare, ſi
Te ſaluom hinc mittimus ire Venerium nepotulum.

Py. Iuro per Venerem & Martem me nociturum neminem,
Quòd ego hic hodie uapulo: ſed mihi id æque factum arbitror.
Etſi inteſtatus non abeo hinc, bene agitur pro noxia.

PE. Quid ſi id non faxis? Py. ut uiuam ſemper inteſtabilis.

C. Verberetur etiam: poſt tibi amittendum cenſeo.

Py. Dij tibi bene faciant ſemper quom aduocatus mihi bene es.

C. Ergo des minam auri nobis. Py. quamobrem? C. ſaluis teſtibus
Vt te hodie hinc amittamus Venerium nepotulum.

PE. Magis ſapis, de tunica, chlamyde, & mucrone, qui ſperes.

C. Non feret uerbero: etiamne animam amittis? Py. mitis ſum
equidem
Fuſtibus. obſecro uos. PE. ſoluite iſtum. Py. gratiam habeo tibi.

PE. Si poſthac te prehendero hic, arcebo teſtibus.

Py. Cauſſam haud dico. PE. eamus intrò. Py. ſeruos meos eccos
uideo.
Philocomaſium iam prouecta eſt? dic mihi. SC. iamdudum. Py.
hei mihi.

SC. Magis dicas, ſi ſcias quod ego ſcio. nam ille, qui lanam
Ob oculum habebat, nauta non erat. Py. quis erat igitur?

SC. Philocomaſio amator. Py. ſed quî tu ſcis iſtuc? S. ſcio.
Nam poſtquam exierunt porta, nihil ceſſarunt illico
Oſculari atq; amplexari inter ſe. Py. uæ miſero mihi:
Verba mihi data eſſe uideo. ſcelus uir Paleſtrio:
Is me hac illexit fraude. iure factum iudico.
Si ſic alijs mœchis fiat, minus hic mœchorum ſiet:
Magis metuant, minus has res ſtudeant. eamus. plaudite.

ANNO-

ANNOTATIONES IN MILITEM.

PYrgopolinices aptum meca ſtor militis nomen ἀπὸ τοῦ πύργου turre, πόλιος ciuitate & νικάω uinco. Artotrogus ἀπὸ ἄρτου, id eſt pane τρώγω uoro.

Cuticulindoniis.) Romanum exemplar Cutillionidiis habuit, forte à cutilliis ficto nomine. Sunt autem hæc à poẽta iocoſe efficta, ad oſtentationem militis deridendam.

Si unum epityrum.) Epityrum eſt cibi genus quo frequẽtius Sicilia q̃ Italia utebatur. Autor Varro de lingua latina lib. 6. de hac dictione etiam Hermolaus in Plin.

Glaucomam ob oculos obiiciemus.) Glaucóma atos & Latina declinatione glaucoma glaucomæ, morbus oculi: mutatio ſcilicet naturalis coloris in cæſium, in quo morbo nihil homo uidet.

Lege faciant talariæ.) Talaria lex quæ uetuit ne talis conuiuium ſortirentur, de qua Cœlius lib. 6.

Nam os columnant poëtæ.) Vide Georgium Alexandrinum in Galeot.

ἐυχημόνως.) Id eſt, decenter, decore, lepide.

Meus herus elephanti corio circũtectus.) Eraſmus poẽtã putat alluſiſſe ad parœmiam, Intra tuam pelliculam te cõtine. Vide item adagium: Nihil ab elephanto differs.

Cedo callidum conſilium.) Aliâs calidum.

Tam ſimilem quàm lacte lacti.) Vide Chiliades, non tam lac lacti ſimile.

Ornatur.) Romanus codex comatur habet.

Iunix recipiat ſe pabulo.) Iunix iuuẽca eſt ętate uiridior.

Non ego nunc emam uitam tuam uitioſa nuce.) Ariſtophanes in pace: οὐδ' ἂν οὐδὲ πριαίμην ἰσχάδος μιᾶς. Neque ego hanc rem emerim una nuce.

Miru'ſt lolio uictitare te tam uili tritico.) Primus hunc locum caſtigauit Angelus Politianus, miſcellaneorum ca. 66. uide etiam Chiliades: Lolio uictitant.

Deturbabo ego iam illum depugnaculis.) Romanus codex ita habet, deturbabo ego illum de propugnaculis.

Eſſe eundem actũtum extra portam diſpeſſis manibus.) Vide Noctium Gellianarum lib. 15. cap. 15.

Quam magno uento plenum.) Ariſtoteles boream magnum

gnum uentum uocari ob ſæuitiam docet.

Nunquàm hercle ex iſta naſſa.) Naſſę uimineæ ſportulę ſunt, quibus piſces capiuntur.

Catalogo loquendi.) Catalogum uocat hic rationarios libellos.

Oppido Acheronticus.) Vide Chiliades, Alterum pedem in cimba Charontis habere.

Cedo tres mihi homines contra aurichalco.) Vide Cœlium Rhodogi. lib. 10. cap. 49.

Liquidus citusq; ero, quàm uentus.) Quom aliàs.

Da mihi uir calendis quæ mittam.) Martijs calendis muliercula munuſcula inter ſe uiciſſim miſſitare ſolent. Rationem huius dictionis uide apud Feſtum.

Quinquatribus.) Non loquitur de quinquatrijs quæ mēſe Martio celebrabantur, ſed idibus Iunijs, nam is dies feſtus erat tibicinum colentium Mineruam.

Quo ſupercilio ſpicit.) Legendum ex Feſto quæ ſupercilio ſpicit.

Aut ceruices ſibi.) Hūc locum longe aliter adducit Feſt. Qui talos uitioſos maiorem partem uideas ualgis ſuauis. Ergo ſic inſignitos pueros pariat, poſtea. Aut uarum aut ualgum, compernem, aut petum, aut boccum filium.

Homines octo exprompſi in urceum.) Paulo poſt urceū aqualem uocat.

Bono cella ſuppromo credita.) Vide Chiliades: Ouem lupo commiſiſti.

M. ACTII PLAVTI

MERCATOR.

DRAMATIS PERSONAE.

CHARINVS, *adoleſcens.*
ACANTHIO, *ſeruos.*
DEMIPHO, *ſenex.*
LYSIMACHVS, *ſenex.*
LORARII.
EVTYCHVS, *adoleſcens.*
PASICOMPSA, *meretrix.*
DORIPHA, *uxor.*
SYRA, *anus ſerua.*
COQVVS.
PERISTRATA, *Demiphonis uxor.*
LYCISSA, *ancilla.*

ARGV-

ARGVMENTVM.

Miſſus mercatum adoleſcens ab ſuo patre,
Emit atque portat ſcita forma mulierem.
Requirit quæ ſit, poſtquam eam uidit ſenex.
Confingit ſeruos emptam matri pediſequam.
Amat ſenex hanc: ſeq; aſſimulans uendere,
Tradit uicino. illum computat uxor domum
Obduxiſſe ſibi ſcortum. tum Charinum ex fuga
Retrahit ſodalis, poſtquam amicam inuenit.

ALIVD ARGVMENTVM.

Mercatum à ſe dum filium extrudit pater,
Is peregre militis redimit ancillam, hoſpitis
Amore captus. ut uexit, naui exilit.
Pater aduolat. uiſam ancillam deperit.
Quoius ſit, percontatur. ſeruos pediſequam
Ab adoleſcente ait matri emptam ipſius.
Senex ſibi proſpiciens, ut amico ſuo
Væniret, natum orabat: natus, ut ſuo.
Hic filium ſubdiderat uicini: pater
Vicinum. præmercatur ancillam ſenex.
Eam domi deprehenſam coniunx illius
Vicini ſcortum inſimulat, protelat uirum.
MERCATOR expers, patria fugere deſtinat.
Prohibetur à ſodale, qui patrem illius
Orat, ſuo cum patre, nato ut cederet.

ALIVD.

MErcatum miſſus Charinus à Demiphone patre, & ob id Mercator dicta Comœdia eſt, domum rediens uirginem formoſam aduehit. Demipho forte, ut conſpicatus eſt mulierem, eam deperit, quærit illã comparari ad uſus ſuos. filius contrà nititur, non concedit patri: quin per ſeruum ſimulat emiſſe matri pediſſequam. ſenex orat uicinum Lyſimachum ut præmercetur ancillam ſibi. is è naui eam abdu

cit, in ſuaq́; excipit domo. Charinus ſibi ſurreptam uirginem mœret, legatq́; Eutychum ſodalem ubi ea ſit percontetur. ſed puella nuſquam reperta. Charinus ſpe deſtitutus, ſe ultro exulatum parat. Interea Dorippa uxor Lyſimachi ruri rediens offendit domi mulierculam, quam mariti ſcortum reputat, uiroq́; turbas ciet. Eutychus filius hoc reſciens occurrit ſodali iam abituro peregre: nuntiat adinuentam amicam ſibi. parentes conciliat. Demiphonem increpat. cogitq́; ut filio puellam cedat. Suis itaque tandem Charinus potitur amoribus.

ACTVS PRIMVS.

CHARINVS.

DVas res ſimul nũc agere decretu'ſt mihi:
Et argumentũ, & meos amores eloquar.
Nõ ego idem facio, ut alios in comœdijs
Amanteis uidi facere, qui aut nocti, aut dici,
Aut ſoli, aut lunæ miſerias narrant ſuas:
Quos pol ego credo humanis querimonijs
Non tanti facere quid uelim, aut quid non uelim.
Vobis narrabo potius nunc miſerias meas.
Græce hæc uocatur, Emporos Philemonis:
Eadem latine, Mercator Marci Accij.
Pater ad mercatum hinc me meus miſit Rhodum.
Biennium iam factum eſt, poſtquam abij domo.
Occœpi amare forma eximia mulierem.
Sed eam (ut ſimplicitus dicam, ſi opera eſt auribus,
Atque ad uortendum huc animum adeſt benignitas:
Et hoc parum eſſe more maiorum inſtiti)
Per me perconctatus ſum, ſineq́; indice aliquo.
NAM AMOREM *hæc cuncta uitia ſectari ſolent,*
Cura, ægritudo, dolor, nimiaq́; elegantia.
Hæc non illum modo qui amat, ſed quenq́; attigit,
Magno atque ſolido mulctat infortunio.
Nec pol profecto quiſquam ſine grandi malo,

Præ-

Præterquam res patitur, ſtudet elegantiæ.
SED AMORI ACCEDVNT etiam ultra hæc, quæ diximus,
Inſomnia, ærumna, error, & terror, & fuga,
Ineptia, ſtultitiaq́; adeò, & temeritas,
Incogitantia, excors immodeſtia,
Petulantia, cupiditas, & maleuolentia.
Inhæret etiam auiditas, deſidia, iniuria,
Inopia, contumelia, & diſpendium,
Multiloquium, pauciloquium. hoc ideo fit, quia
Quæ nihil attingunt ad rem, nec ſumptus uidet,
Tum amator profert ſæpe aduorſo tempore.
Hoc pauciloquium rurſum idcirco prædico,
Quia nullus unquam amator adeò callidus
Facundusq́; in re inſit ſua, ut poßit loqui.
Nunc uos mihi iraſci ob multiloquium non decet.
Eôdem quò amorem Venus hanc mihi legauit diem,
Illuc reuerti certum, & conata eloquar.
Principio atque animus ephebis ætate exijt,
Atque animus ſtudio amotus puerili eſt meus,
Amare ualide cœpi hic meretricem. illico
Res exulatum ad illam abibat iam patris.
Leno importunus dominus eius mulieris,
Vi ſumma, quicquid poterat, rapiebat domum.
Obiurgare pater ob hæc me noctes & dies:
Perfidiam, iniuſtitiam lenonum expromere:
Lacerari ualide ſuam rem, illius augerier:
Summo cum clamore muſſans interdum loqui:
Abnuere, negitare adeò me natum ſuum:
Conclamitare tota urbe, & prædicare
Omnes tenerent mutuitanti credere.
AMOREM MVLTOS illexiſſe in diſpendium,
Intemperantem, non modeſtum, iniurium
Trahere, eſurire me, quod quirem ab ſe domum
Ratione peſſuma, eaq́; ipſius optuma:

Omni quod modo, quoi iuuenis ipſe parſerit,
Me rem uideret funditare, ac perdere:
Conuictum me tot annos iam ſic paſceret:
Quod niſi non puderet, ne luberet uiuere:
Seſe éxtemplo ex ephebis poſtquam exceſſerit,
Non ut ego amori, neque deſidiæ in otio
Operam dediſſe, neque poteſtatem ſibi
Fuiſſe, adeò arctè cohibitum ſe eſſe à patre:
Multopere in mundo ruſtico ſe exercitum:
Neque niſi quinto quoque anno poſſe tum uiſere
Vrbem, atque éxtemplo inde, ut ſpectauiſſet populum,
Rus rurſum confeſtim exigi ſolitum à patre:
Ibi multo primum ſeſe familiarium
Laborauiſſe: quom hæc pater ſibi diceret,
Tibi aras, tibi occas, tibi ſeris, tibi eidem metis,
Tibi denique iſte lætitiam pariet obex.
Poſtquam receßit uita, patrio corpore,
Agrum ſe uendidiſſe, atque ea pecunia
Nauim metretas quæ trecentas tolleret,
Paraſſe, atque ea ſeſe eis uectatum undique:
Adeò dum quæſtum haberet, peperiſſet bona:
Me idem decêre ſi, ut deceret me, forem,
Ego me ubi inuiſum meo patri eſſe intellego,
Atque odioſum, quod ei placeret æquom fuit:
Amens amanſq́;, utut animum offirmo meum,
Dico eſſe iturum me mercatum, ſi uelit:
Amorem miſſum facere me, dum illi obſequar.
Agit gratias mihi, atque ingenium allaudat meum.
Sed mea promiſſa nonneglexit perſequi:
Aedificat nauim gerariam, & merces emit,
Parata naui imponit: præterea mihi
Talentum argenti ipſe adnumerat ſua manu.
Seruom unà mittit, qui olim à puero paruolo
Mihi pædagôgus fuerat, quaſi uti mihi foret
Cuſtos,

Cuſtos,hiſceq́; confeſtim nauim ſoluimus.
Rhodum uenimus:ubi quas merces uexeram,
Omneis,ut uolui,uendidi ex ſemenia.
Lucrum ingens facio,præterquàm mihi meus pater
Dedit,æſtimatas merces. ita peculium
Conficio grande. ſed dum in portu ibi ambulo,
Hoſpes me quidam agnouit. ad cœnam uocat.
Venio. decumbo:acceptus hilare atque ampliter.
Diſcubitum noctu ut imus,ecce ad me aduenit
Mulier,qua mulier alia nulla eſt pulchrior:
Ea nocte mecum illa hoſpitis iuſſu fuit.
Voſmet uidete,quàm mihi ualde placuerit.
Poſtridie hoſpitem adeo:oro ut uendat mihi.
Dico eius pro meritis gratum me,& munem fore.
Quid uerbis opus eſt?mihi dedit,atque aduexi heri.
Eam me aduexiſſe nolo reſciſcat pater.
Modo eam reliqui ad portum in naui,& ſeruolom.
Sed quid currentem ſeruom à portu conſpicor,
Quem naui abire uetui?timeo quid ſiet.

ACANTHIO, CHARINVS.

A. EX ſummis opibus uiribusq́; uſque experire,nitere,
Herus ut minor opera tua ſeruetur. Agedum Acanthio
Abige abs te laßitudinem,caue pigritiæ præuorticr.
Simul enicat me ſpiritus,uix ſuffero hercle anhelitum.
Simul autem pleniſſume eos qui aduorſum te eunt,aſpellito.
Detrude,deturba in uiam:nam hæc diſciplina hic peſſuma eſt,
currenti atq; properanti haud quiſpiam dignū habet decedere.
Ita tres ſimul tibi res agendæ ſunt,quando unam occœperis:
Et currendū eſt,et pugnandū eſt,& ante etiam iurgandū in uia.
Quid id eſt,quòd ille tam expedite exquirit curſuram ſibi?
Cura eſt,negoti quid ſit,aut quid nuntiet. A. nugas ago:
Quàm maxume reſiſto,tam res in periculo uortitur.
C. Mali neſcio quid nuntiat. A. genua hunc curſorem deſerunt.
Perij,ſeditionem facit lien,occupat præcordia.

Perij,

Perij, animam nequeo uortere. C. nimis: nihil tibi cenſi eſt.
At tu ædepol ſume laciniam, atque abſterge ſudorem tibi.
A. Nunq̃ ædepol omnes balneæ mihi hanc laßitudinem eximent.
Domin' an foris dicam eſſe herũ Charinũ? C. ego animi pendeo.
Quid illud ſit negoti, lubet ſcire me: ex hoc ut ſim certus metu.
A. At etiam aßiſto? at etiam ceſſo foribus facere his aſſulas?
Aperite hoc aliquis. ubi Charinus herus, domine eſt, an foris?
Num quiſquam adire ad oſtium dignum arbitratur? C. ecce me
Acanthio quem quæris. A. nuſquam eſt diſciplina ignauior.
C. Quæ te malæ res agitant? A. multæ here te atque me. C. quid
eſt negoti?
A. Perimus. C. principium inimicis dato. A. at tibi ſortito id obtigit.
C. Loquere, id negotij quid eſt? A. placide uolo acquieſcere.
Tua cauſſa rupi ramices, iam dudum ſputo ſanguinem.
C. Reſinam ex melle Aegyptiam uorato, ſaluom feceris.
A. At ædepol tu calidam picem bibito, ægritudo abſceſſerit.
C. Hominem pol iracundiorem quàm te, noui neminem.
A. At ego pol maledicentiorem quàm te, noui neminem.
C. Sin ego ſaluti quod tibi eſſe cenſeo, id conſuadeo.
A. Apage iſtiuſmodi ſalutem, cum cruciatu quæ aduenit.
C. Dic mihi, an boni quid uſquam eſt, quo quiſquam uti poßit ſine
omni malo?
Aut ne laborem capias cum illo uti uoles? A. neſcio ego iſtæc:
Philoſophari nunquam didici, neque ſcio. ego bonum, malum
Quò accedit, mihi dari haud deſydero. C. cedò tuam mihi de-
Agedum Acanthio. A. en dabitur, tene. C. uin' (xteram.
mihi te obſequentem eſſe, an ne uis?
A. Opera licet experiri, qui me rupi currendo tua
Cauſſa: ut quæ ſcirem, ſcire actutum tibi liceret. C. liberum
Caput tibi faciam paucos menſeis. A. palpo me percutis.
C. Egóne auſim tibi uſquam quicquam facinus falſum proloqui?
Quin iam prius quàm ſim elocutus, ſciſſe meminri, uolo.
A. Ah laßitudinem hercle uerba tua mihi addunt. enicas.
C. Siccine mihi obſequens es? A. quid uis faciam? C. tũ id quod uolo.

Quid

A. Quid eſt id igitur quod uis? C. dicam. A. dice. C. at enim placide uolo.
A. An dormienteis ſpectatores metuis, ne è ſomno excites?
C. Væ tibi. A. tibi equidem à portu apporto hoc. C. quid fers? dic mihi. A. uim, metum,
Cruciatum, curam, iurgium, atq; inopiam. C. perij, tu quidem
Theſaurũ huc apportauiſti mali. nullus ſum. A. imò es. C. ſcio.
Iam miſerũ dices. A. tu dixiſti, ego taceo. C. quid iſtuc eſt mali?
A. Ne rogites: maxumum infortunium eſt. C. obſecro diſſolue iam
Me, nimis diu animi pendeo. A. placide, multa exquirere etiam
Prius uolo, quàm uapulem. C. hercle uerò uapulabis, niſi
Iam loquêre, aut hinc abis. A. hoc ſis uide, ut palpator nullus eſt,
Quom occœpit, blãdior. C. obſecro hercle, oroq; ut iſtuc quid ſiet
Actûtum indices, quandoquidem mihi ſupplicandum ſeruolo
Video meo. A. tandẽ indignus uideor? C. imò dignus. A. equidẽ
Credidi. C. obſecro, num nauis perijt? A. ſalua eſt nauis, ne time.
C. Quid alia armamenta? A. ſalua & ſana ſunt. C. quin igitur tu expedis,
Quid id ſiet, quod me per urbem currens quærebas modo?
A. Orationem ex ore tu quidem mihi eripis: tace.
C. Taceo. A. credo ſi boni quid ad te nuntiem, inſtes acriter:
Qui nunc, malum quom eſt audiundum, flagitas me, ut eloquar.
C. Obſecro hercle te, iſtuc uti tu mihi malum facias palàm.
A. Eloquar, quandoquidẽ me oras. tuus pater. C. quid, meus pater?
A. Tuam amicam. C. quid eam? A. uidit. C. uidit eam pater? uæ miſero mihi.
Hoc quod te interrogo, reſponde. A. quin tu, ſi quid uis, roga.
C. quî potuit eã uidere pater? A. oculis. C. quo pacto? A. hiantibus.
C. Abi hinc dierectus à me, nugare in re capitali mea.
A. Quî (malùm) ego nugor, ſi tibi, quod me rogas, reſpondeo?
C. Certén' uidit? A. tam hercle certe, q̃ ego nũc te, ac tu me uides.
C. Dic, ubi eã uidit pater? A. intus ibi intra nauim, ut proræ aſtitit:
Et cum ea confabulatus eſt. C. perdidiſti me pater. ehò tu,
Ehò tu, quin cauiſti néue eam uideret uerbero

Scele

Sceleſte? quin abſtrudebas, ne conſpiceret eam pater?

A. Quia enim negotioſi eramus nos noſtris negotijs:
Armamentis componendis, & complicandis ſtuduimus.
Dum aguntur hæc, lembo aduehitur tuus pater pauxillulo,
Neq; hominem quiſquam conſpicatu'ſt, donec in naui ſuper.

C. Nequicquam ego mare ſubterfugi ſæuis tempeſtatibus.
At equidem iam me cenſebam eſſe in terra, atque in tuto loco:
Verùm me uideo nunc ad ſaxa ferri ſæuis fluctibus.
Loquere porrò quid ſit actum tum. A. poſtquam ille aſpexit mulierem,
Rogitare occœpit, quoius eſſet. C. quis reſpondit? A. illico
Occurri, atq; interpello: dico matri te ancillam tuæ emiſſe illam.

C. Quid dixit? uiſus tibi credere id? A. etiam rogas?
Sed eam ſceleſtus ſubagitare occœpit. C. illámne obſecro?

A. Mirum quin me ſubagitaret. C. cor ædepol miſerum meum
Quod guttatim contabeſcit, quaſi in aquam tu indideris ſalem.
Perij. A. hem nunc iſtuc unum uerbum dixiſti ueriſſumum.

C. Stultitia iſtæc eſt: quid faciam cedò. nam non credet pater,
Si illam matri meæ me emiſſe dicam: pòſt autem mihi
Scelus uidetur, me parenti proloqui mendacium.
Neque ille credet, neque credibile eſt forma eximia mulierem
Eam me emiſſe ancillam matri. A. non taces ſtultiſſume?
Ac credet hercle: nam credebat iam mihi. C. metuo miſer,
Ne patrem prendat, ut ſit geſta res, ſuſpicio. hoc quod te rogo,
Reſpōde. A. quid rogas? C. num eſſe amicam ſuſpicari uiſus eſt?

A. Nō, ſed credebat. C. uæ mihi miſero, nullus ſum. ſed quid ego hic
In lamentando pereo? ad nauim eo, ſequere. A. ſi iſtâc ibis:
Commodū obuiam uenies patri. poſtquā aſpiciet te timidū eſſe,
Atque exanimatum, illico retinebit: rogitabit unde illam emeris,
Quanti emeris, timidum tentabit te. C. quin hâc ibo potius.
Iam cenſes patrem abiſſe à portu? A. quin præcurri hac gratia,
Ne te hic opprimeret imprudentem, atq; eiectaret. C. optumè.

ACTVS SECVNDVS.

DEMIPHO, ſenex.

Miris

Miris modis dij ludos faciunt hominibus,
Miriſq; exemplis ſomnia in ſomnis danunt:
Velut ego nocte hac, quæ præterijt proxuma,
In ſomnis egi ſatis, & fui homo exercitus.
Mercari mihi uiſus ſum formoſam capram.
Ei ne noceret, quam domi antè habui capram,
Neu diſcordarent, ſi ambæ in uno eſſent loco:
Poſterius quàm mercatus fueram, uiſus ſum
Mihi eam in cuſtodiam ſimiæ concredere.
Ea ſimia adeò pòſt haud multo ad me uenit:
Male mihi precatur, & facit conuitium.
Ait ſeſe illius opera, atq; aduentu capræ,
Flagitium & damnum feciſſe haud mediocriter.
Dicit capram, quam dederam ſeruandam ſibi,
Suæ uxoris dotem ambediſſe. oppidò mihi
Illud uideri mirum, ut unà illæc capra
Vxoris ſimiæ dotem ambederit.
Inſtare factum ſimia, atq; hoc deniq;
Reſpondet, ni properem illam ab ſeſe abducere
Ad me domum, intrò ad uxorem ducturum meam.
Aſt non habere, quoi commendarem capram:
Atq; oppidò hercle bene uelle illi uiſus ſum.
Quid agis? quid facerem? cura cruciabar miſer.
Interea ad me hœdus uiſu'ſt aggredirier.
Infit mihi prædicare, ſeſe ab ſimia
Capram abduxiſſe, & cœpit irridere me.
Ego enim lugere, atq; illam abductam conqueri.
Hoc quam ad rem credam pertinere ſomnium,
Nequeo inuenire. niſi capram illam ſuſpicor
Iam me inueniſſe quæ ſit, aut quid uoluerit.
Ad portum hinc abij mane cum lucu ſimul.
Poſtquam hic id, quod uolui, tranſegi, atq; ego conſpicor
Nauim, ex Rhodo qua eſt aduectus heri filius,
Collibitum eſt illud mihi, neſcio quî, uiſere.

Aſcendi in lembum, atque ad nauim aduehor: atque ego
Illic aſpicio forma eximia mulierem,
Filius quam aduexit meus matri ancillam ſuæ.
Quam ego poſtquam aſpexi, non ita amo, ut ſani ſolent
Homines, ſed eodem pacto ut inſani ſolent.
Amaui hercle equidem ego olim in adoleſcentia:
Verùm ad hoc exemplum nunquam, ut nunc inſanio.
Vnum quidem hercle iam ſcio, periſſe me.
Voſmet uidete cæterum quanti ſiem.
Nunc hoc profecto ſic eſt, hæc illa eſt capra.
Sed ſimia illa atque hœdus timeo quid uelint.
Sed conticeſcam, uicinum eccum exit foras.

LYSIMACHVS, DEMIPHO, LORARII.

L. PRofecto ego illum hircum caſtrari uolo,
Ruri qui nobis exhibet negotium.
D. Nec omen illud mihi, nec auſpicium placet:
Quaſi hircum metuo, ne uxor me caſtret mea,
Atque illius hæc nunc ſimiæ parteis ferat.
L. I tu hinc ad uillam, atque iſtos raſtros uillico
Præſto ipſi facito coram ut tradas in manum.
Vxori facito ut nunties, negotium
Mihi eſſe in urbe, ne me expectet. nam mihi
Treis hodie lites iudicandas dicito:
Ei & hoc memento dicere. L. nunquid amplius?
L. Tantum eſt. D. Lyſimache ſalue. L. euge mi Demipho
Salue. ô quid agitur? quid fit? D. quod miſerrumus.
L. Dij melius faxint. D. di hoc quidem faciant. L. quid eſt?
D. Dicam, ſi uideam tibi operam eſſe, aut otium.
L. Quanquam negotium eſt, ſi quid uis Demipho,
Non ſum occupatus unquam amico operam dare.
D. Benignitatem tuam mihi experto prædicas.
Quid ego tibi ætatis uideor? L. Acheronticus
Senex, uietus, decrepitus. D. peruorſe uides,
Puer ſum Lyſimache ſeptuennis. L. ſanin' es,

Qui

Qui puerum te eſſe dicis? D. uera prædico.

L. Modo hercle in mentem uenit, quid tu diceres:
Senex quom extemplo eſt, iam nec ſentit, nec ſapit.
Aiunt ſolere cum rurſum repueraſcere.

D. Imò bis tanto ualeo, quàm ualui prius.

L. Bene hercle factum, & gaudeo. D. imò ſcias,
Oculis quoque etiam plus iam uideo, quàm prius.

L. Bene eſt. D. malam rem dico. L. iam iſtuc non bonum eſt.

D. Sed auſimne ego tibi eloqui, quid uelim?

L. Audacter. D. animum aduorte. L. fiet ſedulo.

D. Hodie ire in ludum occœpi litterarium
Lyſimache, ternas ſcio iam. L. quid ternas? D. amo.

L. Tun' capite cano amas ſenex nequiſſume?

D. Seu canum iſtuc, ſeu rutilum, ſiue atru'ſt, amo.

L. Ludificas nunc tu me hic opinor Demipho.

D. Decîde mihi collum, ſi falſum ad te loquar:
Vel ut ſcias me amare, cape cultrum, ſeca
Digitum, uel aurem, uel tu naſum, uel labrum:
Si mouero me, ſeu ſecari ſenſero
Lyſimache, author tibi ſum, ut amando me enices.

L. Si unquam uidiſti pictum amatorem, hem illic eſt.
Nam meo quidem animo uetulus, decrepitus, ſenex
Tantundem eſt, quaſi ſit ſignum pictum in pariete.

D. Nunc tu me credo caſtigare cogitas.

L. Egon' te? D. nihil eſt iam quod tu mihi ſuccenſeas,
Fecêre tale antè alij ſpectati uiri.
HVMANVM amare'ſt, humanum autem ignoſcere eſt.
Neſcis? ne obiurga hoc, non uoluntas me impulit.

L. Quin non obiurgo. D. at ne deteriorem tamen
Hoc facto ducas. L. egone te? Athenæ deſiuerint.

D. Vide ſis me etiam. L. uiſu'ſt. D. certen'? L. perdis me. his
Homo ex amore inſanit. num quid uis? D. uale.

L. Ad portum propero: nam ibi mihi negotium eſt.

D. Bene ambulato. L. bene ualeto. D. bene ſit tibi.

Quin mihi quoque etiam eſt ad portum negotium.
Nunc adeò illuc ibo. ſed optume gnatum
Meum uideo: eccum opperiar hominem. hoc nunc mihi
Viſo opu'ſt, huic perſuadere quomodo ſim potis
Vt illam uendat, néue det matri ſuæ:
Nam ei dono aduexi audiui. ſed precauto opu'ſt,
Ne ad illam me animum adieciſſe aliquâ ſentiat.

CHARINVS, DEMIPHO.

C. HOmo me miſerior nullus eſt æquè opinor, neque aduorſa quoi
Plura ſint ſempiterna. ſatín eſt ut quicqd agere occœpi,
Proprium nequit mihi euenire quod cupio? ita mihi
Mala res aliqua obijcitur, bonumq́; meum conſilium opprimit.
Miſer mihi amicam paraui animi cauſſa, eripui pretio,
Ratus clàm patrem meum poſſe habere: is reſciuit, & uidit:
Et perdidit me: neq; is quom roget, quid loquar cogitatu'ſt mihi,
Ita animi decem pectore incerti certant: nec quid corde nunc
Conſilij capere poßim ſcio, tantus cum cura meo eſt
Error animo, dum mei ſerui perplacet mihi conſilium,
Dum rurſum haud placet, nec pater potis uidetur induci
Vt putet matri ancillam emptam eſſe illam. ſi dico ut res eſt,
Atq; illam mihi me emiſſe indico: quemadmodum me exiſtumet,
Atq; illã continuo abſtrahat, trans mare hinc uænum aſportet?
Scio ſæuus quàm ſit homo, & durus. igitur hoccine eſt amare?
Arare mauelim, quàm ſic amare, iam hinc olim
Inuîtum domo extruſit ab ſe, mercatum iußit ire: ibi
Hoc malum ego inueni, ubi ægritudo uoluptatem uincat,
quid ibi ineſt amœni? nequicq̃ abdidi, abſtruſam habebam illam.
Muſca eſt meus pater, nihil poteſt clam haberi illum.
Nec ſacrum, nec tam prophanum quicq̃ eſt, quin adſit ibi illico:
Nec quî rebus meis confidam mihi, ulla in corde eſt ſpes.

D. Quid illud, quòd ſolus ſecum fabulatur filius?
Solicitus mihi neſcio quare uidetur. C. atat meus
Hic quidem pater eſt, quem uideo. ibo, alloquar. quid fit pater?
Vnde

D. Vnde inceditis? quid feſtinas gnate mi? C. recte pater.
D. Ita uolo. ſed iſtuc quid eſt tibi, quòd commutatus color eſt?
Num quid tibi dolet? C. neſcio quid animo meo ægre eſt pater,
Poſtea nocte hac quieui non ſatis ex ſententia.
D. Per mare ut uectus, nunc oculi terram mirantur tui.
C. Magis opinor. D. id eſt profecto: uerum actûtum abſceſſerit.
Ergo ædepol, ſi ſapias, eas, ac decumbas domi.
C. Otium non eſt, mandatis rebus præuorti uolo.
D. Cras agito, perendie agito. C. ſæpe ex te audiui pater,
Mandatæ rei omneis ſapienteis primum præuorti decet.
D. Age igitur, nolo tuam aduorſari aduorſus ſententiam.
C. Saluos ſum, ſi quidem iſti dicto ſolida & perpetua eſt fides.
D. Quid illud, quòd ille à me ſolus ſe in conſilium ſeuocat?
Iam non uereor, ne illam amare me hic potuerit reſciſcere:
Quippe haud etiam quicquam inepte feci, amantes ut ſolent.
C. Res adhuc quidem hercle in tuto'ſt: nam hunc neſcire ſat ſcio
De illa amica: quod ſi ſciret, eſſet alia oratio.
D. Quin ego hunc aggredior illa? C. quin ego hinc me amolior?
Eo ego: ut quæ mandat amicus, amicis tradam. D. imò mane:
Paucula etiam ſciſcitare prius uolo. C. dic quid uelis.
D. Vſquéne ualuiſti? C. perpetuo rectè, dum quidem illic fui:
Verùm in portum ut huc ſum aduectus, neſcio quî animus dolet.
D. Nauſea ædepol factum credo: uerùm actûtum abſceſſerit.
Sed quid ais? ecquam aduexti tuæ matri ancillam è Rhodo?
C. Aduexi. D. quid ea? ut uidetur mulier? C. non ædepol mala.
D. Vt morata eſt? C. nulla ut melius, mea ſententia.
D. Sic quidem ædepol uiſa'ſt, cum illã uidi. C. ehò an uidiſti pater?
D. Vidi: uerùm nòn ex uſu noſtro'ſt: neque adeò placet.
C. Quî uerò? D. quia non noſtra formam habet dignam domo.
Nihil opus nobis ancilla, niſi quæ texat, quæ molat,
Lignum cædat, penſum faciat, ædeis uerrat, uapulet:
Quæq; habeat quotidianum familiæ coctum cibum.
Horum illa nihilum quicquam facere poterit admodum.
C. Ea cauſſa equidem illam emi, dono darem quam matri meæ.

D. Ne des, neúe te aduexiſſe dixeris. C. dij me adiuuant.
D. Labefacto paulatim: uerum quod præterij dicere,
Neque matrem illa ſatis honeſte tuam ſequi poterit comes,
Neque ſinam. C. quî non? D. quia illa forma matremfamiliâs
Flagitium eſt ſi ſequatur, quando incedat per uias.
Contemplent, conſpiciant, nutent, nictent, ſibilent, uellicent,
Vocent, moleſti ſint, occentent noctu ad oſtium,
Meæ impleantur carbonibus elegiorum fores:
Atque ut nunc ſunt maledicentes homines, uxori meæ
Mihiq; obiectent lenocinium facere. nam quid eo eſt opus?
C. Hercle quin tu rectè dicis, & tibi ego aſſentior.
Sed quid illa nunc fiet? D. rectè ego emero matri tuæ
Ancillam uiraginem aliquam non malam forma mala,
Vt matrem addecet familiâs, aut Syram, aut Aegyptiam:
Ea molet, conficiet penſum, pinſetur flagro, neque
Propter eam quicquam eueniet noſtris foribus flagitium.
C. Quid ſi igitur reddatur illi, unde empta eſt? D. minime gētium.
C. Dixit ſe redhibere, ſi non placeat. D. nihil iſtoc opu'ſt.
Litigare nolo ego uos. quam tuam autem accuſari fidem,
Multo ædepol, ſiquid faciendum eſt damni, facere mauolo,
Quàm obprobramentum aut flagitium muliebre efferri domo.
Me tibi poſſe illam opinor luculente uendere.
C. Dum quidem hercle ne minoris uendas, quàm emi ego pater.
D. Tace modo. ſenex eſt quidam, qui illam mandauit mihi
Vt emerem ad iſtanc faciem. C. at mihi quidam adoleſcēs pater
Mandauit ad illam faciem, ita ut illa eſt, ut emerem ſibi.
D. Viginti minis opinor poſſe me illam uendere.
C. At ego, ſi uelim, iam dantur ſeptem & uiginti minæ.
D. At ego. C. quin ego inquā. D. at neſcis quid dicturus ſum, tace.
Treis minas accudere etiam poſſum, ut triginta ſient.
C. Quò uortiſti? D. ad illū qui emit. C. ubi nā eſt is homo gentium?
D. Eccillum uideo, iubet quinque me addere etiam nunc minas.
C. Hercle illunc dij infelicitent, quiſquis eſt. D. ibidem mihi
Etiam nunc adnutat, addam ſex minas. C. ſeptem mihi:

Nunquam

Nunquam ædepol me uincet, hic commodius poſcit pater.

D. Nequicquam poſcit, ego habeo. C. at illic pollicitu'ſt prior.

D. Nihili facio. C. quinquaginta poſcit. D. non, centum dantur.

Potin' ut ne litigere aduorſum animi ſententiam?

Maxumam hercle habebis prædã, ita ille eſt quoi emitur ſenex,

Sanus non eſt ex amore illius: quod poſces, feres.

C. Certo ædepol adoleſcens ille, quoi emo, efflictim perit

Eius amore. D. multo hercle ille magis ſenex, ſi tu ſcias.

C. Nunquam ædepol fuit, neque fiet ſenex inſanior

Ex amore, quàm ille adoleſcens, quoi ego do hãc operam pater.

D. Quieſce inquam, iſtanc rẽ ego rectè uidero. C. quid agis? D. quid (eſt?

C. Non ego illã mancupio accepi, ille illam accepit. D. ſine.

C. Non potes tu lege uendere illam. D. ego aliquid uidero.

C. Poſt autem communis mihi illa eſt cum alio. quid ſcio

Quid ſit ei animi, uænirène eam uelit, an non uelit? D. ego

Scio uelle. C. at pol ego eſſe credo aliquem, qui non uelit.

D. Quid mea id refert? C. quia illi ſuã rẽ eſſe, æquom eſt, in manu.

D. Quid ais? C. communis mihi illa eſt cũ illo: is nunc hic non adeſt.

D. Prius reſpondes, quàm rogo. C. prius tu emis, quàm uẽdo pater.

Neſcio inquam, uelit ille illam nécne abalienarier.

D. Quid? illic quidem qui mandauit, cum ille nolet, nihil agis.

Nunquã ædepol quiſquã illã habebit, potius quàm ille quem ego

Volo, certũ eſt. C. cenſes certũ eſſe? D. quin ad nauim iã hinc eo.

Ibi uænibit. C. uin' me tecum illò ire? D. nolo. C. non placet.

D. Meliu'ſt te, quæ ſunt mandatæ res tibi, præuortier.

C. Tu prohibes. D. at tu excuſato me feciſſe ſedulo

Ad portum ne ires, dico iam tibi. C. auſcultabitur.

D. Ibo ad portum: & ne hic reſciſcat cauto opu'ſt. non ipſe emam,

Sed Lyſimacho amico mandabo: is ſe ad portum ire dixerat

Dudum. ſed me moror, cum hic adſto. C. nullus ſum, òccidi.

CHARINVS, EVTYCHVS.

C. PEnthcum diripuiſſe aiunt Bacchas: nugas maxumas

Fuiſſe credo, præ ut quo pacto ego diuorſus diſtrahor.

Cur ego uiuo? cur non morior? quid mihi'ſt in uita boni?

Certu'ſt. ibo ad medicum, atque ibi me toxico morti dabo;
Quando mihi adimitur, qua cauſſa uitam cupio uiuere.

E. Mane mane obſecro Charine. C. qui me reuocat? E. Eutychus
Tuus amicus & ſodalis, ſimul uicinus proxumus.

C. Non tu ſcis quantum malarum rerum ſuſtineam. E. ſcio
Omnia ego iſtæc: auſcultaui ab oſtio: omnem rem ſcio.

C. Quid id eſt quod ſcis? E. tuus pater uolt uendere. C. rem tenes.

E. Tuam amicam. C. nimium multum ſcis. E. tuis ingratijs.

C. Plurimum tu ſcis. ſed quî ſcis eſſe amicam illam meam?

E. Tute ipſus heri mihi. C. ſatin' ut oblitus fui tibi
Me narrauiſſe? E. haud mirum factum eſt. C. te nunc conſulo.
Reſponde, quo letho cenſes me ut peream potiſſumum?

E. Non taces? caue iſtuc dixeris. C. quid uis me igitur dicere?

E. Víſne patri ſublinire pulchre os tuo? C. ſanè uolo.

E. Vin' eã ad portum? C. quid potius quàm uoles? E. atq; eximam
Mulierem pretio? C. quid potius q̃ auro expendas? E. unde ad id?

C. Achillem orabo mihi aurum ut det, Hector qui expenſus fuit.

E. Sanún' es? C. pol ſanus ſi ſim, præ te medicum mihi expetam.

E. Tanti, quanti poſcit, uin' tanti emi illam? C. auctarium
Adijcito uel mille nummûm, plus quàm poſcet. E. iam tace.
Sed quid ais? unde erit argentum, quod des, quom poſcet pater?

C. Inuenietur, exquiretur, aliquid fiet. E. enicas.
Iam iſtuc aliquid fiet, metuo. C. quin taces? E. muto imperas.

C. Satin' iſtuc mandatu'ſt? E. potin' ut aliud cures? C. non poteſt.

E. Bene uale. C. non poſſum, prius quàm tu ad me redieris.

E. Melius ſanus ſis: C. uale, uince, & me ſerua. E. ego fecero.
Manete domi me ergo. C. actûtum face, prædam ut recipias.

ACTVS TERTIVS.

LYSIMACHVS, PASICOMPSA.

L. AMice amico operam dedi, uicinus quod rogauit,
Hoc emi mercimonium. mea es tu, ſequere, ſane.
Ne plora, nimium ſtulte facis, oculos corrumpis talis.
Quin tibi quidem quod rideas magis eſt, quàm ut lamentère.

P. Amabo ecaſtor mi ſenex eloquere. L. exquire quid uis.

Cur

P. Cur emeris me. L. téne ego? ut quod imperetur facias
Item. P. quin ſi imperes tu mihi, ego faciam: facere certum
Pro copia & ſapientia, quæ te uelle arbitrabor.
L. Laborioſi nihil tibi quicquam operis imperabo.
P. Nam ædepol equidem mi ſenex, non didici baiulare,
Nec pecua ruri paſcere, neque pueros nutricare.
L. Bona ſi eſſe uis, bene erit tibi. P. tum pol ego peri miſera.
L. Qui? P. quia ibi, unde huc aducta ſum, malis bene eſſe ſolitu'ſt.
Nec mos meu'st, ut prædicem, quod ego omneis ſcire credam.
L. Oratio ædepol pluris eſt huius, quàm quam mi hæc empta eſt.
Quaſi dicas nullam mulierẽ bonam eſſe. P. haud equidem dico.
L. Rogare hoc unum te uolo. P. roganti reſpondebo.
L. Quid ais tu? quod nomen tibi dicam eſſe? P. Paſicompſæ.
L. Ex forma nomen inditum eſt. ſed quid uis Paſicompſa?
Poßin' tu, ſi uſus uenerit, ſubtegmen tenue nere?
P. Poßim. L. ſi tenue ſcis, ſcio te uberius poſſe nere.
P. De lanificio neminem metuo, una ætate quæ ſit.
L. Bonam hercle te & frugi arbitror natura, iam inde ætate
Quom ſcis facere officium tuum. P. à muliere docta didici.
Operam accuſari non ſinam meam. L. hem iſtæc hercle res eſt,
Quin tibi ecce illam dabo, natam annos ſexaginta
Peculiarem. P. mi ſenex tam uetulam? L. generis grati'st:
Eam ſi curabis, perbona eſt, tondetur nimium ſcite.
P. Honoris cauſſa quicquid eſt, quod dabitur, gratum habebo.
L. Nunc mulier ne tu fruſtra ſis, mea non es, ne arbitrêre.
P. Dic igitur quæſo, quoia ſum? L. tuo hero redempta es rurſum.
Ego te redimerem, ille me orauit. P. animus iam rediјt,
Si mecum ſeruatur fides. L. bono animo es, liberabit
Illic te. homo ædepol deperit, atque hodie primùm uidit.
P. Ecaſtor iam biennium eſt, quom mecum rem ille cepit.
Nunc quando amicum te ſcio eſſe illius, indicabo.
L. Quid ais tu? iam biennium eſt, quom tecum habet rem? P. certe.
Et inter nos coniurauimus, ego cum illo, & ille mecum:
Ego cum uiro, & ille cum muliere: niſi cum illo, aut ille mecum,

Neuter ſtupri cauſſa caput limaret. L. di immortales,
Etiam cum uxore non cubet? P. amabo an maritus eſt is?
Neq; eſt, neq; erit. L. nolim qdē, uerùm homo hercle periurauit.
P. Nullum adoleſcentem plus amo. L. puer eſt ille quidem ſtultæ:
Nam illi quidem haud ſanè diu'ſt cum dentes exciderunt.
P. Quid, dentes? L. nihil eſt, ſequere ſis huc me. diem unum orauit,
Vt apud me perhiberem ſibi locum, ideo quia uxor ruri eſt.

DEMIPHO.

TAndem impetraui, ut egomet me corrumperem.
Empta eſt amica mihi clàm uxore, & filio.
Certu'ſt antiqua recolam. ut ſeruibo mihi?
Decurſo in ſpatio, breue quod uitæ reliquo'ſt,
Voluptate, uino, & amore delectauero.
Nam hanc ſe bene habere ætatem nimio eſt æquius.
Adoleſcens quom ſis, tum quom eſt ſanguis integer,
Rei quærendæ tuæ conuenit operam dare.
Demum igitur quom ſenex ſis, tunc in otium
Te colloces, dum potes: ſi uales, id iam lucro'ſt.
Quo minus hoc, ut ego dico, factis perſequar?
Interea tamen huc intrò ad me inuiſam domum,
Vxor me expectat iamdudum eſuriens domi.
Iam iurgio enicabit, ſi intrò rediero.
Verum hercle poſtremo ut ut eſt, non ibo tamen.
Sed hunc uicinum prius conueniam, quàm domum
Redeam: ut mihi ædeis aliquas conducat uolo,
Vbi habitet iſtæc mulier. atque eccum it foras.

LYSIMACHVS, DEMIPHO.

L. ADducam ego illum iam ad te, ſi conuenero.
D. Me dicit. L. quid ais Demipho? D. eſt mulier domi?
L. Quid cenſes? D. quid ſi uiſam? L. quid properas? mane.
D. Quid faciam? L. quid? quod opus eſt, facito ut cogites.
D. Quid cogitem? equidem hercle opus hoc facto exiſtumo, ut
Illuc introeam. L. itáne uerò ueruex introeas?
D. Quid aliud faciam? L. prius hoc auſculta, atque hic ades,

Prius

Prius etiam eſt quod te facere ego æquom cenſeo.
Nam nunc ſi illò introires, amplecti uoles,
Confabulari atque oſculari. C. tu quidem
Meum animum geſtas, ſcis quod acturus ſiem.
L. Peruorſe facies. D. quod ne amem? L. tanto minus
Quom ſis iam ætatis plenus, anima fœtida,
Senex hircoſus, tu oſculere mulierem,
Vti ne ei adueniens uomitum excutias mulieri.
D. Scio pol te amare, quom iſtæc præmonſtras mihi.
L. Quid ſi igitur cœnam faciam? D. hoc ſi cenſes, coquom
Aliquem arripiamus, prandium qui percoquat
Apud te hic uſque ad ueſperum. L. hem iſtuc cenſeo.
Nunc tu ſapienter loqueris, atque amatorie.
D. Quid ſtamus? quin ergo imus, atque obſonium
Curemus pulchre ut ſimus. L. equidem te ſequor.
Atque hercle inuenies tu locum illi, ſi ſapis:
Nullum hercle præter hunc diem, illa apud me erit.
Metuo ego uxorem, cras ſi rure redierit,
Ne illam hic offendat. D. res parata'ſt, ſequere me.

CHARINVS, EVTYCHVS.

C. SVm'ne ego miſer, qui nuſquam bene queo quieſcere?
Si domi ſum, foris eſt animus: ſin foris ſum, animus domi eſt:
Ita mihi in pectore atque in corde facit amor incendium.
Ni ex oculis lachrumæ deſcendant, iam ardeat credo caput.
Spem teneo, ſalutem amiſi: redeat, an non, neſcio.
Si opprimit pater, quod dixit, exulatum abijt ſalus.
Sin ſodalis, quod promiſit fecit, non abijt ſalus.
Sed tandem ſi podagroſis pedibus eſſet Eutychus,
Iam à portu rediſſe potuit. id illi uitium maximu'ſt,
Quod nimis tardus eſt aduorſum mei animi ſententiam.
Sed is ne eſt, quem currentem uideo? ipſus eſt, ibo obuiam.
Diuôm atq; hominũ, quæ ſpectatrix atq; hera eadem es hominibus:
Spem ſperatã cum obtuliſti hunc mihi, tibi grates ago.
Num quid reſtat? et hei diſperij, uoltus neutiquam huius placet,

Triſtis incedit. pectus ardet, hæreo. quaſſat caput.
Eutyche. E. heu Charine. C. priuſquam recipias anhelitum,
Vno uerbo eloquere, ubi ego ſum, hiccine, an apud mortuos.
E. Neque apud mortuos, neq; hic es. C. ſaluos ſum, immortalitas
Mihi data eſt: hic emit illam: pulchre os ſubleuit patri.
Impetrabilior qui uiuat nullus eſt, dico. obſecro,
Si neque hic, neq; Acheronti ſum, ubi ſum? E. nuſquam gentium.
C. Diſperij: nam illæc interemit modo me oratio.
Odioſa næ oratio eſt, quom rem agas, longinquum loqui:
Equidem ad capita rerum perueniás. E. primum perijmus.
C. Quin tu illud potius nuntias, quod neſcio.
E. Mulier alienata eſt abs te. C. Eutyche capital facis.
E. Qui? C. quia æqualem & ſodalem ciuem liberum enicas.
E. Ne dixeris. C. DEMISISTI gladium in gulam, iam cadam.
E. Quæſo hercle animum ne deſponde. C. nullus eſt quem deſpondeam.
Loquere porrò aliam rem (malùm) quoi eſt empta? E. neſcio.
Iam addicta, atq; abducta erat, cum ad portũ uenio. C. uæ mihi,
Monteis tu quidem mali in me ardenteis iamdudum iacis.
Perge, excrucia carnufex, quandoquidem occœpiſti ſemel.
E. Nec tibi iſtuc magis diuidiæ eſt, quàm mihi fuit hodie.
C. Dic, quis emit? E. neſcio hercle. C. hem iſtuccine eſt operam dare
Bonum ſodalem? E. quid me facere uis? C. id quod me uis.
Vt pereas. quin percontatus hominis quæ facies foret,
Qui illam emiſſet, eo ſi pacto poſſet indagarier
Mulier? heu me miſerum. E. fiet. C. omitto iſtuc, quod nunc agis.
E. Quid ego feci? C. perdidiſti me, & fidem mecum tuam.
E. Dij ſciunt, culpam meam iſtanc non eſſe ullam. C. Eutyche
Deos abſenteis teſteis memoras: quî ego iſtuc credam tibi?
E. Quia tibi in manu eſt, quod credas: at ego quod dicam, id mihi
Mea in manu eſt. C. de hac re es argutus, ut par pari reſpõdeas:
Ad mandata claudus, cæcus, mutus, mancus, debilis.
Promittebas te os ſublinire patri meo. egomet
Credidi, homini docto, rem mandans lapidi maxumo.

Quid

E. Quid ego facerem? C. quid faceres? men' rogas? requireres,
Rogitares quis eſſet, aut unde eſſet, qua proſapia,
Ciuisne eſſet an peregrinus. E. ciuem eſſe aiebant Atticum.
C. Vbi habitaret inuenires ſaltem, ſi nomen nequires.
E. Nemo aiebat ſcire. C. at ſaltem hominis faciem exquireres.
E. Feci. C. qua forma eſſe aiebant? E. ego dicam tibi.
Canum, uarum, uentrioſum, bucculentum, breuiculum,
Subnigris oculis, oblongis malis, panſum aliquantulum.
C. Non hominem mihi, ſed theſaurum neſcio quem memoras mali.
Num quid eſt quod dicas aliud de illo? E. tantum quod ſciam.
C. Aedepol næ ille oblongis malis dedit mihi magnum malum.
Non poſſum durare. certu'ſt exulatum hinc ire me.
Sed quam capiam ciuitatem cogito potiſſumum,
Megara, Eretriam, Corinthum, Chalcidem, Cretam, Cyprum,
Sicyonem, Cnidum, Zacynthum, Lesbiam, Bœotiam.
E. Cur iſtuc cœptas conſilium? C. quia enim me afflictat amor.
E. Quid tu ais, qui quum illuc, quò nunc ire paritas, ueneris,
Si ibi amare forte occipias, atque item eius ſit inopia,
Iam tu inde porrò aufugies: deinde item illinc, ſi item euenerit?
Quis modus tibi exilio tandem eueniet? qui finis fugæ?
Quæ patria aut domus tibi ſtabilis eſſe poterit? dic mihi.
Cedò ſi hac urbe abis, amorem te hic relicturum putas?
Si id forte ita ſat animo acceptum eſt, certũ id profectò ſi habes:
Quanto ſatius eſt rus aliquò abire, ibi eſſe, ibi uiuere,
Adeò dum illius te cupiditas, atque amor miſſum facit?
C. Iam dixiſti? E. dixi. C. fruſtra dixti: hoc mihi certiſſumum eſt.
Eo domum, patrem atque matrem ut meos ſalutem: poſtea
Clam patrem patria hac effugiam, aut aliquid capiam conſilij.
E. Vt corripuit ſe repente, atque abijt? heu miſero mihi,
Si ille abierit, mea omnes dicent eſſe ignauia.
Certu'ſt præconum iam iubere quantum eſt conducier,
Qui illam inueſtigent, qui inueniant. poſt, ad prætorem illico
Orabo, ut conquiſitores det mihi in uicis omnibus.
Nam mihi nihil reliqui quicquam aliud iam eſſe intellego.

ACTVS QVARTVS.

DORIPPA, mulier. SYRA, anus.

D. QVoniam à uiro ad me rus aduenit nuntius,
Rus non iturum, feci ego ingenium meum,
Reueni ut illum perſequar, qui me fugit.
Sed anum nunc uideo conſequi noſtram Syram,
Atque incedit. eccam tandem. quin is ocyus?
S. Nequeo mecaſtor, tantum hoc oneris eſt quod fero.
D. Quid oneris? S. annos octoginta & quatuor:
Et eôdem accedit ſeruitus, ſudor, ſitis.
Simul hæc etiam, quæ mecum porto, deprimunt.
D. Aliquid cedò, qui hanc uicini noſtri aram augeam.
S. Da ſanè hanc uirgam lauri. D. abi iam tu intrò. S. eo.
D. Apollo quæſo te, ut des pacem propitius,
Salutem & ſanitatem noſtræ familiæ:
Meoq; ut parcas gnato, parce propitius.
S. Diſperij, perij miſera, uæ miſeræ mihi.
D. Satin' tu ſana es obſecro? quid eiulas?
S. Dorippa, mea Dorippa. D. quid clamas obſecro?
S. Neſcio quæ mulier eſt hic intus in ædibus.
D. Quid mulier? S. mulier meretrix. D. uerón' ſerio?
S. Nimium ſcis ſapere, ruri quæ non manſeris.
Quàm inſipiens, quæ non poteras perſentiſcere
Illam eſſe amicam tui uiri belliſſumi.
D. Credo mecaſtor. S. i hâc mecum, ut uideas ſimul
Tuam Alcumenam pellicem Iuno mea.
D. Ecaſtor uerò iſtuc eo, quantum poteſt.

LYSIMACHVS.

PArúmne eſt malæ rei quòd amat hic Demipho,
Ni ſumptuoſus inſuper etiam ſiet?
Decem uocaſſet ſi ad cœnam ſummos uiros,
Nimium obſonauit. ſed coquos, quaſi in mari
Solitu'ſt hortator remiges hortarier,
Ita hortabatur. egomet conduxi coquom.

Sed

Sed eum demiror non uenire,ut iuſſeram.
Sed quiſnam hinc à nobis exit? aperitur foris.

DORIPPA, mulier. LYSIMACHVS, uir.

D. MIſerior mulier me nec fiet, nec fuit,
Tali uiro quæ nupſerim. heu miſeræ mihi.
Hem quoi te,& quæ tu habeas commendes uiro.
Hem quoi decem talenta dotis detuli,
Hæc ut uiderem,ut ferrem has contumelias.
L. Perij hercle,rure iam redijt uxor mea:
Vidiſſe credo mulierem hanc in ædibus.
Sed quæ loquatur,exaudire hinc non queo.
Accedam propius. D. uæ miſeræ mihi. L. imò mihi.
D. Diſperij. L. ego equidem hercle oppidò perij miſer.
Vtinam di te omnes Demipho diſperduint.
D. Pol hoc eſt,ire quòd rus meus uir noluit.
L. Quid nunc ego faciam,niſi ut adeam,atque eloquar?
Iubet ſaluere ſuus uir uxorem ſuam.
Vrbani fiunt ruſtici? D. pudicius
Ii faciunt quàm illi,qui non fiunt ruſtici.
L. Nunquid delinquont ruſtici? D. ecaſtor minus,
Quàm urbani,& multo minus malum quærunt ſibi.
L. Quid autem urbani deliquerunt? dic mihi.
D. Quia illa mulier intus eſt. L. uidiſtine eam?
D. Vidi. L. quoia ea ſit cogitas? D. reſciſcam tamen,
Cupio hercle ſcire. ſed tu me tentas ſciens?
L. Vin' dicam quoia eſt illa? ædepol,uæ mihi,
Neſcio quid huic dicam. D. hæres? L. haud uidi magis.
D. Quin dicis? L. quin ſi liceat. D. dictum oportuit.
L. Non poſſum,ita inſtas,urges,quaſi pro noxio.
D. Scio innoxius,audacter quid uis dicito.
Dic igitur. L. dicam. D. atqui tibi dicundum eſt tamen.
L. Illa eſt ſcin' ? etiam uis ut nomen tibi dicam?
D. Nihil magis manufeſto teneo. in noxia es.
L. Qua noxia? iſta quidem illa eſt. D. quæ illa eſt? L. illa. D. io,

Illa. L. iam ſi nihil uſus eſſet, iam non dicerem.

D. Non tu ſcis quæ ſit illa? L. imò etiam iam ſcio,
De iſtac ſum iudex captus. D. iudex? iam ſcio,
Nunc tu in conſilium iſtanc huc aduocaſti tibi.

L. Imò ſic ſequeſtro mihi data eſt. D. intellego.
Nihil hercle iſtius quicquam numero purgitas.

L. Nimium negotij repperi, enimuero hæreo.

COQVVS, LYSIMACHVS, DORIPPA, SYRA.

C. AGite, ite actûtum: nam mihi amatori ſeni
Coquenda'ſt cœna. atqui mecum cum cogito,
Nobis coquenda'ſt, non ei cui ducti ſumus.
NAM QVI AMAT, ſi quod amat habet, id ſatis habet ſibi
Pro cibo, uidere, amplecti, oſculari, atque alloqui.
Sed nos confido onuſtos redituros domum.
Ite hâc. ſed eccum, qui nos conduxit ſenex.

L. Ecce autem, perij, coquos adeſt. C. aduenimus.

L. Abi. C. quò uis abeam? L. abi. C. quò uis abeam? L. abi.

C. Non eſtis cœnaturi? L. iam ſaturi ſumus.
Sed interij. D. quid ais tu? etiamne hæc illi tibi
Iuſſerunt ferri, quos inter iudex datus?

C. Hæccine tua eſt amica, quam dudum mihi
Te dixiſti amare, cum obſonabas? L. non taces?

C. Satis ſcitum filum mulieris: uerùm hercle an net hoc?

L. Abin' dierectus? C. haud mala eſt. L. at tu malus.

C. Scitam hercle opinor ſatis concubinam. L. non abis?
Non ego ſum, qui te dudum conduxi. C. quid eſt?
Imò hercle tu iſtic ipſus. L. uæ miſero mihi.

C. Nempe uxor ruri'ſt tua, quam dudum dixeras
Te odiſſe æque, atque angueis. L. egóne iſtuc dixi tibi?

C. Mihi quidem hercle. L. ita uerò me amabit Iupiter
Vxor, ut ego illud nunquam dixi. C. etiam negas?
Non te odiſſe aiebat, uxorem uerùm ſuam.

D. Palàm iſtæc fiunt, te me odiſſe. L. quin nego.

C. Et ſuam uxorem ruri eſſe aiebat. L. hæc ea eſt.
Quid mihi moleſtus es? C. quia me non nouiſſe ais,
Ni metuis tu iſtanc. L. ſapio, nam mihi unica eſt.
C. Vin' me experiri? L. uolo. C. mercedem mihi dato. L. cras petito.
Dabitur, nunc abi. heu miſero mihi,
Nunc ego uerum illud uerbum eſſe experior uetus,
ALIQVID MALI eſſe propter uicinum malum.
C. Cur hic aſtamus? quin abimus? incommodi
Siquid tibi euenit, id non eſt culpa mea.
L. Quin me eradicas miſerum. C. ſcio iam quid uelis,
Nempe me hinc abire uis. L. uolo inquam. C. abibitur.
Drachmam dato. L. dabitur. C. dari ergo ſis iube.
Dari interea poteſt, dum illi ponunt. L. quin abis?
Potine ut moleſtus ne ſis? C. agite, apponite
Obſonium iſtuc ante pedes illi ſeni.
Hæc uaſa aut mox, aut cras iubebo abs te peti.
Sequimini. L. fortaſſe te illum mirari coquom
Quòd uenit, atque hæc attulit: dicam quid eſt.
D. Non miror, ſi quid damni facis, aut flagitij.
Nec pol ego patiar ſic me nuptam tam male,
Meaſq; in ædeis ſic ſcorta obductarier.
Syra, i, rogato meum patrem meis uerbis,
Vt ueniat huc ad me iam tecum ſimul. S. eo.
L. Neſcis negotij quid ſit uxor obſecro:
Conceptis uerbis iam iuſiurandum dabo,
Me nunquam quicquam cum illa. iámne abijt Syra?
Perij hercle: ecce autem hæc abijt, uæ miſero mihi.
At te uicine di deæq; perduint
Cum tua hac amica, cumq; amationibus,
Quæ ſuſpicione impleuit me indigniſſume,
Conciuit mihi domi hoſtis, uxor acerruma eſt.
Ibo ad forum, atque Demiphoni hæc eloquar,
Me iſtanc capillo pertracturum eſſe in uiam,
Niſi hinc abducit quò uolt ex his ædibus.

Vxor heus, heus uxor, quanquam tu irata es mihi,
Iubeas, ſi ſapias, hæc intrò hinc auferrier.
Eadem licebit mox cœnare rectius.

SYRA, ſerua. EVTYCHVS, adoleſcens.

S. HEra quò me miſit ad patrem, non eſt domi,
Rus abiſſe aiebant: nunc domum renuntio.
E. Defeſſus ſum urbem totam peruenarier:
Nihil inueſtigo quicquam de illa muliere.
Sed mater rure rediÿt: nam uideo Syram
Aſtare ante ædeis. Syra. S. quis eſt, qui me nominat?
E. Herus atque alumnus tuus ſum. S. ſalue alumne mi.
E. Iam mater rure rediÿt? reſponde mihi.
S. Cum quidem ſalute à familia omni maxuma.
E. Quid iſtuc negoti eſt? S. tuus pater belliſſumus
Amicam adduxit intrò in ædeis. E. quomodo?
S. Aduenie̅s mater rure eam offendit domi.
E. Pol haud cenſebam iſtarum eſſe operarum patrem.
Etiamq; nunc mulier intu'ſt? S. etiam. E. ſequere me.
Quid Periſtratam hic Demiphonis contuor?
Gradus grandit, emittit oculos, circunfert ſe, obſtipat uerticem.
Aſſeruabo hinc, rerum quid gerat. magnũ eſt quicquid quæritat.

PERISTRATA, SYRA, LYCISSA.

P. DIua Aſtarte hominum deorumq; uis, uita, ſalus: rurſus eadem quæ eſt
Pernicies, mors, interitus, mare, tellus, cœlum, ſydera,
Iouis, quæcunq; tẽpla colimus, eius ducũtur nutu, illi obtẽperant,
Eam ſpectant: quod illi diſplicet, facile excludunt cæteri.
Quicquid complacitum, id ſequontur quæ uiuont omnia, atq; ſentiunt.
Alios enicat, extinguit, alios ſuo lacte fouet, atq; erigit. ſed quos enicat,
Hi uiuunt, & ſapiunt: quos properat alere, ac erigere,
Hi quidẽ confeſtim pereunt, atq; male ſapiũt miſeri.
IACENT BENEVOLENTES ODIOSI, humum mordent, caput replant.
Fremunt, perſtrepuntq;: cumq; putãt uiuere, tunc ruũt maxume:

Tunc, tūc ſtudent perſequi, labāt iuuenes, itidē rapiuntur ſenes.
Illi ſe amant: quod amant, amatum uolunt, atque cognitum.
Illi uerò ſi amare ea ætate occœperunt, multo inſaniunt acrius.
Verùm ſi non amant, oderunt, moleſti itidem, atque difficiles,
Garruli, oſores, infenſi, iracundi, ſibi ſuiſq; inuidi.
Quod in ſe olim admisère turpiter, id ſi fiat modeſtius, (punt.
Nec tolerant, ut æquom eſt patres: ſed clamant, indecēter obſtre
S. Quantū intellego, & hanc male habet Demipho. P. id uerum.
Amat filius et perit: id quom reſciſcit pater, inſanit uehementius.
Quæ iſtæc intemperiæ? abegit uir meus olim ipſe ad mercatum Rhodum, filium:
Nunc ut fert Acanthio, ipſe ſibimet faciet exilium.
O iniquom patrem: ô infortunatum filium, quò te recipies?
Vbi matrem relinques? ſola degam? filium amittam? non patiar.
Vendidit pater: ubiubi erit inuenta, mater redimet.
Dic tu Lyciſſa, num in hanc uiciniam adductam autumant?
L. In hanc opinor, in amici ſenis cuiuſdam ædeis. P. hic præter Lyſi
Nullus quem ſciam. S. Lyſimachum nominant. (machum,
Mirum ni ſenes uicini in unum nidum conſpirauerint.
P. Dorippā eius uxorem conueniā. L. quid, conuenias? non eā uides?
P. Video equidē, auſcultemus: neſcio quid ſecum iracunda muſsitat.

DORIPPA, SYRA, LYCISSA, PERISTRATA.

D. SYra non redit, quam accerſitū patrem iam diu eſt quòd mi
Tarda nimium, aut lapis obriguit, aut angue (ſeram:
demorſa ceſſauit turgida.
S. Nulla ſum, adeſt hera, me quærit. D. Domi manere nequeo:
Bellulā iſtanc pellicē mei non patiuntur oculi. excluſiſſem foras:
At me meus cōtinuit Eutychus. ſed omnino quod fert nō creduā.
L. Audin' hera? P. audio: ſine pergat. L. ſino. D. amici inquit ſenis
Gratia huc ad nos ueniſſe: habet uenalē, amāti dū detrahat filio.
Nec quidem aut uiri, aut gnati, fallacia diſsident ſententiæ:
Sequeſtro uir ait datam, eandem uerò uenalem dicit filius.
S. Ibo de improuiſo obuiam, ne ceſſaſſe intellegat. D. iſtæc filio

Non credo, qui obſequitur patri: huic uerò ut mero cuculo
Id certum eſt mentiri ampliter. equidem coquo creduam.
Eccam Syram: ut currit uenefica. Syra. S. quis me uocat?
D. Malum quod di tibi danunt. S. hera, ſi ſapis, hoc potius
Tuæ pellici, et marito dato. D. iſtuc dictũ tibi nõ amplius iraſcor.
Sed ubi pater? quid ceſſat? an hominem podagra impedit?
S. Nec podagricus, nec articularius eſt, quem rus ducunt pedes.
D. Non domi? S. non. D. ubi? S. rure eſſe autumant.
Atq; nunquid redeat incertum hodie: cum uillico rationis ſatis.
D. Omnia mihi hodie eueniunt præter ſententiam: nõ uiuã ueſperi,
Niſi illanc à me ſceleſtam abigam. eo domum. L. hera abit
Dorippa. P. hem abit? compello. Dorippa? D. quid moleſtiæ
Hoc eſt? quis me reuocat? P. non ſum moleſta, ſed beneuolens,
Et amica te compellat tua Periſtrata: mane quæſo.
D. Hem Periſtrata? te pol non noram. mala bilis cruciat
Me, atque exagitat. P. iſtuc uolo, quæſo ne neges,
Te audiui modo. dic mihi, quæ te nunc habet ſolicitudo?
D. Periſtrata di tibi unicũ gnatũ ſoſpitẽt. da mihi benignius operã:
Nulla dari mihi poterit melius: par eſt ætas: unà creuimus:
Pares ætate habemus uiros: nulli colloquor libentius.
Sollicitor merito quidem, quid tibi animi eſſe nunc poſſiet,
Si amicam hac ætate ante oculos tuus adduxerit Demipho.
P. Adduxit? D. factum. P. domi eſt? D. domi: imò coqui (omnia.
Conducti, parabatur conuiuium, ni meus diſturbaſſet aduenus
Senem miſerum Venus & Cupido alieno ſatis uexant tempore.
P. Sed iſta leuia ſunt Dorippa, utinam non ego eſſem miſerior.
D. Leuia? P. leuia quidem. D. quæ peiora tibi tuus faceret?
P. Imò peioribus peiora. D. quæ iſtæc ſunt? quæſo loquere:
Vt tu mihi, ego tibi, quæ facto opus ſunt, demus conſilium.
Vetus id dictum eſt, FELICITER IS SAPIT, qui periculo alieno ſapit.
P. Vnicus mihi Dorippa eſt gnatus, ſcis. D. ſcio. P. hunc pater
Olim à ſe extruſit Rhodum. D. quare? P. quoniam amaret.
D. Ob id ipſum? P. id quidem nunc quoque, quom ancillam domum

Addu-

Adduxiſſet, hanc reſciſcens pater produxit, uenalem præbuit.

D. Atat noui, uerum dixerat filius, ego mariti amicam putabã mei.

Quoi data eſt? P. ſeni quoidam in hac amico uicinia.

Credo hic alium, præter tuum, amicum habere neminem.

D. Ea quidem eſt. quid filius? P. urbem hãc ſe deſerturum autumat.

D. IN PORTV res eſt. quid ſi inuenerit? P. manſurum credito.

D. Præter ſpem ſaluæ ſumus, ne dubita, apud me ea eſt.

P. Apud te? ea erat opinor, de qua loqui te audiui modo.

D. Ea. P. ô factum bene, meritò te amo, reſtituiſti filium.

Fac uideam. D. eamus intrò. P. eamus. Lyciſſa ades.

Acanthioni hæc nuntia, ego ad Dorippam huc deuortam.

SYRA, anus.

Ecaſtor lege dura uiuont mulieres,
Multoq; iniquiore miſeræ quàm uiri,
Nam ſi uir ſcortum duxit clam uxorem ſuam,
Id ſi reſciuit uxor, impune eſt uiro:
Vxor uiro ſi clam domo egreſſa eſt foras,
Viro fit cauſſa, exigitur matrimonio.
Vtinam lex eſſet eadem, quæ uxori eſt, uiro.
Nam uxor contenta eſt, quæ bona eſt, uno uiro.
Quî minus uir una uxore contentus ſiet?
Ecaſtor faxim, ſi itidem plectamur uiri,
Si quis clam uxorem duxerit ſcortum ſuam,
Vt illæ exiguntur, quæ in ſe culpam commerent:
Plures uiri ſint uidui, quàm nunc mulieres.

ACTVS QVINTVS.

CHARINVS.

Limen ſuperum inferumq; ſalue, ſimul autem uale.
Hunc hodie poſtremum extollo mea domo patria pedem.
Vſus, fructus, uictus, cultus iam mihi harunce ædium
Interemptu'ſt, imperfectu'ſt, alienatu'ſt. óccidi.
Dij penates meûm parentum, familiæ lar pater,
Vobis mando parentum meûm rem bene ut tutemini.
Ego mihi alios penateis deos perſequar, alium larem,

Aliam urbem, aliam ciuitatem: ab Atticis *abhorreo.*
Nam ubi mores deteriores increbreſcunt in dies,
Vbiq; amici qui infideles ſient, nequeas pernoſcere:
Vbi quid eripiatur, animo tuo quod placet maxume:
Ibi quidem ſi regnum detur, non eſt cupîta ciuitas.

EVTYCHVS, CHARINVS.

E. *DIuôm atque hominum quæ ſpectatrix, atq; hera eadem es hominibus,*
Spem ſperatam quom hanc obtuliſti mihi, grates ago.
Ecquis nam deu'ſt, qui mea nunc lætus lætitia fiat?
Domi erat, quod quæritabam. ſex ſodales repperi,
Vitam, amicitiam, ciuitatem, lætitiam, ludum, iocum.
Forum inuenturus ſim, ita peſſumas peßũdedi,
Iram, inimicitiam, lachrumas, mœrorem, exilium, inopiam,
Solitudinem, ſtultitiam, exitium, pertinaciam.
Date di quæſo conueniundi mihi eius celerem copiam.
Apparatus ſum, ut uidetis, abijcio ſuperbiam:
Egomet mihi comes clauator, equos, agaſo, armiger.
Egomet ſum mihi imperator, idem egomet mihi obedio.
Egomet mihi fero quod uſu'ſt. Cupido *quantus es?*
Nam quemuis confidentem facile tuis factis facis,
Eundem ex confidente actûtum diffidentem denuo.
Cogito quonam illum curram quæritatum. C. *certa eſt res*
Mensq; mihi illam quærere, quoquò hinc abducta eſt gentium:
Neque mihi ulla obſiſtat amnis, neque mons, neque adeò mare:
Nec calorem, nec frigus metuo, neq; uentum, neque grandinem:
Imbrem perpetiar, laborem ſufferam, ſolem, ſitim:
Non concedam, neque quieſcam uſquam noctu, neque dius,
Prius profecto quàm aut amicam, aut mortem inueſtigauero.
E. *Neſcio quoia uox ad aurem mihi aduolauit.* C. *inuoco*
Vos diales, ut me bene tutetis lares. E. *ô* Iuppiter,
Eſt'ne illic Charinus? C. *ô ciues benę ualete.* E. *illico*
Sta Charine. C. *qui me reuocat?* E. *ſpes, ſalus, uictoria.*
C. *Quid me uoltis?* E. *ire tecum.* C. *alium comitem uobis quærite.*

Noli

Non amittunt hi me comites,qui tenent. E. qui ſunt ij?
C. Cura,miſeria,ægritudo,lachrumæ,lamentatio.
E. Repudia iſtos comites,atque huc reſpice,& reuortere.
C. Si quidem mecum fabulari uis,ſubſequere. E. ſta illico.
C. Malefacis,properantem qui me commorare:ſol abit.
E. Si huc item properes,ut iſtuc properas,facias rectius.
Hic uentus nunc ſecundus eſt,cape modo uorſoriam.
Hic Fauonius ſerenus eſt,hic Auſter imbricus:
Hic facit tranquillitatem,iſte omneis fluctus conciet.
Reſpice huc ad dexteram Charine:nónne ex aduorſo uides?
Nubis atra imberq; inſtat. aſpice nũc ad ſiniſtrã huc,atq; uides?
Cœlum ut ſplendore eſt plenum,nónne ex aduorſo uides?
C. Relligionem ille obiecit,recipiam me illuc. E. ſapis
O Charine,contrà pariter fer gradum,& confer pedem,
Porrige brachium,prehende. iam tenes? C. teneo. E. tene.
Quò nunc ibas? C. exulatũ. E. quid ibi facere uis? C. quod miſer.
E. Ne paue,reſtituam iam ego te in gaudium utiq;, ut ſis maxume.
Quod uis audire,id audi,quod gaudeas:ſta illico,amicus
Aduenio,multum beneuolens. tuam amicam. C. quid eam? E. ubi
Sit,ego ſcio. C. tún' eam,tún' obſecro? E. ſanam & ſaluam.
C. Sed ubi eam ſanam & ſaluam? E. ego ſcio. C. ego me mauelim.
E. Potin' ut animo ſis tranquillo? C. quid ſi animus fluctuat?
E. Ego iſtum in tranſquieto tuto ſiſtam,ne time.
C. Obſecro te,loquere ubi ſit,ubi eam uideris. quid taces?
Dic,enicas me miſerum tua reticentia. E. non longe
Hinc abeſt à nobis. C. quin ergo commonſtras,ſi tu uides?
E. Non uideo hercle nunc,modo uidi. C. quin ego uideam,facis?
E. Faciam. C. longinquom amanti iſtuc. E. etiam emutis? omnia
Commonſtrabo:amicior mihi nullus uiuit,atque is eſt
Qui illã habet, neq; eſt quoi magis me uelle melius æquom ſiet.
C. Non curam de iſto ullam quæro. E. de illa ergo ego dico tibi,
Sane hoc non in mentem uenit,dudum ut urbem obambulo.
C. Dic igitur ubi illa eſt? E. in noſtris ædibus. C. ædeis probas,
Si tu uera dicis,& pulchre ædificatas arbitror.

Sed quî ego iſtuc credam? uidiſtin', an tu audito nuntias?
E. Egomet uidi. C. quis eam adduxit ad uos? E. inique rogas.
C. Vera dicis. E. nihil Charine te quidem quicquam pudet:
Quid tua refert, qui cum iſtac uenerit, dum iſtuc? C. ſic eſt
Profecto. opta ergo ob iſtunc nuntium, quid uis tibi.
E. Quid ſi optabo? C. deos orabo, eius ut faciam copiam.
E. Derides? C. ſeruata res eſt demum, ſi illam uidero.
Sed quin ornatum hunc reijcio? heus aliquis actûtum huc foras
Exite, illinc pallium mihi huc ferte. E. hem nunc mihi places.
C. Optume aduenienſ puere cape chlamydem, atque hic ſine illico:
Vt ſi hæc non ſint uera, incœptum hoc itiner perficere exequar.
E. Non mihi credis? C. omnia equidem credo, quæ dicis mihi.
Sed quin introducis me ad eam, ut uideam? E. pauliſper mane.
C. Quid manebo? E. tempus non eſt nunc introeundi. C. enicas.
E. Non opus eſt inquam nunc intrò te ire. C. reſponde mihi
Qua cauſſa? E. operæ non eſt. C. cur? E. quia nō eſt illi commodū.
C. Itane commodum illi nō eſt, quæ me amat, quā ego contrà amo?
Omnibus hic ludificatur me dolis: ego ſtultior
Qui iſtic credam. commoratur. chlamydem ſumam denuo.
E. Mane parumper, atque hoc audi. C. cape puer hoc pallium.
E. Mater irata eſt patri uehementer, quia ſcortum ſibi
Ob oculos adduxerit in ædeis: dum ruri ipſa abeſt,
Suſpicatur illam amicam eſſe illi. C. zonam ſuſtuli.
E. Eam nunc rem exquirit intus. C. iam machæra'ſt in manu.
E. Nam ſi te eò introducam. C. tollo ampullam, atque hinc eo.
E. Mane, mane Charine. C. erras, me decipere haud potes.
E. Neq; uolo ædepol. C. quin tu ergo itiner meum exequi me ſinis?
E. Non ſino. C. ego me moror: tu puer abi hinc intrò ocyus.
Iam in currum conſcendi, iam lora in manus cepi meas.
E. Sanus non es. C. quin pedes uos in curriculum conijcitis?
In Cyprum rectà: quandoquidem pater mihi exilium parat.
E. Stultus es, noli iſtuc quæſo dicere. C. certum eſt exequi,
Operā ut ſumam ad perueſtigandū ubi ſit illæc. E. quin domi'ſt.
C. Nam id quod dixit, id mentitu'ſt. E. uera dico equidem tibi.

Iam

C. Iam Cyprum ueni. E. quin ſequere, ut illā uideas, quam expetis.
C. Percontatus, non inueni. E. matris iam iram neglego.
C. Porrò proficiſcor quæſitum. nunc perueni Chalcidem.
Video hoſpitem: Zacyntho dico quid eò aduenerim.
Rogito quis eam uexerit, quis habeat, ſi ibi inaudiuerit.
E. Quin tu iſtas omittis nugas, ac mecum huc intrò ambulas?
C. Hoſpes reſpondit Zacyntho FICOS FIERI non malas.
E. Nihil mentitus eſt. C. ſed de amica ſe inaudiſſe autumat
Hic Athenis eſſe. E. Chalcas iſte quidem Zacynthiu'ſt.
C. Nauim conſcendo. proficiſcor illico. iam ſum domi.
Iam redij exilio. ſalue mihi ſodalis Eutyche,
Vt ualuiſti? quid parentes mei? ualent? tibi gratia eſt.
Bene uocas, benigne dicis, cras apud te cœnauero.
Nunc domi ſic decet, ſic fieri oportet. E. io quæ inſomnia?
Hic homo non ſanus eſt. C. medicari amicus quin properas?
E. Sequere ſis. C. ſequor. E. clementer quæſo, calces deteris:
Audin' tu? C. iamdudum audiui. E. pacem componi uolo
Meo patri cum matre: nam nunc eſt irata. C. i modo.
E. Propter iſtanc. C. i modo. E. ergo cura. C. quin tu ergo i modo.
Tam propitiam reddam, quàm cum propitia eſt Iuno Ioui.

LYSIMACHVS, DEMIPHO.

L. DEmipho ſapientum illud dictum te audiſſe reor ſæpius,
VOLVPTAS EST MALORVM ESCA: quòd ea non minus homines,
Quàm hamo capiuntur piſces. hæc quom fugiant ſenes,
Tu tamen ſenectuti gratiam non habeas: quoniam hæc tibi
Non abſtulit modo, ſed in amorem coniecit fortius,
Quo te, conſiliumq; tuum atque mentem perdit funditus,
Atque oculorum tibi præſtringit aciem. me quoque
In magnum conieciſti malum: nec quid faciam ſcio.
D. Lyſimache deûm hoc arbitrium eſt, non hominū. tute hoc tecum
Si cogites, non æquom te facere arbitrabere,
Quom amico homini, tuiq; conſcio ita ſuccenſeas miſere,
Quaſi tu nunquam quicquam aſſimile huius facti feceris.

L. Nam mea uxor propter illam tota in fermento iacet.
Pol nunquam caui quid facerem. uix uiuos ſum miſer.
D. At ego expurgationem habebo, ut ne ſuccenſeat.
Sequere me. ſed exeuntem filium uideo meum.

EVTYCHVS, DEMIPHO, LYSIMACHVS, CHARINVS.

E. AD patrem ibo, ut matris iram ſibi eſſe ſedatam ſciat.
D. Iam credo, placet principiũ. quid agis? quid fit Eutyche?
E. Optuma opportunitate ambo autẽ ueniſtis. L. quid rei (eſt?
E. Vxor tibi placida & placata'ſt. date dextras nunc iam.
L. Dij me ſeruant. E. tibi amicam nullam eſſe nuntio.
D. Di te perdant. L. quid negotij eſt nam quæſo iſtuc? E. eloquar:
Animũ aduortite igitur ambo. L. quin tibi ambo operam damus.
E. Qui bono ſunt genere nati, præditi ingenio malo,
Suapte culpa ex genere capiunt genus, ingenium improbant.
D. Verum hic dicit. L. tibi ergo dicit. E. eo illud uerum eſt magis.
Nam te iſtac ætate haud æquom fuerat, filio tuo
Adoleſcenti amanti amicam emptam argento eripere ſuo.
D. Quid tu ais? an Charini amica'ſt illi? E. ut diſsimulat malus?
D. Ille quidem illam ſeſe ancillam matri emiſſe dixerat.
E. Propterea igitur tu mercatus nouos amator, uetus
Puer. C. optume hercle. perge, ego aſsiſtam hinc altrinſecus:
Quibus eſt dictis dignus uſquẽ oneremus ambo. D. nullus ſum.
E. Filio ſuo qui innocenti fecit tantam iniuriam,
Quem quidẽ hercle hodie ego, in exiliũ cũ iret, reduxi domum:
Nam ibat exulatum. D. an is abijt? E. etiam loquere larua?
Temperare iſtac ætate iſtis decebat te artibus.
D. Fateor nunc, deliqui profecto. E. etiam loquere larua?
Vacuum eſſe iſtac ætate his te decebat noxijs.
Itidem ut tempus anni, ætatem aliam aliud factum conuenit.
Nam ſi iſtuc ius eſt ſenecta ætate ſcortari ſenes,
Vbi loci res ſumma noſtra publica? D. hei perij miſer.
Adoleſcentes rei agendæ iſti magis dare operam ſolent.
Iam obſecro hercle uobis habete cum porcis, cum fiſcina.

E. Redde filio, ſi habeas, iam uolt. D. per me ſibi habeat licet
Semper ædepol. E. quoniam ut aliter facias non eſt copiæ.
D. Supplicij ſumat quid uolt ipſe ob hanc iniuriam:
Modo pacem faciatis: oro ut ne mihi oratus ſiet.
Si hercle ſciuiſſem, ſiue adeò ioculo dixiſſet mihi
Se illam amare, nunquam facerem ut illam amanti abducerem.
L. Eutyche te oro, ſodalis eius es, ſerua, & ſubueni
Hunc ſenem: para me clientem, memorem dices beneficij.
E. Ora ignoſcat delictis tuis, atque adoleſcentiæ.
C. Pergin' tu autem eia ſuperbe inuehere? ſpero ego mihi quoque
Tempus tale euenturum, ut tibi gratiam referam parem.
D. Miſſas iam ego iſtas arteis feci, et quidē ego dehinc iam. E. nihil.
Conſuetudine animus rurſus te huc inducet. D. obſecro
Satis ut iam habeatis: quin loris cædite etiam, ſi lubet.
E. Rectè dicis: iſtuc ſed uxor faciet, cum hoc reſciuerit.
D. Nihil opu'st reſciſcat. E. quid iſtuc? non reſciſcet, ne time.
Eamus intrò: non utibile hic locus factis tuis,
Dum memoramus, arbitri ut ſint qui prætereant per uias.
D. Hercle quin tu rectè dicis, eadem breuior fabula
Erit. eamus. L. hic eſt intus filius apud nos tuus.
D. Optume eſt, illâc per hortum nos domum tranſibimus.
L. Eutyche hanc uolo prius rem agi, q̃ meum intrò refero pedem.
E. Quid iſtuc eſt? L. ſuam quiſq; homo rem meminit. reſponde:
Mihi certon' ſcis, non ſuccenſere tuam matrem? E. ſcio.
L. Vide. E. me uide. L. ſatis habeo, id quæſo hercle etiam uide.
C. Non mihi credis? L. imò credò, ſed tamen metuo miſer.
C. Eamus intrò. E. imò dicamus ſenibus leges. C. cenſeo.
Prius habeamus quas leges teneant, contentiq; ſint.
E. Annos natus ſexaginta qui erit, ſi quem ſcibimus,
Seu maritum, ſiue herclè adeò cœlibem ſcortarier,
Cum eo nos hic lege agemus: inſcitum arbitrabimur:
Et per nos quidem hercle egebit, qui ſuum prodegerit.
Neu quiſquam poſthac prohibeto adoleſcentem filium,
Quin amet, & ſcortum ducat, quod bono fiat modo.

Si prohibuerit, plus perdet clàm, quàm ſi non prohibuerit.
Hæc adeò ut ex hac nocte primùm lex teneat ſenes.
Bene ualete: atque adoleſcentes, hæc ſi uobis lex placet:
Ob ſenum hercle induſtriam, uos (æquom eſt) clare plaudite.

ANNOTATIONES IN MERCATOREM.

COmœdia hęc nomen habet à facto, ſumpta à Philemonis comœdia, quæ ἔμπορος græce, latine MERCATOR dicitur.

In mundo ruſtico.) Mundum ruſticum uocauit, uitam & uictum & labores ruſticorum, quod ſecutus fortaſſe Varro lib. 3. rei ruſticæ: Quorum etiam, inquit, uitam quaſi mundum perpetuum fructuoſumq́; dixeris.

Tibi aras tibi ſeris tibi occas.) Vide Chiliades, mihi iſthic nec ſeritur nec metitur.

Aedificat nauim gerariam.) ὁλκάδα ſcilicet, notauit Laurentius de nauibus etiam dici, ædificare nauim.

Balneę.) Romanus codex balineę habuit, de qua poſtea.

Tua cauſſa rupi ramices.) Vide Galeoti lib. de homine.

Reſinam ex melle Aegyptiam.) Reſina græcis dicta ῥητίνη conſtringendi facultatem habet, præſertim quæ Aegyptia dicitur, quam Hermolaus in Corollario Dioſcoridis maſtichen putat.

Palpo me percutis.) Vide Chiliades: Palpo percutere.

Perdidiſti me pater.) Romanus codex patri habet.

Ad ſaxa ferri.) Aliâs falli.

Senex cum extemplo eſt.) Vide Chilia. Bis pueri ſenes.

Ternos ſcio iam.) Mirũ quin loquatur de tribus literis, (a, m, o.

Aduexe.) pro aduexiſſe.

Muſcæ.) Curioſitas muſcæ prouerbio locũ fecit, ut iam muſcas uocemus, nihil non inueſtigare conantes.

Meæ impleantur carbonibus elegiorum fores.) Solent enim nænias quaſdam ante fores amicarum carbonibus deſcribere, cuius rei mentionem facit & Perſius.

Ex forma nomen inditu'ſt.) πασικόμψη, undiq́; ornatam interpretari potes.

Senex hircoſus.) Id eſt τραγομάσχαλος, hoc eſt uirus ala rum olens.

Tantum hoc oneris eſt quod fero.) Extat in hanc ſententiam græcus ſenarius: χαλεπὸν τὸ γῆρας ἐστὶν ἀνθρώποις βάρος: Id eſt Eraſmo interprete, pergraue ſenectus eſt onus mortalibus.

Qui hanc uicini noſtri.) Codex Rom. adiungit dei. Viſa ſunt etiam nobis exemplaria, qui pro noſtri dei habebant.

Nunc ego uerum illud uerbum.) Vide Adagiorum Chiliades aliquid mali propter uicinum malum.

Diua Aſtarte.) Aſtarte in Syria deam fuiſſe refert Aelianus, & in apologetico Tertullianus: cæterum & Lucianus in commentario de deo Syriæ Aſtartem deam eſſe dicit, quam candem cum luna putat. Cœlius etiam de hac dea libro duodecimo capite 37.

Vetus id dictum eſt feliciter is ſapit qui alieno periculo.) Vide Chiliades, malo accepto ſtultus ſapit.

Vita, amicitiam, ciuitatem.) Romanus codex ciuilitatem, longe rectiſſime habet.

Cape modo uorſoriam.) Ioan. Bap. Pius Vorſoriam interpretatur pixideculam nauticam, ex qua fundi naturam nautæ diſcunt. Apuleius certe pro bolide dixit.

Zonã ſuſtuli &c.) Era. in adagio: Meos corymbos necto.

Sapientum illud dictũ.) ἥδονὴν δέλεαρ κακῶν Plato dixit.

Suam quiſq; homo rem meminit.) Sententia prouerbialis eſt, uide Chilia. Suam quiſq; &c.

M. ACTII PLAVTI

PSEVDOLVS.

DRAMATIS PERSONAE.

PSEVDOLVS, *ſeruos.*	HARPAX, *cacula.*
CALLIDORVS, *adoleſcens.*	CHARINVS, *adoleſcens.*
BALLIO, *leno.*	PVER.
LORARII *quatuor.*	COQVVS.
SIMO, *ſenex.*	SIMIA, *ſycophanta.*
CALLIPHO, *ſenex.*	PHOENICIVM, *meretrix.*

ARGV-

ARGVMENTVM.

PRæſentis numerat quindecim miles minas.
Simul conſignat ſymbolum: ut PHOENICIVM
Ei det leno, ſibi qui cum cum reliquo aſſerat.
Venientem Caculam interuortit ſymbolo,
Dicens Syram ſe Ballionis, PSEVDOLVS.
Opemq; herili is ita tulit: nam Simiæ
Leno mulierem, quem ipſe ſuppoſuit, tradidit.
Venit Harpax uerus: res palam cognoſcitur,
Senexq; argentum, quod erat pactus, reddidit.

ALIVD ARGVMENTVM.

PAciſcitur cum lenone miles Maced. ſibi Phœnicium meretricem dari uiginti minis. quindecim illico dinumerat: quinque debentur mnæ. pro his reliquit ſymbolum, ut qui illas attulerit, per eundem ſibi mulierem deſtinet. Hanc deperibat Callidorus adoleſcens. illa mittit amanti literas, ſe uenditam aſſerens à lenone militi. quærit adoleſcẽs undecunque pecuniam, ut amicam redimat. ſeruum Pſeudolum ſuum facit participem conſilij: et pollicetur ſeruus operam daturum, & lenonem falſurum. Pater adoleſcentis Simo monitus filium uelle amicam redimere, Ballionem lenonem præmonet, ut caueat à Pſeudolo: qui ſi ſe decipi ſinat, ultrò promittit Simoni daturum uiginti minas. Interim aduenit à milite miſſus Cacula, pecunias reliquas affert, ut mulierem abducat. Is dum lenonem quæritat, incidit in Pſeudolum. fingit Pſeudolus Subbalionem Syrum abſentemq; domo lenonem. tradit ille ſymbolum & literas: lenoni cum uenerit, ut det, poſt paulum rediturus, pecuniam ut dinumeret. Pſeudolus recepto ſymbolo ſubornat ſycophantem Simiam. is ad lenonem tanquam miſſus à milite, quinque minas affert, peritq; ſibi puellam dari. facile credit leno inſpiciens ſymbolum. tradit recepta pecunia meretriculam. Aduenit poſtremo uerus Harpax Cacula: petit à lenone mulierem tradi. Leno ratus illum miſſum à Pſeudolo, eum deludit aliquandiu, tandem ut agnouit ſibi os eſſe ſublitum, pactas tradit Simoni uiginti minas: Callidorusq; ſua potitur Amaſia.

PRO-

PROLOGVS.

STV dete hodie mihi, bona in ſcenam
afferò. (xume,
Nam bona bonis ferri, reor æquom ma-
Vt mala malis: ut qui mali ſunt, habeant
mala, (lè,
Qui boni, bona. bonos quòd oderint ma-
Sũt mali: malos quòd oderint boni, bonos
Eſſe oportet. uosq́; ideò eſtis boni, quandoquidem
Semper odiſtis malos, & lege & legionibus
Hos fugitaſtis, qui rite ſucceſſit bonis.
Huic uos nunc pariter, bonam boni operam date gregi,
Qui bonus eſt, & hodie ad bonos affert bona:
Aures, oculi, animus ampliter fient ſaturi.
In ſcenam qui ieiunus uenerit, aut ſitiens,
Is riſu & uentre raſo uigilabit ſedulo:
Dumq́; ridebunt ſaturi, mordebunt famelici.
Nunc ſi ſapitis, cedite ieiuni, atque diſcedite.
Vos ſtate ſaturi, imò ſedete, atque attendite.
Non argumentum, neque huius nomen fabulæ
Nunc proloquar ego: ſatis id faciet Pſeudolus.
Satis id dictum uobis puto iam, atque deputo,
Vbi lepos, ioci, riſus, uinum, ebrietas decent,
Gratiæ, decor, hilaritas, atque delectatio.
QVI QVAERIT ALTA, is malum uidetur quærere.
Curas malas abijcite iam, ut otioſi hodie.
Exporgi meliu'ſt lombos, atque exurgier.
Plautina longa fabula in ſcenam uenit.

ACTVS PRIMVS.

PSEVDOLVS, ſeruos. CALLIDORVS, adoleſcens.

P. SI ex te tacente fieri poſſem certior
Here, quæ miſeriæ te tam miſere macerant,
Duorum labori ego hominum parſiſſem lubens:
Mei, te rogandi: & tui, reſpondendi mihi.

Nunc

Nunc quoniam id fieri non poteſt, neceſſitas
Me [illegible]bigit ut te rogitem. reſponde mihi:
Quid eſt quòd tu exanimatus iam hos multos dies
Geſtas tabellas tecum: eas lachrumis lauis,
Neque tui participem conſilij quenquam facis?
Eloquere: ut quod ego neſcio, id tecum ſciam.
C. Miſere miſer ſum Pſeudole. P. id te Iupiter
Prohibeſſit. C. nihil hoc Iouis ad iudicium attinet:
Sub Veneris regno uapulo, non ſub Iouis.
P. Licet me id ſcire quid ſit? nam tu me antidhac
Supremum habuiſti comitem conſilijs tuis.
C. Idem animus nunc eſt. P. fac me certum quid tibi ſit:
Iuuabo aut re, aut opera, aut conſilio bono.
C. Cape has tabellas, tute hinc narrato tibi
Quæ me miſeria & cura contabefacit.
P. Mos tibi geretur. ſed quid hoc quæſo? C. quid eſt?
P. Vt opinor, quærunt literæ hæ ſibi liberos,
Alia aliam ſcandit. C. ludis me ludo tuo.
P. Has quidem pol credo, niſi Sibylla legerit,
Interpretari alium poſſe reor neminem.
C. Cur inclementer dicis lepidis literis,
Lepidis tabellis, lepida conſcriptis manu?
P. An obſecro hercle habent quoque gallinæ manus?
Nam has quidem gallina ſcripſit. C. odioſus mihi es,
Lege, uel tabellas redde. P. imò enim eas pellegam.
Aduortito animum. C. non adeſt. P. at tu cita.
C. Imò ego tacebo, tu hinc quidem ex cera cita.
Nam iſtic meus animus nunc eſt, non in pectore.
P. Tuam amicam uideo Callidôre. C. ubi ea eſt obſecro?
P. Eccam in tabellis porrectam, in cera cubat.
C. At te dij deæq; quantus es. P. ſeruaſſint quidem.
C. Quaſi ſolſtitialis herba pauliſper fui,
Repente exortus ſum, repentinò occidi.
P. Tace dum tabellas pellego. C. ergo quin legis.

Phœni-

P. Phœnicium Callidoro amatori ſuo
Per ceram & linum literaſq; interpretes
Salutem mittit, & ſalutem abs te expetit
Lachrumans animo titubanti, corde & pectore.
C. Perij, ſalutem nuſquam inuenio Pſeudole,
Quam illi remittam. P. quam ſalutem? C. argenteam.
P. Pro lincea ſalute, uis argenteam
Remittere illi? uide ſis quam tu rem geras.
C. Recita modo, ex tabellis iam faxo ſcies,
Quàm ſubito argento mihi uſus inuento ſiet.
P. Leno me peregre militi Macedonico
Minis uiginti uendidit uoluptas mea.
Et priuſquam hinc abijt, quindecim miles minas
Dederat: nunc unæ quinque remorantur minæ.
Ea cauſſa miles hic reliquit ſymbolum,
Expreſſam in cera ex annulo ſuam imaginem,
Vt qui huc afferret eius ſimilem ſymbolum,
Cum eo ſimul me mitteret. ei rei dies
Hæc præſtituta eſt proxuma Dionyſia:
Cras ea quidem ſunt. C. prope adeſt exitium mihi,
Niſi quid mihi in te eſt auxilij. P. ſine pellegam.
C. Sino: nam mihi uideor cum ea fabularier.
Lege, dulce amarumq; unà nunc miſcens mihi.
P. Nunc noſtri amores, mores, conſuetudines,
Iocus, ludus, ſermo ſuauis, ſauiatio,
Compreßiones arctæ amantum compares,
Teneris labellis molles morſiunculæ,
Papillarum horridularum oppreßiunculæ:
Harum mihi uoluptatum omnium, atque itidem tibi
Diſtractio, dißidium, uaſtities uenit:
Niſi quæ mihi in te'ſt, aut tibi in me eſt ſalus.
Hæc ego, quæ ſciui, ut ſcires, curaui omnia.
Nunc ego te experiar quid ames, quid ſimules. uale.
C. Eſt miſere ſcriptum Pſeudole. P. ô miſerrime.

C. Quin fles? P. pumiceos oculos habeo, non queo
Lachrumam exorare ut expuant unam modo.
C. Quid ita? P. genus noſtrum ſemper ſiccoculum fuit.
C. Nihilne adiuuare me audes? P. quid faciam tibi? C. heu.
P. Heu? id quidem tibi hercle ne parſis, dabo.
C. Miſer ſum, argentum nuſquam inuenio mutuum
Pſeudole. P. heu. C. neque intus nummus ullus eſt. P. heu.
C. Ille abducturus eſt mulierem cras. P. heu.
C. Iſtoccine pacto me adiutas? P. do id quod mihi eſt:
Nam is mihi theſaurus iugis in noſtra eſt domo.
C. Actum hodie de me eſt, ſed potes nunc mutuam
Drachmam dare mihi unam, quam cras reddam tibi?
P. Vix hercle opinor, ſi me opponam pignori.
Sed quid de drachma facere uis? C. reſtim uolo
Mihi emere. P. quamobrem? C. quî me faciam penſilem.
Certum eſt mihi ante tenebras perſequi tenebras.
P. Quis mihi igitur drachmam reddet, ſi dederim tibi?
An tute ea cauſſa uis ſciens ſuſpendere,
Vt me defrudes drachma, ſi dederim tibi?
C. Profecto nullo pacto poſſum uiuere,
Si illa à me abalienatur, atque abducitur.
P. Quid fles cucule? uiues. C. quid ego ni fleam,
Quoi nec paratus nummus argenti ſiet,
Neque libellæ ulla ſpes ſit uſquam gentium?
P. Vt literarum ego harum ſermonem audio,
Niſi tu illi drachmis fleueris argenteis,
Quod tu iſtis lachrumis te probare poſtulas:
Non pluris refert, quàm ſi IMBREM in cribrum geras.
Verùm ego te amantem, ne paue, non deſeram.
Spero alicunde hodie me bona opera, aut mala
Tibi inuenturum eſſe auxilium argentarium.
C. At id futurum unde? P. unde? unde dicam, neſcio:
Niſi quia futurum eſt, ita ſupercilium ſalit.
C. Vtinam quæ dicis, dictis facta ſuppetant.

P. Scis tu quidem hercle mea ſi commoui ſacra,
Quo pacto & quantas ſoleam turbellas dare?
C. In te nunc ſunt omnes ſpes ætati meæ.
P. Satin' eſt ſi hanc hodie mulierem efficio tibi
Tua ut ſit? aut ſi tibi do uiginti minas?
C. Satis, ſi futurum eſt. P. roga me uiginti minas:
Vt me effecturum tibi, quod promiſi, ſcias,
Roga. C. obſecro hercle. P. geſtio promittere.
C. Dabiſne argenti mihi hodie uiginti minas?
P. Dabo: moleſtus nunc iam tu ne ſis mihi.
Atque hoc ne dictum tibi neges, dico prius:
Si neminem alium potero, tuum tangam patrem.
C. Dij te omneis mihi ſeruent. uerùm ſi potes,
Pietatis cauſſa, uel etiam matrem quoque.
P. De iſtac re in oculum utrumuis conquieſcito.
C. Oculũ utrum, ánne in aurem? P. at hoc peruolgatum eſt minus.
Nunc nequis dictum ſibi neget, dico omnibus,
Præſenti pube, in concione, omni populo,
Omnibus amicis, notisq́; edico meis,
In hunc diem à me ut caueant, ne credant mihi.
C. Tace obſecro hercle. P. quid negotij eſt? C. oſtium
Lenonis crepuit. P. crura mauellem modo.
C. Atque ipſe egreditur, penitus periurum caput.

BALLIO, leno. LORARII quatuor.
PSEVDOLVS, CALLIDORVS.

B. EXite hinc, agite, ite ignaui, male habiti, et male conciliati:
Quorum nunquam quicquam quoiquam uenit in mentem ut recte faciant:
Quis niſi ad hoc exemplum experior, non poteſt uſura uſurpari.
Neque homines magis aſinos unq̃ uidi, ita plagis coſtæ callent:
Quos dum ferias, tibi plus noceas. eo enim ingenio hi ſunt flagricibæ,
Qui hæc habent conſilia, ubi data occaſio eſt, rape, clepe, tene, harpaga,

Bibe,es,fuge.opus hoc corũ: ut malis lupos apud oueis linquere,
Quàm hos domi cuſtodes. ad faciem quom aſpicies eorum, haud uidentur mali:
Opera fallunt.nũc adeò hanc edictionẽ animo omnes aduortite:
Niſi ſomnum ſecordiamq́; ex pectore,oculisq́; amouebitis,
Ita uoſtra ego latera loris faciam,ut ualide uaria ſient,
Vt ne periſtromata quidem æquè picta ſint Campanica,
Neque Alexandrina belluata conſutaq́; tapetia.
Atque herè ante dixeram omnibus, dederamq́; eas prouincias.
Verùm ita uos eſtis perditi,neglegentes,ingenio improbo,
Officium uoſtrum ut uos malo cogatis commonerier:
Nempe ita animati eſtis, uos uincere hoc duritia tergi, atq; me.
Hoc,uide ſis,ut alias res agunt. hoc agite,huc animũ aduortite:
Huc adhibete aureis,quæ ego loquar, plagigera genera hominum:nunquam
Aedepol uoſtrum durius tergum erit, quàm terginũ hoc meum:
Quin nunc doletne?hem,ſic datur,ſi quis herũ ſeruos ſpreuerit.
Adſiſtite omnes contra me:& quæ loquor,aduortite huc animũ.
Tu qui urnã habes,aquam ingerere,face plenum ahenũ ſit cito.
Te cum ſecuri,caudicali præficio prouinciæ.
L. At hæc retonſa eſt. B. ſine ſiet,itidem quoque uos eſtis plagis
Omnes:num qui minus ea gratia tamen omnium opera utor?
Tibi hoc præcipio , ut niteant ædes. habes quod facias:propera,intrò abi.
Tu eſto lectiſterniator. tu argentum eluito,atque id extruito.
Hæc,quom ego à foro reuortor,facite ut offendã parata omnia,
Vorſa,præſterga.ſtrata, lautaq́;, coctaq́; omnia uti ſint:nã mihi
Hodie natalis dies eſt,decet eum omnes uos concelebrare.
Pernam,callum,glandium, ſumen,facito in aqua iaceant.ſatin'?
Magnifice uolo enim ſummos uiros accipere : ut mihi rem eſſe reamur. (quos
Intrò abite,atque hæc cito celebrate:ne mora quæ ſit,quom cõ-
Veniat mihi . ego eo in macellum , ut piſcium quicquid eſt pretio præſtineni.

I pue-

I puere præ: ne quiſquam pertundat crumenam, cautio eſt.
Vel opperire. etiam eſt quod domi dicere penè oblitus fui:
Auditin'? heus uobis mulieres hanc edictionem habeo,
Vos quæ in munditijs, mollitijs, delicijsq́; ætatulam agitis
Viris cum ſummis inclytæ amicæ: nunc ego ſcibo, atque hodie
Experiar, quæ capiti, quæ uentri operam det, quæq́; ſuæ rei,
Quæ ſomno ſtudeat: quã libertã fore mihi credã, et quã uenalem,
Hodie experiar. facite hodie ut mihi munera multa huc ab amatoribus
Conueniant: nam niſi penus annuus hodie conuenerit,
Cras populo proſtituam uos. natalem ſcitis mihi eſſe diem hunc.
Vbi iſti ſunt, quibus uos oculi eſtis, quibus uitæ, quibus
Deliciæ eſtis, quibus ſuauia mellitaq́; manipulatim mihi
Munigeruli facite ante ædeis iam hinc adſint. cur ego ueſtem,
Aurum, atque ea quibus eſt uobis uſui perhibeo? quid mihi
Domi, niſi malum uoſtra opera eſt improbæ? uino modo cupidæ
Eſtis: eo uos pãticesq́; adeò madefacitis, quom ſim ego hic ſiccus.
Nunc adeò hoc factũ eſt optumũ, ut nomine quanq; appellẽ ſuo,
Ne dictum eſſe actũtum ſibi quæpiam uoſtrarum mihi neget.
Aduortite huc animum cunctæ. principio Hedillum tecum ago,
Quæ amica es frumentarijs,
Quibus cunctis montes maxumi aceerui frumenti ſunt domi,
Fac ſis ſit delatum ut mihi frumentum, hunc annum quod ſatis
Mihi & familiæ omni meæ ſit, atq; adeò ut frumento affluam:
Vt ciuitas nomen mihi commutet, meq́; ut prædicet
Lenone ex Ballione regem Iaſonem. C. audin' furcifer
Quæ loquitur? ſatin' magnificus hic tibi uidetur? P. pol iſte
Ita uidetur, atq; etiam maleficus. ſed tace, atq; hanc rem gere.
L. Aeſchrodora, tu quæ amicos tibi habes lenonũ æmulos lanios:
Qui item, ut nos, iureiurando malo quærunt rem: audi: niſi
Carnaria tria grauida tergoribus onerata, uberi hodie
Mihi erunt, cras te quaſi Dircen olim (ut memorant) duo gnati Iouis
Ad taurum deuinxêre, item hodie te ſtringam ad carnarium,

Id tibi profecto taurus fiet. C. nimis ego ſermone huius
Ira incedor. P. hunccine hic hominẽ pati colere iuuentã Atticã?
Vbi ſunt, ubi latent, quibus ætas integra eſt, qui amant à lenone?
Quin coueniunt? quin omnes una peſte hac populũ hunc liberãt?
Sed nimis ſum ſtultus, nimium fui indoctus. illine audeant
Illis id facere, quibus ut ſeruiant, ſuus amor cogit ſimul:
Simul autem prohibet, faciant aduorſum eos qui peruolunt? C.
uah, tace. P. quid eſt? (taceo.
C. Malemorigerus male facis mihi, quom ſermone huic obſonas. P.
C. At taceas malo, quàm tacere te dicas. L. tu autem Xiſtilis
Fac ut animum aduortas, quoius amatores domi oliuinam habẽt
Maxumam, ſi mihi non iam hic culleus oliui deportabitur,
Te ego ipſam culleo cras faciam deportêre in pergulam,
Ibi tibi adeò lectus dabitur, ubi tu haud capias ſomnium,
Sed ubi languorem aduſque. tenes hæc quorſum tendant, quæ loquor? (oleo.
Eñ Exergato, quæ tibi amicos tot habes tam probè onuſtos
Nunc tua etiã eſt mihi hodie et tuorũ opera conſeruorum caput
Nitidiſſimum, ac non ipſe ego pulmento utor magis unctiuſculo.
Sed, ſcio, tu haud oleum magnipendis, uino te deuincis.
Sine modo, rependam ego cuncta ob hæc hercle una opera,
Niſi quidem hodie tu omnia facis ſceleſta ita, hæc ut ego loquor.
Tu autẽ quæ pro capite argentũ mihi iam iamq; ſæpe numeras,
Eaq; paciſci modo ſcis, ſed quæ pacta es, non ſcis ſoluere,
Phœnicium, nunc tibi hæc ego loquor, delitiæ ſummatum uirûm:
Niſi hodie ex fundis mihi tuorum amicorum omnis huc penus
Affertur, cras Phœnicium Phœnicio corio inuiſes pergulam.

CALLIDORVS, PSEVDOLVS, BALLIO, leno.

C. PSeudole nõ audis quæ loquitur hic? P. audio here equidem,
Atq; animũ aduorto. C. quid mihi autor es huic ut mittã,
Ne amicam hic meam proſtituat? P. bene curaſſis, liquido animo es:
Ego pro me et pro te curabo. iamdiu ego huic bene, & hic mihi
Volumus, & amicitia eſt antiqua: mittam hodie huic ſuo

Die

Die natali malam rem magnam & maturam. C. quid opu'ſt?

P. Potin' aliam rem ut cures? C. at. P. bat. C. crucior. P. cor dura.

C. Non poſſum. P. fac poßis. C. quo pacto poßim animum uincere?

P. In rem quod ſit præuortas, quam rem aduorſo animo auſcultes.

C. Nugæ iſta hæc ſunt: non iucundum eſt niſi amans facit ſtulte.

P. Pergin'? C. ò Pſeudole mi ſine ſim nihili. P. mitte me ſis. C. ſino.

P. Modo ego aberam. C. mane, mane iam ut uoles eſſe me, ita ero.

P. Nunc tu ſapis? B. it dies, ego mihi ceſſo. i præ puere.

C. Heus abijt, quin reuocas? P. quid properas? placidè. C. at priuſquam abeat,

Quod hoc malũ? tam placidus? puere hodie. P. nate heus, hodie

Nate. tibi ego dico, heus hodie nate, redi, & ad nos reſpice,

Tametſi occupatus: moramur. mane, ſunt qui colloqui te uolunt.

B. Quid hoc eſt? quis eſt, qui morã occupato moleſtã obtulit? P. qui

Soſpitalis fuit. B. mortuus eſt, qui fuit: qui eſt, uiuos eſt. (tibi

P. Nimis ſuperbe. B. nimis moleſtus. C. reprehende hominem, adſequere.

B. I puere. P. accedamus hâc obuiam. B. Iuppiter quiſquis es,

Perdat. P. te uolo. B. at uos ego ambos. uorte hâc te puere. P. non licet

Colloqui te? B. at mihi non lubet. C. ſin eſt tuam in rẽ quippiam?

B. Licétne obſecro uiuere, an non licet? P. uah mana. B. omitte me.

C. Ballio audi. B. ſurdus ſum profecto, inanilogus es. C. dedi

Dum fuit. B. non peto quod tu dediſti. C. dabo quando erit.

B. Ducito quando habebis. C. heu heu, q̃ ego malis perdidi modis

Quod tibi detuli, & quod dedi. B. mortuo uerba fabulare nunc.

Satis ſtultus es, REM ACTAM AGIS. P. noſce hunc ſaltem quis eſt. B. iamdiu

Scio qui fuit: nunc qui eſtis, ipſus ſciat: ambula tu modo.

P. Potin' ut ſemel modo Ballio hunc cum lucro reſpicias?

B. Reſpiciam iſtoc pretio: nam ſi ſacruficem ſummo Ioui,

Atque in manibus exta teneam ut porriciam, interea loci

Si lucri quid detur, potius rem diuinam deſeram.

P. Non poteſt pietati obſiſti huic, ut ut res ſunt cæteræ.

Deos quos maxume æquom eſt metuere, eos minimi facit.
B. Compellabo. ſalue multum ſerue Athenis peſſume.
P. Dij deæq; ament te, uel huius arbitratu, uel meo.
Vel ſi dignus alio pacto, neque ament, neq; faciant bene.
B. Quid agitur Callidôre? C. amatur, atq; egetur acriter.
B. Miſereat, ſi familiam alere poßim miſericordia.
P. Eia ſcimus nos quidem te, qualis ſis, ne prædices. (mihi.
Sed ſcin' quid nos uolumus? B. pol ego propemodum male ſit
P. Et id, et hoc quod te reuocamus, quæſo animũ aduorte. B. audio,
Atque in pauca, ut occupatus nunc ſum, confer quid uelis.
P. Hunc pudet quod tibi promiſit, quaq́; id promiſit die,
Quia tibi minas uiginti pro amica etiam non dedit.
B. NIMIO ID QVOD PVDET, facilius fertur, quàm illud, quod piget.
Non dediſſe, iſtum pudet: me quia non accepi, piget.
P. At dabit, parabit aliquid hos dies, manta modo.
Nam hic id metuit, ne illam uendas ob ſimultatem ſuam.
B. Fuit occaſio, ſi uellet, iampridem argentum ut daret.
C. Quid ſi non habui? B. iam haberes, inuenires mutuum.
Ad Daniſtam deuenires, adderes fœnuſculum:
Surriperes patri. P. ſurriperet hic patri audaciſſume?
Non periculum eſt, ne quid recte monſtres. B. non lenonium eſt?
C. Egon' patri ſurripere poßim quicquam cauto ſeni?
Atque adeò ſi facere poſſem, pietas prohibet. B. audio.
Pietatem ergo iſtam amplexator noctu pro Phœnicio.
Sed quom pietatem amori uideo tuo præuortere,
Omnes tibi patres ſunt, nullus eſt tibi quem roges mutuum
Argentum. C. quin nomen quoque interijt iam mutuum.
B. Heus tu, poſtquam hercle iſti à menſa ſurgunt ſaturi, poti,
Alienum reddunt nato nemini. QVI SVVM REPETVNT
Ab alienis, cautiores ſunt ne credant alteri.
C. Nimis ſum miſer, nummum nuſquam reperire argenti queo:
Ita miſer & amore pereo & inopia argentaria.
B. EME DIE CAECA hercle oliuum, id uendito oculata die.

Iam hercle uel ducentæ fieri poſſunt præſentes minæ.
P. Perij an non? tum lex me perdit quina uicenaria.
Metuunt credere omnes. B. eadem eſt mihi lex, metuo credere.
P. Credere autem ehò an pœnitet te, quando hic fuerit uſui?
B. Non eſt iuſtus quiſquam amator, niſi qui perpetuat data,
Datq; uſque: quando nihil ſit, ſimul amare deſinat.
C. Nihilne te mei miſeret? B. inanis accedas?
Dicta non ſonant, atque ego te uiuom ſaluomq; uellem. P. ehò an
Mortuus iam eſt? B. illico uixit amator, ubi lenoni placet:
Semper tu ad me cum argentata accedito querimonia.
Nam iſtuc quod nunc clamitare, non eſſe argentum tibi,
Apud nouercã querere. P. ehò an nunquam huius nupſiſti patri?
B. Di melius faciant. P. fac hoc, quod te rogamus Ballio
Mea fide, ſi iſti formidas credere: ego hoc triduo
Aut terra aut mari alicunde euoluam id argentum tibi.
B. Tibi ego credam? P. cur non? B. quia pol qua opera credam tibi,
Vna opera ALLIGEM CANEM fugitiuam agninis lactibus.
C. Siccine mihi abs te bene merenti male refertur gratia?
B. Quid nunc uis? C. ut opperiare hos ſex dies ſaltem modo,
Ne illam uendas, neu perdas me hominem amantem. B. bono animo es,
Vel ſex operibor menſeis. C. euge homo lepidiſſume.
B. Imò uin' etiam te faciam ex læto lætamem magis?
C. Quid iam? B. quia enim non uenalem ego habeo Phœnicium.
C. Non habes? B. non hercle uerò. C. Pſeudole accerſi hoſtias,
Victimas, lanios, ut ego nunc huic ſacruficem ſummo Ioui.
Nam hic mihi nunc eſt multo potior Iuppiter, quàm Iuppiter.
B. Nolo uictimas: agninis me extis placari uolo.
C. Propera, quid ſtas? accerſe agnos: audin' quid ait Iuppiter?
P. Iam hic ero: uerum extra portam Metiam currendũ'ſt prius.
C. Quid eò? P. lanios inde accerſam duo cum tintinnabulis,
Eadem duo greges uirgarum inde ulmearum adegero,
Vt hodie ad litationem huic ſuppetat ſatis Ioui.
In malam crucem iſtic ibit Iuppiter lenonius.

B. Ex tua re non eſt ut ego emoriar. P. quî dum? B. ego dicam tibi.
Quia ædepol dum ego uiuam, nunquam eris frugi bonæ.
Si ego emortuus ſim, Athenis te ſit nemo nequior.
C. Dic mihi obſecro: uerum hercle ſerio hoc quod te rogo, eſt.
Non habes uænalem amicam tu meam Phœnicium?
B. Non ædepol habeo profectò: nam eam pridem uendidi.
C. Quo modo? B. ſine ornamentis, cum inteſtinis omnibus.
C. Meam amicam tu uendidiſti? B. ualde, uiginti minis.
C. Viginti minis? B. utrum uis, uel quater quinis minis:
Militi quoidam Macedonico: & iam quindecim habeo mnas.
C. Quid ego ex te audio? B. amicam tuam eſſe factam argenteam.
C. Cur id auſus facere? B. libuit, mea fuit. C. ehò Pſeudole,
I, gladiũ affer. P. quid opus gladio? C. qui hũc occîdam, atq; me.
P. Quin tute occides potius: nam fames hunc iam occiderit.
C. Quid ais, quantum terra tegit hominum periuriſsime?
Iuraſtin' te illam nulli uenditurum, niſi mihi?
B. Fateor. C. nempe conceptis uerbis. B. etiam conſultis quoque.
C. Periurauiſti ſceleſte. B. at argentum intus condidi
Ego ſceleſtus: nunc argentum promere poſſum domo.
Tu qui ſis iſtoc genere gnatus, nummum non habes.
C. Pſeudole adſiſte altrinſecus, atq; onera hunc maledictis. P. licet:
Nunquam ad prætorem æquè curſim curram. licet utar manu?
C. Ingere mala multa. P. iam ego te differam dictis meis
Impudice. B. ita eſt. P. ſceleſte. B. dicis uera. P. uerbero.
B. Quippini? C. buſtirape. B. certe. C. furcifer. B. factum optume.
C. Socifraude. B. ſunt mea hæc iſta. P. parricida. B. perge tu.
P. Sacrilege. B. fateor. C. periure. B. uetera uaticinamini.
C. Legirupa. B. ualide. P. pernicies adoleſcentum. B. acerrume.
C. Fur. B. babæ. P. fugitiue. B. bombax. C. fraus populi. B. planiſſume.
P. Fraudulente. C. impure leno. P. cœnum. B. cantores probos.
C. Verberauiſti patrem atque matrem. B. atque occidi quoque.
Potius quàm cibum perhiberem: num peccaui quippiam?
C. IN PERTVSVM ingerimus dicta dolium, operam ludimus.

Nunquid

B. Nunquid aliud etiam uoltis dicere? C. ecquid te pudet?
B. Te amatorem inuentum eſſe inanem quaſi caſſam nucem.
Sed quanquam multa mala in me dixiſtis modo,
Niſi mihi attulerit miles quinque, quas debet minas,
Sicut hæc eſt præſtituta ſummæ argentariæ dies:
Si is non aderit, opinor poſſe facere officium meum.
C. Quid id eſt? B. ſi tu argentum attuleris, cũ illo perdidero fidem.
Hoc meum eſt officium, ego operæ ſi ſit plus, tecum loquar.
Sed ſine argento, fruſtra eſt quòd tui me miſereri poſtulas.
Hæc mea ſententia eſt, ut hinc porrò quid agas, conſulas.
C. Iámne abis? B. negotij ſum plenus. P. paulo poſt magis
Ille homo meus eſt, niſi omnes di me atque homines deſerunt.
Exoſſabo ego illum, ſi multer, itidem ut murænam coquos.
Sed nunc Callidôre operã mihi te uolo dare. C. ecquid imperas?
P. Hoc ego oppidum admœnire, ut hodie capiatur, uolo.
Ad eam rem uſu'ſt hominem aſtutum, doctum, ſcitũ, et callidum,
Qui imperata hæc facta reddat, non qui uigilans dormiat.
C. Cedò mihi, quid es facturus? P. tempori ego faxo ſcies:
Nolo bis iterare, ſat ſic longæ fiunt fabulæ.
C. Optumum atq; æquiſſumũ oras? P. propera, adduc hominẽ cito:
PAVCI EX MVLTIS AMICI ſunt homini, qui certi ſient.
C. Ego ſcio iſtuc. P. ergo utrinque tibi nunc delectum para:
Ex multis exquire illis unum, qui certus ſiet.
C. Iam hic faxo aderit. P. potin' ut abeas? tibi moram dictis creas.

PSEVDOLVS.

POſtquam illic hinc abijt, tu aſtas ſolus Pſeudole:
Quid nunc acturus, poſtquam herili filio
Largitus dictis dapſilis? ubi ſunt ea?
Quoi neque parata gutta certi conſilij,
Neque adeò argenti: neque nunc quid faciam ſcio:
Neque exordiri primùm, unde occipias, habeas,
Neque ad detexundam telam certos terminos.
Sed quaſi poëta, fabulas quom cœpit, ſibi
Quærit quod nuſquam eſt gentium, reperit tamen:

Facit illud uериſimile quod mendacium eſt:
Nunc ego poëta fiam. uiginti minæ
Quæ nuſquam nunc ſunt gentium, inueniam tamen.
Atque ego huic iampridem me daturum dixeram:
at uolui INIICERE TRAGVLAM in noſtrum ſenem.
Verùm is neſcio quo pacto præſenſit prius.
Sed comprimenda eſt mihi uox atque oratio.
Herum eccum uideo iſtuc Simonem unà ſimul
Cum ſuo uicino Calliphone incedere.
Ex hoc ſepulchro uetere uiginti minas
Effodiam ego hodie, quas dem herili filio.
Nunc huc concedam, ut horum ſermonem legam.

SIMO, CALLIPHO, ſenes. PSEVDOLVS.

S. SI de damnoſis natis, aut de amatoribus
Dictator fiat nunc Athenis Atticis,
Nemo antecedat filio credo meo:
Ita nunc per urbem ſolus ſermo eſt omnibus,
Eum uelle amicam liberare, & quærere
Argentum ad eam rem. hoc alij mihi renuntiant:
Atque id iampridem ſenſi ego, & ſubolet mihi.
P. Occiſa eſt hæc res, hæret hoc negotium.
Quom commeatum uolui argentarium proficiſci,
Ibi nunc oppidò oppoſita obſtacula.
Præſenſit: nihil eſt prædæ prædatoribus.
C. Homines qui geſtant, quiq; auſcultant crimina,
Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant.
Geſtores linguis, auditores auribus.
Nam iſta quæ tibi renuntiantur, filium
Te uelle amantem argento circunducere,
Forſitan ea tibi dicta ſunt mendacia.
Sed ea ſi uera ſunt, ut nunc eſt maxume,
Quid mirum fecit, quid nouom adoleſcens homo
Si amat? ſi amicam liberat? P. lepidum ſenem.
S. Vetus nolo faciat. C. at enim nequicquam uis,

Vel

Vel tu ne faceres tale in adoleſcentia.
PROBVM PATREM ESSE oportet, qui filium ſuum
Eſſe probiorem, quàm ipſus fuerit, poſtulet.
Nam tu quod damni, & quod feciſti flagitij,
Populo uiritim potuit diſpartirier.
Id ne tu miraris ſi patriſſat filius?
P. ὦ Ζεῦ quàm uerè pauci eſtis homines commodi. O, Iupiter
Hem illuc eſt patrem eſſe, ut æquior ſis filio.
S. Sed quis hic loquitur? meus hic eſt quidem ſeruos Pſeudolus:
Hic mihi corrumpit filium, ſcelerum caput,
Hic dux, hic ille eſt pædagôgus: hunc ego
Cupio excruciari. C. IAM ISTAEC inſipientia'ſt,
Iram in promptu gerere. nam quanto ſatius
Adire blandis uerbis, atque exquirere
Sint illa, néene ſint, quæ tibi renuntiant?
BONVS ANIMVS IN MALA RE dimidium eſt mali.
S. Tibi auſcultabo igitur. P. itur ad te Pſeudole,
Orationem tibi para aduorſum ſenem.
Herum ſaluto primum ut æquom eſt: poſtea
Si quid ſuperſit, uicinos impartio.
S. Salue, quid agitur? P. ſtatur hic ad hunc modum.
S. Statum uide hominis Callipho, quaſi baſilicum.
C. Bene, confidenterq́; te aſtitiſſe intellego.
P. DECET EQVIDEM innocens qui ſit, atque innoxius,
Seruom ſuperbum eſſe apud herum potiſſumum.
C. Sunt quæ te uolumus percontari: quæ quaſi
PER NEBVLAM noſmet ſcimus, atque audiuimus.
S. Conficies iam te hic uerbis, ut tu cenſeas
Non Pſeudolum, ſed Socratem tecum loqui.
P. Ita eſt, iampridem tu me ſpernis, ſentio.
Paruam eſſe apud te mihi fidem, ipſe intellego.
Cupis me eſſe nequam: tamen ero frugi bonæ.
S. Fac ſis iam uacuas Pſeudole ædeis aurium,
Mea ut migrare dicta poſſint quò uolo.

Age,

P. Age, loquere quid uis, tametſi tibi ſuccenſco.
S. Mihin' domino ſeruos tu ſuccenſes? P. iam tibi
Mirum id uidetur? S. hercle, quin ut tu prædicas
Cauendu'ſt mihi abs te irato: atque alio tu modo
Me uerberare, atque ego te ſoleo, cogitas.
C. Quid cenſes? ædepol merito eſſe iratum arbitror,
Quom apud te ſtet parum fides. S. iam ſic ſino
Iratus ſit, ego ne quid noceat, cauero.
Sed quid ais? quid hoc, quod te rogo? P. ſi quid uis, roga.
Quod ſcibo, Delphis tibi reſponſum dicito.
S. Aduorte ergo animum, & fac ſis promiſſi memor.
Quid ais? ecquam ſcis filium tibicinam
Meum amare? P. negare mea eſt. S. liberare quam uelit.

Decens eſt et hoc. Liberetur, ut & ipſe liberer.

P. πρέπον καὶ τοῦτο negari. S. ecquas uiginti mnas
Per ſycophantiam, atque per doctos dolos
Paritas ut à me auferas? P. ego abs te ut auferam?
S. Ita, quas meo gnato des, qui amicam liberet.
Fatere. ῥύσαιτο, ἵνα καὶ αὐτὸς ῥυσαίμην.
S. Dixin' Callipho dudum tibi?
C. Memini. S. cur hæc ubi tu reſciuiſti illico
Cælata me ſunt? cur non reſciui? P. eloquar.
Quia nolebam ex me morem prægigni malum,
Herum ut ego ſeruos criminarer apud herum.
S. Iuberes hunc præcipitem in piſtrinum trahi?
C. Nunquid peccatum eſt hic Simo? S. imò maxume.
P. Deſiſte, recte ego meam rem ſapio Callipho:
Peccata mea ſunt. animum aduorte nunc iam,
Quapropter expertem amoris nati te habuerim.
Piſtrinum incundum ſcibam, ſi id faxem, mihi.
S. Non à me ſcibas piſtrinum incundum tibi
Quom ea muſſitabas? P. ſcibam. S. cur non dictum eſt mihi?
P. Quia aliud malum aderat, iſtuc aberat longius.
Illud erat præſens, huic erant dieculæ.
S. Quid nunc agetis? nam hinc quidem à me non poteſt

Argentum auferri, qui præſertim ſenſerim:
Ne quiſquam credat nummum, iam edicam omnibus.
P. Nunquam ædepol quoiquam ſupplicabo: dum quidem
Tu uiues, tu mihi hercle argentum, tu dabis,
Abs te equidem ſumam. S. tu à me ſumes? P. ſtrenue.
S. Excludito mihi hercle oculum, ſi dedero. P. ſi dabis?
Iam dico, ut à me caueas. C. certe ædepol ſcio,
Si abſtuleris, mirum & magnum feceris facinus.
P. Faciam. S. non abſtuleris. P. uirgis cædito.
Sed quid ſi abſtulero? S. do Iouem teſtem tibi,
Te ætatem impune habiturum. P. facito ut memineris.
S. Egon' ut cauere nequeam, quoi prædicitur?
P. Prædico ut caueas: dico inquam ut caueas, caue.
Hem iſtis mihi tu hodie manibus argentum dabis.
C. Aedepol mortalem graphicum, ſi ſeruat fidem.
P. Seruitum tibi me adducito, ni fecero.
S. Bene, atque amice dicis: nam nunc iam meus es.
P. Vin' etiam dicam, quod uos magis miremini?
C. Studeo hercle audire: nam te auſcultabo lubens.
S. Agedum: nam ſatis lubenter te auſculto loqui.
P. Priuſquam iſtam pugnam pugnabo, ego etiam prius
Dabo aliam pugnam claram & commemorabilem.
S. Quam pugnam? P. hem ab hoc lenone uicino tuo
Per ſycophantiam, atque per doctos dolos
Tibicinam illam, tuus quam gnatus deperit,
Eam circunducam lepidule. S. mirum quidem eſt.
P. Effectum hoc hodie reddam utrunque ad ueſperum.
S. Si quidem iſtæc opera, ut prædicas, perfeceris:
Virtutem regis Agathocli anteceſſeris.
Sed ſi non faxis, numquid cauſſa eſt, illico
Quin te in piſtrinum condam? P. non unum quidem
Diem modo, uerùm in omneis hercle quantum poteſt.
Sed here, ſi itidem ego, quod iam dixi, effecero:
Dabin' mihi argentum quod dem lenoni illico

Tua uoluntate? C. ius bonum orat Pſeudolus.
Dabo, inque. S. at enim ſcin' quid mihi in mentem uenit?
Quid ſi hiſce inter ſeſe conſenſerunt Callipho,
Aut de compacto faciunt conſutis dolis,
Qui me argento circumuortant? P. quis me audacior,
Si iſtuc facinus audeam? imò ſic Simo, ſi ſumus
Conſpecti, ſeu conſilium unquam inimus de iſthac re,
Aut ſi de ea re unquam inter nos conuenimus,
Quaſi in libro cum ſcribuntur literæ calamo,
Stilis me totum uſque ulmeis conſcribito.
S. Indice ludos nunc iam, quando lubet.
P. Da in hunc diem operam Callipho, quæſo, mihi,
Ne quod te ad aliud occupes negotium.
C. Quin rus hodie ut irem, iam herè conſtitueram.
P. At nunc diſturba quas ſtatuiſti machinas.
C. Nunc non abire certum eſt iſtac gratia:
Lubido eſt ludos tuos ſpectare Pſeudole.
Et ſi hunc uidebo non dare argentum tibi,
Quod dixti, potius, quàm id non fiat, ego dabo:
Non demutabo. P. nanque ædepol ſi non dabis,
Clamore magno, & multum flagitabere.
Agite amouemini hinc uos intrò nunc iam,
Ac meis uiciſſim date locum fallacijs.
S. Fiat, geratur mos tibi. P. ſed te uolo
Domi uſque adeſſe. C. quin tibi hanc operam dico.
S. At ego ad forum ibo: iam hic adero. P. actûtum redi.
Suſpicio mihi nunc eſt uos ſuſpicarier,
Me hæc iccirco tanta facinora promittere,
Quî uos oblectem, hanc fabulam dum tranſigam,
Neque ſim facturus, quod facturum dixeram.
Non demutabo: atque etiam certum quod ſciam
Quo ſim facturus pacto, nihil etiam ſcio,
Niſi quia futurum eſt. nam qui in ſcenam prouenit
Nouo modo, aliquid nouom inuentum afferre addecet:

Si id

Si id facere nequeat, det locum illi, qui queat.
Concedere aliquantiſper hinc mihi intro lubet,
Dum concenturio in corde ſycophantias.
Tibicen uos interea hic delectauerit.

ACTVS SECVNDVS.

PSEVDOLVS.

PRoh Iuppiter, ut mihi quicquid ago, lepide omnia, proſpe- (reque
Veniunt: neque quicquam eſt, quod dubitem, neq; quod timeam aggredi:
Ita meo conditum nunc eſt in pectore conſilium.
NAM EA ſtultitia eſt, facinus magnum timido cordi credere.
Nam omnes res perinde ſunt, ut agas, ut eas magnifacias.
Nam ego in meo pectore prius ita paraui copias
Duplicis, triplicis dolos, perfidias, ut ubique cum hoſtibus
Congrediar, malorum meûm fretus uirtute: ne mei
Dicam induſtria, & malitia fraudulenti: ut facile uincam,
vt facile ſpoliem meos perduellis perfidijs meis.
Nunc inimicum ego hunc communem meum atque noſtrorum (omnium
Ballionem exbaliſtabo lepide: date operam modo.
Hoc ego oppidum admœnire, ut hoc die capiatur, uolo:
Atque ad hoc meas legiones adducam. ſi ego hoc
Expugno, facilem hanc rem meis ciuibus faciam.
Poſt ad oppidum hoc uetus continuo mecum exercitum
Protinus obducam. inde me & ſimul participes omnes meos
Præda onerabo, atque opplebo ſpolijs. tum metum & fugam
Perduellibus meis inijciam: eſſe me ut ſciant natum
Quo ſum genere gnatus. magna me facinora efficere decet,
Quæ poſt mihi clara, & diu cluant. ſed hunc quem uideo, quis eſt?
Quis hic eſt qui oculis obuiam ignorabilis obijcitur? lubet
Scire quid hic uelit cum machæra, & hic quam rem agat. hinc dabo inſidias.

HARPAX, cacula. PSEVDOLVS.

H. HI loci ſunt, atque hæ regiones, quæ mihi ab hero meo
Demonſtratæ, ut ego oculis rationem capio, quam mihi

Ita di-

C. Fortaſſe hæc tu nunc mihi non credis, quæ loquor.
C. Moleſtus ne ſis nimium, iam tu mihi non places.
Hem illic ego habito: intrò abi ſis, & cœnam coque
Propere. C. quin is accubitum, & conuiuas cedò:
Corrumpitur iam cœna, hem ſubolet ſis uide.
B. Iam hic quoque ſceleſtus eſt coquos, ut hinc coniịcio.
Profectò quid nunc primum caueam neſcio:
Ita in ædibus ſunt fures, prædo in proxumo eſt.
Iam hic uicinus apud forum paulò prius
Pater huius Callidôri opere fecit maxumo,
Vt mihi cauerem à Pſeudolo ſeruo ſuo,
Neu fidem ei haberem: nam eum circumire in hunc diem,
Vt me, ſi poſſet, muliere interuorteret:
Eum promiſiſſe firmiter dixit ſibi,
Seſe abducturum à me dolis Phœnicium.
Nunc ibo intrò, atque edicam familiaribus,
Profectò ne quis quicquam credat Pſeudolo.

ACTVS QVARTVS.

PSEVDOLVS, *ſeruos.* SIMIA, *ſycophanta.*

P. SI unquam quenquam di immortales uoluere eſſe auxilio,
Adiutum, tum me & Callidôrum ſeruatum eſſe uolunt:
Et lenonem extinctum, quom mihi adiutorem genuere te
Tam doctum hominē atq; aſtutum. ſed ubi illic eſt? ſumne ego
Homo inſipiens, qui nunc hæc mecum egomet loquar ſolus?
Dedit uerba mihi hercle, ut opinor. uæ mihi, malus cum malo.
Stulte caui: tum pol ego interịj, homo ſi ille abịjt:
Neque hoc opus, quod uolui, ego hodie efficiam. ſed uideo
Eccum uerberem ſtatuam: at ut magnifice infert ſeſe?
Hem te hercle circumſpectabam: nimis metuebam male,
Ne abịſſes. S. fuit meum officium fateor, ut id facerem.
P. Vbi reſtiteras? S. ubi mihi libitum eſt. P. iſtuc ego ſat ſcio.
S. Cur ergo quod ſcis, me rogas? P. at hoc uolo monere te.
S. Monendus ne me moneat. P. nimis tandem ego abs te contēnor.
S. Quid ni ego te contemnam, ſtratioticus homo qui cluear?

P. Iam uolo quod cœptu'ſt agi. S. nunquid agere aliud me uides?
P. Ambula ergo cito. S. imò otioſe uolo. P. hæc ea eſt occaſio:
Dũ ille dormit, uolo ut prior tu occupes adire. S. quid properas?
Placide: ne time: ita ille faxit Iuppiter ut ille palàm ibi
Demiat quiſquis ille eſt, qui adeſt à milite, ut nunquam ædepol
Erit ille potior Harpax, q̃ ego: habe modo animum bonum.
Pulchre hanc ego explicatam tibi rem dabo: ſic ego illum dolis
Atque mendacijs dabo in timorem militarem aduenam,
Ipſe ſeſe ut neget eum eſſe, qui ſiet, meq́; ut eſſe autumet,
Qui ipſus eſt. P. quî poteſt? S. occidis me, cum iſtuc rogitas. P. ô hominem
Lepidum, te quoque etiam dolis, atque etiam mendacijs
Iuppiter mihi ſeruet. S. imò mihi. ſed uide, an ornatus hic
Me ſatis condecet? P. optume habet. S. eſto. P. tantum tibi bonã
Di immortales duint, quantum tibi optes. nam ſi ego
Exoptem quantum dignus, tantum dent: minus nihilo eſt.
Neque unquam ego hoc homine quenquam uidi magis malum,
Et maleficum. S. tun' id mihi? P. taceo. ſed ego quæ tibi
Dona dabo, & faciam, ſi quidem hanc rem accuraſsis ſobrie?
S. Potin' ut taceas? MEMOREM IMMEMOREM facit, qui monet quod memor
Meminit. teneo, omnia in pectore condita ſunt: meditati
Sunt doli docte. P. probus hic eſt homo. S. neque hic eſt probus, neque ego.
P. At tu uide ne titubes. S. potin' ut taceas? P. ita me dij ament.
S. Ita non faciem, mera iam mendacia fundis. P. ut ego ob tuam
Simia perfidiam te amo, te metuo, te magnifacio?
S. Ego iſtuc alijs dare condidici, mihi obtrudere non potes
Palpũ. P. ut ego te hodie accipiã lepide, ubi effeceris hoc opus.
S. Ha ha he. P. lepido uictu, unguentis, uino, & inter pocula pulpamentis?
Ibidem aderit mulier lepida, ſauia ſuper ſauia
Quæ det. S. lepide accipis me. P. imò ſi efficis, tum faxo magis
Dicas. S. niſi effecero, cruciatu me accipito carnufex.

Sed

Sed propera mihi monſtrare ubi ſit lenonis ædium (le'ſt

Oſtiū. P. tertium hoc eſt. S. tace, ædes hiſcūt. P. credo animo ma

Aedibus. S. quid iam? P. quia ædepol ipſum lenonem euomunt.

S. Illiccine eſt? P. illic eſt. S. mala merx eſt. P. illuc ſis uide

Non prorſus, uerùm ex tranſuerſo cedit, quaſi cancer ſolet.

BALLIO, PSEVDOLVS, SYCOPHANTA.

B. Minus hunc malum hominem eſſe opinor, quàm eſſe cenſebam coquom. (cantharū.

Nam nihil etiamdum harpagauit præter cyathum, &

P. Heus tu, nunc occaſio eſt, & tempus. S. tecum ſentio.

P. Ingredere in uiam dolis, & ego hic in inſidijs ero.

S. Habui numerum ſedulo, hoc eſt ſextum à porta proximum

Angiportum: in id angiportum me deuorti iuſſerat.

Quotas ædeis dixerit, id ego admodum incerto ſcio.

B. Quis hic homo chlamydatu'ſt, aut unde eſt, aut quem quæritat?

Peregrina facies uidetur hominis, atque ignobilis.

S. Sed eccum certo qui faciet mihi, quod quæro, certius.

B. Ad me adit rectà: unde ego hominem hunc eſſe dicam gentium?

S. Heus tu qui cum hirquina ſtas barba, reſponde quod rogo.

B. Ehò an non prius ſalutas? S. nulla eſt ſalus mihi dataria.

B. Nam pol hinc tantundē accipies. P. iā inde à principio probus.

S. Ecquem in angiporto hoc hominem tu nouiſti, te rogo?

B. Egomet me. S. PAVCI ISTVC FACIVNT homines, quod tu prædicas.

Nam in foro uix decumus quiſque eſt, qui ipſus ſeſe nouerit.

P. Saluos ſum, iam philoſophatur. S. hominē ego hic quæro malū,

Legirupam, impium, periurum, atq; improbum. B. me quæritat.

Nam illa ſunt cognomenta mihi, nomen ſi memoret modo.

Quod eſt ei homini nomen? S. leno Ballio. B. ſum ego,

Ipſe ego ſum adoleſcens, quem tu quæritas. S. tune es Ballio?

B. Ego enim uerò is ſum. S. ut ueſtitus eſt perfoſſor parietum?

B. Credo in tenebris, conſpicatus ſi ſis me, abſtineas manum.

S. Herus me tibi ſalutem multam uoluit dicere.

Hanc epiſtolam accipe à me, hanc me tibi iuſſit dare.

B. Quis is homo'ſt qui iuſsit? P. perij, nunc homo in medio luto eſt,
Nomen neſcit, hæret hæc res. B. quē hanc miſiſſe ad me autumas?
S. Noſce imaginem: tute eius nomen memorato mihi,
Vt ſciam Ballionem te eſſe ipſum. B. cedò mihi epiſtolam.
S. Accipe, & cognoſce ſignum. B. eho Polymachæroplacides,
Purus putus eſt ipſus: noui. heus Polymachæroplacides.
S. Placides eſt, ſcio iam tibi me rectè dediſſe epiſtolam,
Poſtquam Polymachæroplacidæ elocutus nomen es.
B. Sed quid agitis? S. quod homo ædepol fortis, ac bellator probus.
Sed propera hanc pellegere quæſo epiſtolam: ita negotium eſt:
Atque accipere argentum actutum, mulieremq́; emittere.
Nam neceſſe'ſt hodie Sycioni me eſſe, aut cras mortem exequi:
Ita herus meus eſt imperioſus. B. noui, notis prædicas.
S. Propera pellegere epiſtolam ergo. B. id ago, ſi taceas modo. Mi
les lenoni Ballioni
Conſcriptam mittit Polymachæroplacides imaginem
Obſignatam, quæ inter nos duo olim conuēnit, & ſymbolum.
S. Symbolum eſt in epiſtola. B. uideo, & cognoſco ſymbolum.
Sed in epiſtola nullam ſalutem mittere ſcriptam ſolet?
S. Ita militaris diſciplina eſt Ballio:
Manu ſalutem mittunt beneuolentibus:
Eadem malam rem mittunt maleuolentibus.
Sed ut occœpiſti, perge opera experirier:
Quid epiſtola iſta narret. B. auſculta modo.
Harpax calator meus eſt, ad te qui uenit.
Túne is es Harpax? S. ego ſum, atque ipſe Harpax quidem.
B. Qui epiſtolam iſtam fert, ab eo argentum accipies:
Cum eo ſimul mulierem abs te mitti uolo.
Salutem ſcriptam dignum eſt dignis mittere:
Te ſi arbitrarem dignum, miſiſſem tibi.
S. Quid nunc? B. argentum des, abducas mulierem.
S. Vter remoratur? B. quin ſequere ergo intrò. S. ſequor.

PSEVDOLVS.

PEiorem ego hominem, magisq́; uerſute malum

Num-

Nunquam ædepol quenquam uidi, quàm hic eſt Simia:
Nimiſq; ego illum hominem metuo & formido male,
Ne malus item erga me ſit, ut erga illum fuit:
Ne in re ſecunda nunc mihi obuortat cornua,
Si occaſionem ceperit: nam cautio eſt,
Qui ſit malus: atque ædepol equidem nolo.
Nam illi bene uolo. nunc in metu ſum maxumo
Triplici modo: primum omnium iam hunc comparem
Metuo meum, ne deſerat me, atque ad hoſteis tranſeat:
Metuo autem ne redeat herus etiam dum à foro:
Ne capta præda capti prædones fiam.
Quom hoc metuo, metuo ne illic huc Harpax ueniat,
Prius hinc quàm hic Harpax abierit cum muliere.
Perij hercle nimium, tarde egrediuntur foras.
Cor colligatis uaſis expectat meum,
Si non educat mulierem ſecum ſimul,
Vt exulatum ex pectore fugiat meo.
Victor ſum, uici cautos cuſtodes meos.

SYCOPHANTA, PSEVDOLVS.

S. *NE plora, neſcis tu ut res ſit Phœnicium:*
Verùm haud multo pòſt faxo ſcibis accubans.
Non ego te ad illum duco dentatum uirum
Macedonienſem, qui lenonem flentem facit.
Quoiam te uis eſſe maxume, ad eum duco te:
Callidorum haud multo pòſt faxo amplexabere.
P. *Quid tu intus quæſo deſediſti? quàm diu*
Mihi cor retunſu'ſt oppugnando pectore?
S. *Occaſionem reperiſti uerbero,*
Vbi percontaris me inſidijs hoſtilibus?
Quin hinc metimur gradibus militarijs?
P. *Atque ædepol, quanquam nequam homo es, rectè mones.*

BALLIO, leno.

B. *BAbæ nunc demum mihi animus in tuto eſt loco,*
Poſtquàm iſte hinc abijt, atque abduxit mulierem.

Lubet nunc uenire Pſeudolum ſcelerum caput,
Et abducere à me mulierem fallacijs.
Conceptis hercle uerbis,ſatis certo ſcio.
Ego peierare mauellem me milies,
Quàm mihi illum uerba per deridiculum dare.
Nunc deridebo hercle hominem,ſi conuenero:
Verùm in piſtrinum credo,ut conuenit,fore.
Nunc ego Simonem mihi obuiam uenire uelim,
Vt mea lætitia lætus promiſcua ſiet.

SIMO,ſenex. BALLIO,leno.

Viſo quid rerum meus Vlyſſes egerit,
Iámne habeat ſignum ex arce Ballionia.
B. O fortunate cedò fortunatam manum
Simo. S. quid eſt? B. iam. S. quid iam? B. nihil eſt quod metuas.
S. Quid eſt? uenitne homo ad te? B. non. S. quid igitur boni eſt?
B. Minæ uiginti ſanæ,ac ſaluæ ſunt tibi
Hodie,quas abs te inde eſt inſtipulatus Pſeudolus.
S. Velim quidem hercle. B. roga me uiginti minas,
Si illic hodie illa ſit potitus muliere,
Siue eam tuo gnato hodie,ut promiſit,dabit.
Rogato obſecro,hercle geſtio promittere:
Omnibus modis tibi eſſe rem ut ſaluam ſcias:
Atque etiam habeto mulierem dono tibi.
S. Nullum periculum eſt,quod ſciam,ſtipularier.
Vt concepiſti uerba,uiginti minas dabin'?
B. Dabuntur. S. hoc quidem igitur actu'ſt haud male:
Sed conueniſtin' hominem tu? B. imò ambos ſimul.
S. Quid ait? quid narrat? quæſo quid dicit tibi?
B. Nugas theatri,uerba quæ in comœdijs
Solent lenoni dici,quæ pueri ſciunt:
Malum,& ſceleſtum,& periurum aiebat eſſe me.
S. Pol haud mentitus eſt. B. ego haud iratus fui:
Nam quanti refert ei nec rectè dicere,
Qui rectè nihil faciat,quiq; inficias non eat?

Quid

S. Quid eſt, quî non metuas ab eo? id audire expecto.
B. Quia nunquam à me abducet mulierem iam, nec poſt.
Meminiſtin' obſecro tibi me dudum dicere
Eam uænisse militi Macedonico?
S. Memini. B. hem illius ſeruos huc ad me argentum attulit,
Et obſignatum ſymbolum. S. quid poſtea?
B. Qui inter me atque illum militem conuenerat:
Is ſecum abduxit mulierem, haud multo prius.
S. Bon'an' fide iſtuc dicis? B. unde ea ſit mihi?
S. Vide modo ne illic ſit contechnatus quippiam.
B. Epiſtola, atque imago me certum facit.
Quin illam quidem iam in Sycionem ex urbe abduxit modo.
S. Bene hercle factum. quid ego ceſſo Pſeudolum
Facere, ut det nomen ad molariam coloniam?
Sed quis hic homo eſt chlamydatus? B. non ædepol ſcio,
Niſi ut obſeruemus hic quò eat, aut quam rem gerat.

HARPAX, SIMO, BALLIO.

H. MALVS ET NEQVAM homo eſt, qui nihil imperium ſui heri ſeruos facit.
Nihili eſt autem, ſuum qui officiũ facere eſt immemor,
Niſi adeò monitus. nam qui liberos eſſe ilico
Se arbitramur, ex conſpectu heri ſui ſi ſe abdiderunt,
Luxuriantur, luſtrantur: cõmedunt: quod habent nomen diu
Ii ſeruitutis ferunt: nec boni ingenij quicquam in his ineſt,
Niſi ut improbis ſeſe artibus teneant: cum ijs mihi
Nec locus, nec ſermo cõuenit, ijs nunquam nobilis fui.
Ego, ut imperatum eſt, & ſi abeſt, hic adeſſe herum arbitror.
Nunc ego illum metuo, quom hic non adeſt: nec cum adſiet, metuam:
Ei rei operam dabo. nam in taberna uſque adhuc ſineret Syrus.
Quoi ſymbolum dedi: manſi, ut iuſſerat: leno ubi eſſet domi,
Me aiebat arceſſere. uerùm ubi is non uenit, nec uocat,
Venio huc ultro, ut ſciam quid rei ſiet, ne illic homo
Me ludificetur. neq; quicquam eſt melius, quàm ut hoc oſtium
Pultem,

Pultem, atq; aliquẽ cuocem hinc intus. leno argentum hoc uolo
A me accipiat, atque emittat mulierem mecum ſimul.

B. Heus tu? S. quid uis? B. hic homo meu'ſt. S. quî dum? B. quia præda hæc mea eſt.
Scortum quærit, habet argentum: iam admordere hunc mihi
Lubet. S. iamne illum comeſurus es? B. dum recens eſt,
Dum datur, dum calet, dum deuorari decet. nam boni uiri
Me pauperant: improbi alunt. augent rem meam mali:
Populi ſtrenui mihi improbiores ſunt. S. malum quod dij
Tibi dabunt, ut ſceleſtus? H. me nunc commoror cum has foreis
Non ferio, ut ſciam sitne Ballio domi. B. Venus mihi hæc
Bona dat, quom hos huc adijcit lucrifugas, damni ſui cupidos.
Qui ſe, ſuamq; ætatem bene curant, edunt, bibunt,
Scortantur, illi ſunt alio ingenio atque tu, qui neque
Tibi bene eſſe patere, & illis quibus eſt, inuides.

H. Heus ubi eſtis uos? B. hic quidem ad me rectà habet rectã uiam.

H. Heus ubi eſtis uos? B. adoleſcens, quid iſtic debetur tibi?

H. Ecquis hoc aperit? B. heus chlamydate, quid iſtic debetur tibi?

H. Aedium dominum lenonem Ballionem quærito.

B. Quiſquis es adoleſcens, operam fac compendi quærere.

H. Quid iam? B. quia tu ipſus coràm præſens præſentem uides.

H. Tun' is es? S. chlamydate caue ſis tibi * à diro infortunio, (* à curio)
Atq; in hunc intende digitũ: hic leno eſt. B. at hic eſt uir probus.
Sed tu non uir es flagitare ſæpe inclamare in foro
Cum libello nuſquam eſt, niſi quod leno hic ſubuenit tibi.

H. Quin tu mecum fabulare? B. fabulor. quid uis tibi?

H. Argentum accipias. B. iam ſi dudum des, porrexi manum.

H. Accipe, hic ſunt quinque argenti lectæ numeratæ minæ:
Hoc tibi herus me iuſſit ferre Polymachæroplacides
Quod deberet: atque ut mecum mitteres Phœnicium.

B. Tuus herus? H. ita dico. B. miles? H. ita loquor. B. Macedonius?

H. Admodum inquam. B. te ad me miſit Polymachæroplacides?

H. Vera memoras. B. hoc argentũ ut mihi dares? H. ſi tu quidem es

Leno

Tibi libellam argenti nunquam credam, dum tu ſtrenuas.
P. Res erit ſoluta. H. nunc iam potius ſic ſeruauero.
P. Væ tibi, tu inuentus, uel ô meam qui * forcilles fidem: *forcilles
Quaſi mihi nunc ſexcenta tanta ſoleam credier.
H. Poteſt, ut alij ita arbitremur, ego ut ne credam tibi.
P. Quaſi tu dicas me te uelle argento circumducere.
H. Imò uerò quaſi tu dicas, quaſiq; ego autem id ſuſpicer.
Sed quid eſt tibi nomen? P. ſeruos eſt huic lenoni Syrus:
Eum eſſe me dicam. Syrus ſum. H. Syrus? P. id nomen mihi eſt.
H. Verba multa facimus. herus ſi domi eſt tuus, quin prouocas:
Vt id agam, quo miſſus hic ſum? P. quid, quid eſt nomen tibi?
Si intus eſſet, euocarem. uerùm ſi dare uis mihi,
Magis erit ſolutum, quàm ipſi dederis. H. at enim ſcin' quid eſt?
Reddere hoc, non perdere herus me miſit. nunc certo ſcio,
Hoc febrim tibi eſſe, quia non licet huc inijcere ungulas.
Ego niſi ipſi Ballioni nummum credam nemini.
P. At illic nunc negotioſus eſt, res agitur apud iudicem.
H. Di bene uortant: at ego quando eum eſſe cenſebo domi,
Rediero: tu epiſtolam hanc à me accipe, atque illi dato.
Nam iſtic ſymbolum eſt inter herum meum, & tuũ de muliere.
P. Scio equidem, ut qui argentũ afferret, atq; expreſſam imaginem
Suam huc ad nos, cum eo aiebat uelle mitti mulierem:
Nam hic quoque exemplum reliquit eius. H. omnem rem tenes.
P. Quid ego ni teneam? H. dato ergo iſtum illi ſymbolum. P. licet.
Sed quid eſt tibi nomen? H. Harpax. P. apage te Harpax, haud places,
Huc quidem hercle haud ibis intrò, ne quid harpax feceris.
H. Hoſteis uiuos rapere ſoleo ex acie: hoc nomen mihi eſt.
P. Pol te multo magis opinor uaſa ænea ex ædibus.
H. Non ita eſt. ſed ſcin' quid te orem ſcire? P. ſciam, ſi dixeris.
H. Ego deuortor extra portam huc in tabernam tertiam,
Apud anum illam doliarem, claudam, craſſam, Chryſidem.
P. Quid uis? H. inde ut me arceſſas, herus tuus ubi uenerit.
P. Tuo arbitratu maxume. H. nam ut laſſus ueni de uia,

Me uolo curare. P. ſanè ſapis, & conſilium placet.
Sed uide ſis ne in quæſtione ſis, quando arceſſam te ibi.
H. Quin ubi prandero, dabo operam ſomno. P. ſanè cenſeo.
H. Nunc quid uis? P. dormitum ut abeas. H. abeo. P. atque audin' Harpage?
Iube ſis te operiri: beatus ſi conſudaueris.

PSEVDOLVS, ſeruos.

DI immortales, me conſeruauit illic homo aduentu ſuo,
Suo reduxit uiatico me uſque ex errore in uiam.
Nam ipſa mihi opportunitas non potuit opportunius
Aduenire, quàm hæc cauata eſt mihi opportune epiſtola.
Nam hæc illa ea cornucopiæ eſt, ubi ineſt quicquid uolo:
Hic doli, hic fallaciæ omnes ſunt, hic ſunt ſycophantiæ,
Hic argentum, hic amica amanti herili filio.
Atq; ego nunc me glorioſum faciam, & copi pectore.
Quo modo quidq; agerem, ut lenoni ſurripiam mulierculam,
Iam inſtituta, ornata cuncta in ordine habeo, ut uolueram.
Certe deformata habebam: ſed profecto hoc ſic erit.
CENTVM doctûm hominum conſilia hæc una deuincit dea
Fortuna: atque hoc uerum eſt, perinde ut quiſq; ea utitur,
Ita præcellet, atque exinde ſapere eum omnes dicimus.
BENE VBI QVID diſcimus conſilium accidiſſe, hominem cautum eum
Eſſe declaramus: ſtultum autem illum quoi uortit male.
STVLTI HAVD SCIMVS, fruſtra ut ſcimus, quom quod cupienter dari
Petimus nobis, quaſi quid in rem ſit poſsimus noſcere:
Certa amittimus, dum incerta petimus: atq; hoc euenit
In labore atque in dolore, ut mors obrepat interim.
Sed ſatis eſt philoſophatum, nimis diu & longum loquor.
Di immortales, orichalco contra non carum fuit
Meum mendacium hic modo quod ſubitò commentus fui,
Quia lenonis me eſſe dixi. nunc ego hac epiſtola
Treis deludã, herũ & lenonem, & qui hãc mihi dedit epiſtolã.

Euge

Euge pàr pari;aliud autem quod cupiebam contingit:
Venit eccum Callidôrus:ducit neſcio quem ſecum ſimul.

CALLIDORVS. CHARINVS,adoleſcens. PSEVDOLVS.

CA. Dulcia atq; amara apud te ſum elocutus omnia:
Scis amorem,ſcis laborem,ſcis egeſtatem meam.
CH. Cõmemini omnia:dic tu modo me q̃d uis facere,faciã.
CA. Cum hoc tibi alia ſum elocutus,ut ſcires,de ſymbolo.
CH. Omnia inquam:tu modo quæ me facere uis,fac ut ſciam.
CA. Pſeudolus ita mihi imperauit, ut aliquem hominem ſtrenuum
Beneuolentem adducerem ad ſe. CH. ſeruas imperium probe:
Nam & amicum & beneuolentem ducis. ſed iſtic Pſeudolus
Nouos mihi eſt. CA. nimium eſt mortalis graphicus mihi heu- ſupr
Is mihi hæc eſſe effecturum dixit,quæ dixi tibi. (retes tus
Magnifice hominem cõpellabo. CA. quoia nã uox ſonat? P. io, inuen
Io te tyranne,te rogo,qui imperitas Pſeudolo. tor.
.. Quæro quoi ter? P. trina,triplicia,tribus modis,tria gaudia,
Artibus tribus,ter demeritas,dein lætitias,de tribus
Fraude partas,per malitiam,& per dolum,& fallaciam,
In libello hoc obſignato ad te attuli pauxillulo.
, Illic homo eſt:uide ut paratragœdiat carnufex.
Confer gradum contrà.P.affero ad te ſalutem,brachium.
Dic utrum,ſpem ne,an matrem te reſalutem Pſeudole?
Imò utrunq;.CA.utrũq; ſalue.ſed quid actũ eſt?P. quid times?
Attuli hunc.P.quid attuliſti?CA.adduxi,uolui dicere.
Quid iſtic eſt?CA.Charinus.P.euge,iam Charinum uolo.
Quin tu quicquid opus eſt, mihi hic audacter imperas.
Bene ſit Charine,nolo tibi moleſtos eſſe nos.
Vos moleſtos mihi?moleſtum eſt id quidẽ. P.tum igitur mane.
Quid iſtuc eſt?P.modo epiſtolam hanc intercepi,& ſymbolum.
Symbolum?quem ſymbolum?P.qui à milite alienatu'ſt modo,
Eius ſeruos,qui hunc ferebat cum quinque argenti minis,
Tuam qui amicam hinc accerſebat,ei os ſubleui modo.
Quo modo? P. horum cauſſa hæc agitur ſpectatorum fabula:
Hi ſciunt,qui hic affuerunt:uobis poſt narrauero.

CA. Quid nunc agimus? P. liberam hodie tuã amicam amplexabere.
CA. Egone? P. tute. CA. ego ipſus inquã. P. ſi quidẽ hoc uiuet caput:
Si modo mihi hominẽ inuenietis propere. CA. qua facie? P. malũ,
Callidum, doctum: qui quando principium prehenderit,
Porrò uirtute ſua teneat, quid ſe facere oporteat:
Atque eum qui hic non uſitatus ſæpe ſit. CH. ſi ſeruos eſt,
Nunquid refert? P. imò multo mauolo, quàm liberum.
CH. Poſſe opinor me dare hominem tibi malum & doctum, modo
Qui à patre aduenit Chariſto: necdum exijt ex ædibus
Quoquam, neq; Athenas aduenit unquam ante heſternum diem.
P. Bene iubes. ſed quinque inuentis opus eſt argenti minis
Mutuis, quas hodie reddam: nam unam huius mihi debet pater.
CH. Ego dabo, ne quære aliunde. P. ô hominem opportunum mihi!
Etiam opu'ſt chlamyde, & machæra, & petaſo. CH. à me poſſum dare.
P. Di immortales, non Charinus mihi hic quidem eſt, ſed copia.
Sed iſtic ſeruos ex Chariſto hic, qui aduenit, quid ſapit?
CH. Vſq; à cunabulis. P. manuleatam tunicam habere hominẽ decet.
Ecquid habet is homo aceti in pectore? CH. atque acidiſſumi.
P. Quid ſi opus ſit, ut dulce promat indidẽ, ecqd habet? CH. rogas?
Murrhinam, paſſum, defrutum, mellinam, mel quoiuſmodi
Quin in corde inſtruere quondam cœpit œnopolium.
P. Euge pellepide Charine, me meo ludo iam beas.
Sed quod nomen eſſe dicam ego iſti ſeruo? CH. Simiæ.
P. Scitne in re aduorſa uorſari? CH. turbo non æque eſt ſcitus.
P. Ecquid argutus eſt? CH. malorum facinorum ſæpiſſume.
P. Quid quom manifeſto tenetur? CH. anguilla'ſt, elabitur.
P. Ecquid is homo ſcitus? CH. plebiſſitum non æque ſcitum eſt.
P. Probus homo eſt, ut prædicare te audio. CH. imò ſi ſcias,
Vbi te aſpexerit, narrabit ultrò quid eſſe uelis.
Sed quid es acturus? P. dicam: ubi hominem exornauero,
Subdititium fieri ego illum militis ſeruom uolo.
Symbolum hunc ferat lenoni cum quinque argenti minis,
Mulierem ab lenone abducat: hem tibi omnem fabulam:

Cæte-

Cæterum quo quicque pacto faciat, ipſi dixero.

CH. Quid nunc igitur ſtamus? P. hominem cum ornamentis omnibus
Exornatum abducite ad me, iam ad trapezitam Aeſchinum.
Sed properate. CH. prius illic erimus, quàm tu. P. ergo abite ocyus.
Quicquid incerti mihi in animo prius, aut ambiguum fuit,
Nunc liquet, nunc defecatum. ſi cor mihi nunc per uiam eſt,
Omnes ordines ſub ſignis ducam, legiones meas
Aui ſiniſtra, auſpicio liquido, atque ex ſententia:
Confidentia eſt inimicos meos me poſſe perdere.
Nunc ibo ad forum, atque onerabo meis præceptis Simiam,
Quid agat, nequid titubet, doćte ut hanc ferat fallaciam.
Iam hoc ipſum oppidum expugnatum faxo erit lenonium.

ACTVS TERTIVS.

PVER.

QVoi ſeruitutem di danunt lenoniam
Puero, atque eidem ſi addunt turpitudinem,
Næ illi, quantum ego nunc corde conſpicio meo,
Malam rem magnam, multasq́; ærumnas danunt.
Velut hæc mihi euenit ſeruitus, ubi ego omnibus
Paruis magnisq́; miſerijs præfulcior.
Neque ego amatorem mihi inuenire ullum queo,
Qui amet me, ut curet tandem nitidiuſcule.
Nunc huic lenoni eſt hodie natalis dies:
Interminatus eſt à minimo ad maxumum,
Si quis non hodie munus miſiſſet ſibi,
Eum cras cruciatu maxumo ſe præbitere.
Nunc neſcio hercle rebus quid faciam meis:
Neque ego illud poſſum, quod illi, qui poſſunt, ſolent.
Nunc niſi lenoni munus hodie miſero,
Cras mihi potandus fructus eſt fullonius.
Heu quàm ille eſt hercle, ego etiam nunc ſum paruolus.
Atque ædepol ut nunc male cum metuo miſer,
Si quiſpiam det, quoi manus grauior ſiet!

Quanquam illud aiunt magno cum gemitu fieri,
Comprimere dentes uideor poſſe aliquo modo.
Sed comprimenda eſt mihi uox, atque oratio.
Herus eccum recipit ſe domum, & ducit coquom.

BALLIO, leno. COQVVS, puer.

B. FOrum coquinum qui uocant, ſtulte uocant.
Nam non coquinum eſt, uerùm furinum eſt forum.
Nam ſi ego iuratus peiorem hominem quærerem
Coquom, non potui, quàm hunc quem duco, ducere,
Multiloquom, glorioſum, inſulſum, inutilem:
Quin ob eam rem Horcus recipere hunc ad ſe noluit,
Vt eſſet hic, qui mortuis cœnam coquat.
Nam hic ſolus illis coquere, quod placeat, poteſt.
C. Si me arbitrabare iſto pacto, ut prædicas,
Cur conducebas? B. inopia: alius non erat.
Sed cur ſedebas in foro, ſi eras coquos,
Tu ſolus præter alios? C. ego dico tibi,
Hominum auaritia factus ſum improbior coquos,
Non meopte ingenio. B. qua iſtuc ratione? C. eloquar:
Quia enim quom éxtemplo ueniunt conductum coquom,
Non illum quærunt, qui optumus & chariſsimu'ſt:
Illum conducunt potius qui uiliſſumu'ſt.
Hoc ego fui hodie ſolus obſeſſor fori.
Illi iſſent drachmis miſeri: me nemo poteſt
Minoris quiſquam nummo, ut ſurgam, ſubigere.
Non ego item cœnam condio, ut alij coqui,
Qui mihi condita prata in patinis proferunt,
Boues qui conuiuas faciunt, herbasq; aggerunt,
Eas herbas herbis alijs porrò condiunt,
Indunt coriandrum, fœniculum, allium, atrum holus:
Apponunt rumicem, braſsicam, betam, blitum:
Eo laſerpicij libram pondo diluunt.
Teritur ſinapis ſcelerata cum illis: qui terunt,
Priuſquam triuerunt, oculi ut extillent, facit.

Ei ho-

Ei homines cœnas ſibi coquont: quom condiunt,
Non condimentis condiunt, ſed ſtrygibus,
Viuis conuiuis inteſtina quæ exedunt.
Hòc hic quidem homines tam breuem uitam colunt,
Quom haſce herbas huiuſmodi in ſuum aluum congerunt,
Formidoloſas dictu, non eſu modo.
QVAS HERBAS pecudes non edunt, homines edunt.
Quid? tu diuinis condimentis utere,
Qui prorogare uitam poſsis hominibus,
Qui ea culpes condimenta? C. audacter dicito.
Nam uel ducenos annos poterunt uiuere,
Meas qui eſitabunt eſcas, quas ego condiero.
Nam ego cicilendrum quando in patina ſcindidi,
Aut ſi prolindrum, aut macidem, aut ſanè captidem,
Eæ ipſæ ſe patinæ feruefaciunt illico.
Hæc ad Neptuni pecudes condimenta ſunt.
Terreſtres pecudes cecimandro condio,
Aut paropſide, ac atharathrio. B. at te Iuppiter
Dijq́; omnes perdant cum condimentis tuis,
Cumq́; tuis iſtis omnibus mendacijs.
Sine ſis loqui me. B. loquere, atque in malam crucem.
Vbi omnes patinæ feruent, omneis aperio:
Is odos dimiſsis pedibus in cœlum uolat:
Eum in odorem cœnat Iuppiter quotidie.
Odor dimiſsis pedibus? C. peccaui inſciens.
Quid eſt? C. quia dimiſsis manibus uolui dicere.
Si nuſquam is coctum, quidnam cœnat Iuppiter?
It incœnatus cubitum. B. hinc in malam crucem:
Iſtaccine cauſſa tibi hodie nummum dabo?
Fateor equidem eſſe me coquom cariſsumum:
Verum pro pretio facio ut opera appareat.
Nunc quò conductus ueni? B. ad furandum quidem.
AN TV INVENIRE poſtulas quenquam coquom:
Niſi ſit miluinis aut aquilinis ungulis?

Leno Ballio. B. atque ut à me mulierem abduceres? H. ita.
Phœnicium eſſe dixit? H. recte meminiſti. B. mane,
Iam redeo ad te. H. at maturate propera. nam propero, uides
Iam dici multum eſſe? B. uideo. hunc aduocare etiam uolo.
Mane modo iſtic, iam reuortar ad te. quid nunc Simo?
Quid agimus? manifeſto hunc hominem teneo, qui argentum attulit.
Quid iam? B. an neſcis quæ ſit hæc res? S. iuxtà cũ ignariſſumis.
Aedepol uerberonem hominem Pſeudolum, ut docte dolum
Commentu'st? tantundem argenti quantum miles debuit,
Dedit huic: atque hominem exornauit, mulierem qui arceſſeret:
Pſeudolus tuus allegauit hunc, quaſi à Macedonio (des?
Milite eſſet. S. habesne argentum ab homine? B. rogitas quod ui
Heus memento ergo dimidium iſtuc mihi de præda dare:
Commune iſtuc eſſe oportet. B. quid, malùm? id totum tuum eſt.
Quàm mox mihi operam das? S. do quidem nunc. B. quid mihi es author Simo?
Exploratorem hunc faciamus ludo ſuppoſititium.
Donicum adeò ipſus ſeſe ludos fieri ſenſerit.
Sequere. quid ais? nempe tu illius ſeruos es? H. planiſſume.
Quanti te emit? H. ſuarum in pugna uictoria uirium.
Nam ego eram domi imperator ſummus in patria mea.
An etiam ille unquam expugnauit carcerem patriam tuam?
Contumeliam ſi dices, audies. B. quid? tun' hodie
Ex Sicyone huc perueniſti? H. alto adhuc meridie.
Strenue me hercule iſti, quanuis pernix hic eſt homo: ſuram ubi
Aſpicias, ſcias eum poſſe gerere craſſas compedes.
Quid ais? tune etiam cubitare ſolitus es in cunis puer?
Scilicet ſolitum eſſe. B. etiamne facere ſolitus es puer?
Scin' quid loquar? H. ſanine eſtis? B. quid hoc, quod te rogo?
Noctu in uigiliam quando ibat miles, tum tu ibas ſimul?
Conueniebatne in tuam uaginam machæra militis?
I in malam crucem. B. ire licebit tibi tamen hodie tempori.
Quin tu mulierem mihi emittis, aut reddis argentum? B. mane.

H. Quid maneam? B. chlamydem hanc commemores quanti conducta'ſt. H. quid eſt? (B. chò.

B. Quid meret machæra? H. helleborũ hiſce hominibus opus eſt.

H. Mitte. B. quid mercedis petaſus hodie domino demeret?

H. Quid domino? quid ſomniatis? mea equidem hæc habeo omnia,
Meo peculio empta. B. hoc quod fœmina ſumma ſuſtinet,
Vnde tibi? H. hi ſenes fricari ſeſe ex antiquo uolunt.

B. Reſponde obſecro hercle hoc uerò ſerio, quod te rogo:
Quid meres? quantillo argenti te conduxit Pſeudolus?

H. Qui iſtic Pſeudolu'ſt? B. præceptor tuus, qui te hanc fallaciam
Docuit, ut fallacijs hinc à me mulierem abduceres.

H. Quem Pſeudolum? quas tu mihi prædicas fallacias?
Quem ego hominem nulli coloris noui. B. non tu iſtinc abis?
Nihil eſt hodie hic ſycophantijs quæſtus, proin' tu Pſeudolo
Nunties, adduxiſſe aliò prædam qui occurrit prior
Harpax. H. is quidem ædepol ego ſum. B. imò ædepol eſſe uis.
Purus putus hic ſycophanta eſt. H. ego tibi argentum dedi:
Et dudum aduenıens extemplo ſymbolum ſeruo tuo,
Heri imagine obſignatam epiſtolam hic ante oſtium.

B. Meo tu dediſti epiſtolam ſeruo? quoi ſeruo? H. Syro.

B. Num confidit? ſycophanta hic nequã eſt, nugis meditatur male.
Nam illam epiſtolam ipſus uerus Harpax huc ad me attulit.

H. Harpax ego uocor, ego ſeruos ſum Macedonis militis.
Ego nec ſycophantioſe quicquam ago, nec malefice.
Neque iſtum Pſeudolum mortalis qui ſit, noui, neque ſcio.

S. Tu niſi miru'ſt, leno planè perdidiſti mulierem.

B. Aedepol næ iſtuc magis ac magis metuo, cum uerba audio.

S. Mihi quoq; ædepol dudum ille Syrus cor perfrigefacit,
Qui ſymbolum hoc accepit. mira ſunt, ni Pſeudolus eſt.
Ehò tu, qua facie fuit dudum, quoi dediſti ſymbolum?

H. Ruſſus quidam, uentrioſus, craſſus, ſeruos ſubniger,
Magno capite, acutis oculis, ore rubicundo admodum,
Magnis pedibus. S. perdidiſti poſtquam dixiſti pedes:
Pſeudolus fuit ipſus: actum eſt. B. idipſum eſt, emorior Simo.

Her-

Hercle haud te ſinam emoriri, niſi argentum mihi redditur,
Viginti minæ. H. atque etiam mihi aliæ uiginti minæ.
Auferetur id præmium à me, quod promiſi per iocum?
De improbis uiris auferri præmium, & prædam decet.
Saltem Pſeudolum mihi dedas. S. Pſeudolum ego dedam tibi?
Quid deliquit? dixin' ab eo tibi ut caueres, ceteris?
Perdidit me. S. at me uiginti modicis mulctauit minis.
Quid nunc faciam? H. ſi mihi argentum dederis, te ſuſpendito.
Dij te perdãt, ſequere hâc ſis me ergo ad forũ, ut ſoluã. H. ſequor.
Quid ego? peregrinos abſoluam, cras agam cum ciuibus.
Pſeudolus mihi centuriata habuit capitis comitia,
Qui illum ad me hodie allegauit, mulierem qui abduceret.
Sequere tu nunc: ne expectetis dum hac domum redeam uia.
Ita res geſta eſt, angiporto hoc certum eſt conſectarier.
H. Si graderere tantum quantum loquere, iam iſſes ad forum.
B. Certu'ſt hunc mihi emortualem facere ex natali die.

SIMO, ſenex.

BEne ego illum tetigi, bene autem ſeruos inimicum ſuum.
Nunc mihi certum eſt, alio pacto Pſeudolo inſidias dare,
Quàm in alijs comœdijs fit, ubi cum ſtimulis, aut flagris
Inſidiantur. at ego iam inultus promam uiginti mnas,
Quas promiſi ſi effeciſſet: obuiam ei ultro deferam.
Nimis hic mortalis doctus, nimis uerſutus, nimis malus:
Superauit Troianum dolum, atque uicit Pſeudolus.
Nunc ibo intrò, argentum promam, Pſeudolo inſidias dabo.

ACTVS QVINTVS.

PSEVDOLVS, ſeruos ebrius.

QVid hoc? ſiccine fit hoc pedes? ſtatin' an non? an id uoltis,
Vt me hinc iacentem aliquis tollat? nã hercle ſi cecidero,
Veſtrum erit flagitium. pergitin' pergere? ah ſæuiendum mihi
Hodie eſt. magnum hoc uitium uino eſt, pedes captat primùm,
Luctator doloſu'ſt. profecto ædepol ego nunc probè habeo
Madulſam, ita excurato uictu, ita magnis munditijs

Digni habiti, atque loco feſtiuo feſtiue accepti ſumus.
Quid opus me multas agere ambages? hoc homini eſt quamobrē
Vitam amet: hic omnes uoluptates,
In hoc omnes uenuſtates ſunt, deis proxumum eſſe arbitror.
Nam ubi amans complexu'ſt amantem: ubi ad labra labella adiungit:
Vbi alter alterum bilingui manifeſtò interprehendunt,
Vbi manu mamilla opprimitur, ac etiam ſi lubet corpora conduplicant:
Manu candida cantharum dulciferum propinare mitiſſumam (amicitiam:
Neque ibi eſſe alium alio odio: ibi nec moleſtum, nec ſermonibus morologis uti,
Vnguenta, atque odores, lentiſcos, corollas dari dapſiles, non enim parce promi:
Victu cætero ne quis me roget: hoc ego modo, atq; herus minor
Hunc diem ſumpſimus potiſſume.
Poſtquam opus meū, ut uolui, omne perpetraui, fugatis hoſtibus
Illos accubātcis, potanteis, amanteis, cū ſcortis reliqui, & meum
Scortum ibidem corde, atq; animo ſuo obſequētes. ſed poſtquam
Exurrexi, orant me id, ut ſaltem, ad hunc me modum intuli.
Illis ſatisfacere minime ex diſciplina quiui ego,
Qui lenonem capere didici: ſed palliolatim amictus
Sic inceſſi ludibūdus, plaudūt partim, clamitant me ut reuortar:
Occœpi denuo hoc modo, uolui idem: amicæ dabam me meæ,
Vt me amaret. ubi circumuortor, cado: id fuit nempe ludo. itaq;
Dum enitor (pax) iam penè inquinaui pallium: nimiæ tum
Voluptati ædepol fui ob caſum. datur cantharus: bibi.
Commuto illico pallium: illud poſui, inde huc exij, crapulam
Dum amouerem. nunc ab hero ad herum meum maiorem uenio.
Fœdus commemoratum. aperite, aperite: heus Simoni me adeſſe quis nuntiat?

SIMO, PSEVDOLVS, BALLIO.

S. Vox uiri peſſumi me exciet foras ſed quid hoc? quo modo?
Quid te ego uideo? P. cū corona ebrium Pſeudolū tuū.

Libere

Libere hercle hoc quidem, ſed uide ſtatum, num mea gratia
Pertimeſcit? magis cogito ſæuiter blanditérne alloquar.
Sed hoc me uetat iam facere quod fero, ſi qua in hoc
Spes ſita'ſt mihi. P. uir malus uiro optumo obuiam it.
Dij te ament Pſeudole: ſed i in malam crucem.
Cur ego me afflictem? S. quid tu (malùm) ergo in os mihi
Ebrius irructas? P. molliter, ſuſtine nunc me,
Caue ne cadam: non uides tu me ut madidus adeam?
Quæ iſta hæc audacia'ſt, te ſic interdius
Cum corolla incedere ebrium? P. lubet. S. quid, lubet?
Pergin' ructare in os mihi? P. ſuauis ructus mihi eſt.
Sic ſine modo. S. credo equidem poteſſe te ſcelus
Maſsici montis uberrumos fructus quatuor
Ebibere in hora una. P. hyberna addito. S. ſed tamen
Vnde onuſtam celocem agere te prædicem? P. cum tuo
Perpotaui modo filio. ſed Simo ut probe
Tactus Ballio eſt? quæ tibi dixi ut effecta reddidi?
S. Derides? peſſumus homo eſt. P. mulier hæc facit:
Cum tuo nunc filio libera accubat. S. omnia
Vt quidque egiſti ordine ſcio. P. quid ergo dubitas
Dare mihi argentum? S. ius petis, fateor, tene.
P. At negabas daturum eſſe te mihi: tamen das. onera hunc
Hominem, atq; me cōſequere. S. at ego iſtum hominem onerem?
P. Onerabis ſcio. S. quid ego huic homini faciam? ſatin'
Vltro & argentum aufert, & me irridet? B. uæ uictis.
P. Forte ego humerum, hem. B. hoc ego nunquam ratus ſum fore,
Vt tibi fierem ſupplex. heu heu. P. deſine. B. doleo.
P. Ni doleres tu, ego dolerem. B. quid hoc? auferre
Non Pſeudole abs tuo hero? P. lubentiſſumo corde, atq; animo.
B. Non audes quæſo aliquam partē mihi gratiā facere hic argēti?
P. Non me dicis auidum eſſe hominem. B. nam hinc nunquam eris
nummo diuitior.
P. Neque te mei tergi miſeret, ſi hoc non hodie effeciſſem?
B. Erit ubi te ulciſcar, ſi uiuo. P. quid minitare? habeo

Tergum. B. age ſanè. P. igitur redi. B. quid redeam?

P. *Redi modo, non eris deceptus. B. redeo. P. ſimul*

Mecum potatum. B. egone eam? P. fac quod te iubeo:

Si is, aut dimidium, aut plus etiam faxo hinc feres. B. ehò duc me quò uis.

P. *Quid nunc, nunquid iratus es, aut mihi, aut filio propter has res Simo?*

S. *Nihil profecto. P. i hàc. S. te ſequor. quin uocas*

Spectatores ſimul? P. hercle me iſti haud ſolent

Vocare: neque ergo ego iſtos. uerùm ſi uoltis applaudere,

Atque approbare hunc gregem, & fabulam: in craſtinum

Vos uocabo.

ANNOTATIONES IN PSEVDOLVM.

COmœdia hæc Gellio teſte feſtiuiſſima eſt, nomen habet à ſeruo Pſeudolo.

Qui quærit alta is malum uidetur quærere.) Neſcio quo pacto irrepſerit mēda in Romano codice, ubi pro malum naulum ſcriptum eſt. Niſi dicas naulum hic pro morte poſitum eſſe, tracto ſcilicet ioco à nummulo qui in mortuorum ore deponi ſolet. ſed malum omnes probant, quod & tunc ambiguum eſt, nam pro damno & arbore nauis poteſt exponi.

Niſi Sibylla legerit.) Vide Chiliades adagiorum, prçter Sibyllam leget nemo.

Quaſi ſolſtitialis herba pauliſper fui.) Vide Cœlium Rhodoginum libro decimoſexto capite quarto, & caſtigationes Hermolai in Plinium. Optime autem ab Eraſ. explicatur in Chiliadibus.

Quam ſi imbrem in cribrum geras.) Vide Chiliades cribro aquam haurire.

Supercilium ſalit.) Vide Chilia. oculus dexter mihi &c.

De iſtac re in oculum utrunq; conquieſcito.) Vide Chiliad. In utrumuis dormire oculum.

Ballio Leno.) A Ballione Plautino, omnes poſtea lenones Balliones appellati ſunt, teſte Baptiſta Egnatio in anota-

tationibus ſuis in Lampridium &c. Sed & Ciceroni di-
ntur balliones.
Neque Alexandrina belluata.) Belluata tapetia Athe-
us uocat ζωδωτά, id eſt, animalium ſiue beſtiarum uariis
uris ornata.
Qui amant à Lenone.) Simile locutionis genus ſuperius
Epidico à Trapezita ſolui, eſſe admonuimus.
Pantices.) Pantices inquit Feſtus fluxus uentris ſunt.
arcellus Medicus colicon malum interpretatur.
Pergulam.) Vide Hermolai caſtigationes in Plin.
Mortuo uerba face nunc.) Vide Chiliades: Mortuo uer
facis.
Rem actam agis.) Vide eaſdem: Actum agere.
Vt porriciam.) Lege Saturnaliorum Macrobii libro 3,
id ſit porricere.
Nimio id quod pudet facilius fertur.) Vide Chiliades: Lu
um pudori præſtat.
Eme die cæca.) Lege eaſdem, Cæca dies & oculata dies.
Vna opera alligem canem fugitiuam agninis.) Mirum
oniam alludat ad illud quod Eraſmus refert, Canem
teſtina guſtaſſe periculoſum.
Nempe conceptis uerbis.) Vide annota. Bud. in pandect.
In pertuſum ingerimus dicta dolium.) Vide Chiliad. in-
plebile dolium.
Cui neque gutta.) Lege adagium: Ne gutta quidem.
Neque ex ordiri primum.) Conſule Chiliades: Exordi-
telam.
quod ſequitur: Volui iniicere tragulam.) Etiam extat
ud Eraſmum, Tragulam iniicere.
ὦ Ζεῦ.) ô Iuppiter. Tragica exclamatio.
Bonus animus in re mala dimidium eſt mali.) Alibi hãc
ntentiã ſic effert: In re mala animo ſi bono utare adiuuat.
Quæ quaſi per nebulam noſmet ſcimus.) Vide Chilia-
s, per nebulam &c.
Delphis tibi reſponſum dicito.) Apollinis oracula.
πρέπον καὶ τοῦτο.) Decorum & hoc.
πεύσεται ἵνα καὶ αὐτὸς ἐλευθερώσω.) Audiat, ut & ipſe liberem.
Conſultis dolis.) Conſutis aliâs.
Concenturio in corde.) Id eſt, in album refero.
Stratioticum nuncium.) Militarem.
Promptas theſauros Iouis.) Iouis theſauros uocauit ma

ximos, nam quicquid egregium, inſigne, & magnificum eſt, id omne Ioui adſcribitur. De libella ſatis Budæus libro de aſſe & partibus.

Cauata eſt mihi oportune.) Nauata aliâs.

Nam hæc illa ea cornucopię.) Vide Chiliades: κέρας ἀμαλθείας.

Aurichalco non carum fuit.) Vide Cœlium li. 10. ca. 69.

Heuretes.) εὑρετὴς, id eſt, inuentor.

Paratragœdiat,) Superbe & inſolenter incedit.

Vſque à cunabulis.) Vide Chiliades, ab incunabulis.

Manuleatam tunicam.) Vide annotationes Georgij Alexandrini in Galeotum.

Murrhinam.) Vide Nonium in dictione Lora, & caſtigationes Hermolai in 14. lib. Plin. cap. 13. qui nominatim hunc uerſum citans ueluti enarrat.

Fructus eſt fullonius.) Nautea ſcilicet.

Boues qui conuiuas faciunt.) Huc facit epigramma Martialis, cuius initium, Atreus Cœcilius &c.

Atrum holus.) Id eſt, atriplicem.

Priuſquam triuerint oculi ut extillent facit.) Vide adagium, Sinapi uictitant.

Sed ſtrygibus.) De ſtrygibus uide lib. 6. faſtorũ Ouidij.

Ciciliendrum &c.) Efficta ſunt à poëta hęc.

Verberеam ſtatuam.) Romanus codex uerueceam ſtatuam habuit, de qua prius. Alioqui per ſe planum eſt quid ſit ueruecea ſtatua.

Obtrudere non potes palpum.) Iam antea in hac comœdia explicatum.

Cor colligatis uaſis.) Collectis ſarcinulis.

Babæ nunc demum.) Græcum aduerbium, ſtuporis & adiurationis ſignificantiam habet βαβαὶ.

Contumeliam ſi dices audies.) Vide Chilia. qui quę uult dicit, quæ non uult audiet.

Conueniebat ne in tuam uaginam.) Turpiſſima ſubeſt æſchrologia, de maſtrupatione.

Morologis uti.) Morologi ſermones, ſunt ineptę & ſtultæ neniæ.

Lemniſcos.) De lemniſcis uide miſcella. Politia. ca. 72.

Væ uictis.) Vide Chiliad. Quid niſi uictis dolor.

M. ACTII

M. ACTII PLAVTI
POENVLVS.

DRAMATIS PERSONAE.

PROLOGVS.
AGORASTOCLES, *adoleſcens.*
MILPHIO, *ſeruos.*
ADELPHASIVM *meretrix.*
ANTERASTILIS, *meretrix.*
LYCVS, *leno.*
ANTHEMONIDES, *miles.*
ADVOCATI.
COLLABISCVS, *uillicus.*
SYNCERASTVS, *ſeruos.*
HANNO, *Pœnus.*
GIDDENEME, *unctrix.*
PVER.

ARGVMENTVM.

Puer ſeptuennis ſurripitur Carthagine:
Oſor mulierum adoptat hunc emptum ſenex,
Et facit hæredem. eius pueri cognatæ duæ,
Nutrixq́; earum raptæ. mercatur Lycos,
Vexatq́; amantem: at ille cum auro uillicum
Lenoni obtrudit: inde cum furto alligat.
Venit Hanno Pœnus, gnatum hunc fratris repperit:
Suasq́; agnoſcit quas perdiderat filias.

ALIVD ARGVMENTVM.

FVere fratres Carthaginenſes duo. alteri geminæ erant filiæ Anteraſtilis & Adelphaſium, alteri unicus filius Agoraſtocles. hic ſeptennis ſurripitur, uenditurq́; Calydonæ Antidamanti ſeni. qui cum careret liberis, ſurreptũ Agoraſtoclem ſibi adoptat filium, eumq́; ſibi inſtituit hæredem. Pater filio ſurrepto moritur præ ægritudine, fratremq́; relinquit ſucceſſorem: cui pariter ambæ ſurripiuntur filiæ cum nutrice Giddeneme ſimul, uenditæq́; ſunt in Anactorio lenoni Lyco, qui demum Calydonem cum puellis migrat. Adelphaſij cognatus capitur amore imprudens Agoraſtocles: quem diximus ſurreptum paruulum.

alterius miles Anthemonides. impatiens amorum Agoraſtocles cum ſeruo Milphione conſilium communicat. hic in lenonem confingit & ſtruit dolos, adornat uillicum Collabiſcum tanquam aduenientem aduenam. is ſecum defert aureos trecentos Philippeos: apud lenonem hoſpitari, potare, ſcortari ſe uelle ſimulat, locumq; tutum ſibi præberi poſtulat. Leno inhians pecuniæ, illum accipit dictis blandioribus. Receptus igitur ut eſt à lenone uillicus, Agoraſtocles illico accurrit ut illum doli & furti arguat: perquirit à lenone ſeruum, ad eamq; rem adhibet uocatos teſtes conſcios facinoris. Leno ratus Milphionem quæri ſeruulum, negat ſeruum apud ſe eſſe. ſed ille adductis teſtibus & uillico, ſeruum ſe aſſerente, lenoni furtum obijcit, minaturq; illum ad prætorem ſe tracturum, ſuam familiam ac rem omnem ut addicat ſibi. Interea Hanno, cui geminæ fuerant ſurreptæ filiæ, ut ſurreptas inueniat, plura luſtrat loca: & tandem Calydonem uenit. offendit fratris Agoraſtoclem filium: agnoſcunt ſe ambo qui ſint, ſuaſq; percunctatus inuenit filias. Leno ut nouit mulieres haſce liberas, magnumq; ſibi imminere malũ, ultro dimittit patri. Et cum hæc nunc innoteſcerent, fruſtratur pariter qui uenerat miles. Agoraſtocles denique Adelphaſium uxorem ducit.

PROLOGVS.

Achillem Ariſtarchi mihi commentari lubet:
Inde mihi principium capiam ex tragœdia.
Sileteq; & tacite, atque animum aduortite.
Audire iubet uos imperator hiſtricus,
Bonoq; ut animo ſedeant in ſubſellijs
Et qui eſurientes, & qui ſaturi uenerint.
Qui ediſtis, multo feciſtis ſapientius.
Qui non ediſtis, ſaturi fite fabulis.
Nam quoi paratu'ſt, quod edat: noſtrâ gratia,
Nimia eſt ſtultitia ſeſſum impranſum incedere.

Exurge

Exurge præco, fac populo audientiam,
Iamdudum expecto ſi tuum officium ſcias.
Exerce uocem per quam uiuis & colis.
Nam niſi clamabis, ſtatim te obrepet fames.
Age nunc iam reſide, duplicem ut mercedem feras.
Bonum factum eſt, edicta ut ſeruet is mea:
Scortum exoletum ne quis in proſcenio
Sedeat, néue lictor uerbum, aut uirgæ mutiant.
Neu deſignator præteriens obambulet,
Neu ſeſſum ducat, dum hiſtrio in ſcena ſiet.
Diu qui domi otioſi dormierunt, decet
Animo æquo nunc ſtent, uel dormire temperent.
Serui ne obſideant, liberis ut ſit locus:
Vel æs pro capite dent: ſi id facere non queunt,
Domum abeant, uitent ancipiti infortunio,
Ne & hic uarientur uirgis, & loris domi,
Si minus curaſſint, cum ueniant heri domum.
Nutrices pueros infanteis minutulos
Domi procurent, néue inſpectatum afferant:
Ne & ipſæ ſitiant, & pueri pereant fame,
Néue eſurientes hic quaſi hœdi obuagiant.
Matronæ tacitè ſpectent, tacitè rideant:
Canora hic uoce ſua tinnire temperent:
Domum ſermones fabulandi conferant:
Ne & hic uiris ſint & domi moleſtiæ.
Quodq; ad ludorum curatores attinet,
Ne palma detur quoiquam artifici iniuria,
Néue ambitionis cauſſa extrudantur foras,
Quò deteriores anteponantur bonis.
Et hoc quoque etiam (quod penè oblitus fui)
Dum ludi fiunt, in popinam pediſequi
Irruptionem facite. nunc dum occaſio'ſt:
Nunc dum ſcribilitæ æſtuant, occurrite.
Hæc quæ ſunt imperata pro imperio hiſtrico,

Bonum hercle factum, pro ſe quiſque ut meminerit.
Ad argumentum nunc uiciſſatim uolo
Remigrare, ut æquom eſt: uos ſignatores eritis.
Eius nunc regiones, limites, confinia
Determinabo: ei rei finitor factus ſum ego.
Sed niſi moleſtum ſit, nomen dare uobis uolo
Comœdiai. ſin odio ſit, dicam tamen:
Si quidem licebit per illos, quibus eſt in manu.
CARCHEDONIVS uocatur hæc comœdia,
Latine Plautus patruus pultiphagonides.
Nomen iam habetis. nunc orationes cæteras
Accipite: nam argumentum hoc hic cenſebitur.
Locus argumento eſt ſuum ſibi proſcenium.
Vos iuratores eſtis, quæſo operam date.
Carthaginienſes fratres patrueles duo
Fuere, ſummo genere & ſummis diuitijs:
Eorum uiuit alter, alter eſt mortuus.
Propterea apud uos dico confidentius,
Quod mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.
Sed illi ſeni qui mortuus eſt filius,
Vnicus qui fuerat, abductus à prate olim puer
Septuennis, ſurripitur Carthagine
Sexennio prius quidem quàm moritur pater.
Qui periſſe uidens unicum gnatum ſibi,
Conijcitur ipſe in morbum ex ægritudine.
Facit illum hæredem fratrem patruelem ſuum:
Ipſe abijt ad Acherontem ſine uiatico.
Ille qui ſurripit puerum, Calydonem auehit:
Vendit eum domino hic diuiti quoidam ſeni
Cupienti liberorum, oſori mulierum.
Emit hoſpitalem is filium imprudens ſenex,
Puerum illum, eumq́; adoptat ſibi pro filio,
Eumq́; hæredem fecit, cum ipſe obijt diem.
Is illic adoleſcens habitat in illiſce ædibus.

Reuortor rurſus denuo Carthaginem,
Si quid mandare uoltis, aut curarier.
Argentum niſi qui dederit, nugas egerit:
Verùm qui dederit, magis maiores egerit.
Sed illi patruo huius qui uiuit ſenex
Carthaginienſi, duæ fuêre filiæ,
Altera quinquennis, altera autem quadrimula,
Cum nutrice unà periêre: à Megaribus,
Eas qui ſurripuit, in Anactorium deuehit:
Venditq́; has omneis & nutricem & uirgines
Præſenti argento homini (is homo, Lyco eſt leno)
Quantum hominum terra ſuſtinet, ſacerrumo.
Voſmet nunc facite coniecturam cæterum,
Quid id ſit hominis, quoi Lyco nomen ſiet.
Is ex Anactorio, ubi prius habitauerat,
Huc in CALIDONEM *commigrauit haud diu*
Sui quæſti cauſſa: is in illis habitat ædibus.
Earum hic adoleſcens alteràm efflictim perit,
Suam ſibi cognatam imprudens: neq; tamen
Scit quæ ſit, neq; eam unquam tetigit, ita leno eum
Macerat: neque quicquam cum ea fecit etiamnum ſtupri:
Neque duxit unquam, neque ille uoluit mittere.
Quia amare cernit, hominem uolt leno tangere.
Illam minorem in concubinatum ſibi
Volt emere miles quidam, qui illam deperit.
Sed pater illarum Pœnus, poſtquam eas perdidit,
Mari terráq; illas uſquequaque quæritat.
Vbi quanque in urbem is eſt ingreſſus, illico
Omnes meretrices, ubi quiſque habitant, inuenit:
Dat aurum ducat, noctem rogitat pòſt ibi,
Vnde ſit, quoiatis, captáne, an ſurrepta ſit,
Quo genere gnata, qui parentes ei fuerint.
Ita doctè atque aſtù filias quærit ſuas:
Et is omneis linguas ſcit, ſed diſsimulat ſciens

Se ſcire

Se ſcire. Pœnus planè eſt: quid uerbis opu'ſt?
Is heri huc in portum naui uenit ueſpere.
Pater harum idem huic patruus eſt adoleſcentulo.
Iámne hoc tenes? ſi tenetis ducite:
Ne dirumpatis, quæſo, ſinite tranſigi.
Hehem penè oblitus ſum reliquom dicere.
Ille qui adoptauit hunc pro filio ſibi,
Is illi Pœno olim huius patruo hoſpes fuit.
Is hodie huc ueniet, reperietq́; hic filias,
Et hunc ſui fratris filium, ut quidem didici:
Ego ornabor ibi. uos æquo animo noſcite:
Hic qui hodie ueniet, reperiet ſuas filias,
Et hunc ſui fratris filium. dehinc cæterum
Valete, adeſte. ibo, alius nunc fieri uolo.
Quod reſtat, alij iam uobis facient palàm.
Valete, atque adiuuate, ut uos ſeruet Salus.

ACTVS PRIMVS.

AGORASTOCLES, *adoleſcens.* MILPHIO, *ſeruos.*

A. *SAepe ego res multas tibi mandaui Milphio,*
Dubias, egenas, inopioſas conſilij,
Quas tu ſapienter, doctè, & cordatè & catè
Mihi reddidiſti certas, opiparas opera tua:
Quibus pro bene factis fateor deberi tibi
Et libertatem, & multas gratas gratias.
M. *Scitum'ſt, per tempus hoc eſt iam uerbum uetus:*
i. nu- *Nam tuæ blanditiæ mihi ſunt (quid dici ſolet)*
gæ GERRAE GERMANAE, *atque ædepol λῆροι λήρων.*
nuga *Nunc mihi blandidicus es: at heri in tergo meo*
rum. *Treis facile corios contriuiſti bubulos.*
A. *At amans per amorem ſi quid feci Milphio,*
Ignoſcere id te mihi æquom eſt. M. *audi tu magis,*
Et ego nunc amore pereo: ſine te uerberem item,
Vt tu mihi feciſti ob nullam noxiam.

Poſt id locorum tu mihi amanti ignoſcito.
Si tibi lubido eſt, aut uoluptati, ſino,
Suſpende, uinci, uerbera, autor ſum, ſino.

M. Si autoritatem poſtea defungeris,
Vbi diſſolutus tu ſies, ego pendeam.

A. Egone iſtuc auſim facere, præſertim tibi?
Quin ſi feriri uideo te, extemplo dolet.

M. Mihi quidem hercle. A. imò mihi iſtuc mauelim.

M. Sed quid nunc tibi uis? A. cur ego apud te mentiar?
Amo immodeſte. M. meæ iſtuc ſcapulæ ſentiunt.

A. At ego hanc uicinam dico Adelphaſium meam,
Lenonis huius meretricem maiuſculam.

M. Iampridem equidem iſtuc ex te audiui. A. differor
Cupidine eius: ſed lenone iſtoc Lyco
Illius domino non lutu'ſt lutulentius.

M. Vin' tu illi nequam dare nunc? A. cupio. M. en me dato.

A. Abi dierectus. M. dic mihi uerò ſerio,
Vin' dare malum illi? A. cupio. M. hem eundem me dato.
Vtrunque faxo habebit, & nequam & malum.

A. Locare. M. uin' tu illam hodie ſine damno tuo
Tuam libertam facere? A. cupio Milphio.

M. Ego faciam ut facias. ſunt tibi intus aurei
Trecenti nummi Philippi? A. ſexcenti quoque.

M. Satis ſunt trecenti. A. quid ijs facturus? M. tace:
Totum lenonem tibi cum tota familia
Dabo hodie dono. A. quid facturus? M. iam ſcies.
Tuus Colabiſcus nunc in urbe'ſt uillicus:
Eum hic non nouit leno. ſatin' intelligis?

A. Intelligo hercle: ſed quò euadas neſcio.

M. Non ſcis? A. non hercule. M. at ego iam faxo ſcies.
Ei dabitur aurum, ut ad lenonem deferat,
Dicatq; ſe peregrinum eſſe ex alio oppido:
Amare uelle ſe, atque obſequi animo ſuo:
Locum ſibi uelle liberum præberier.

Vbi

Vbi nequam faciat clàm, ne quis ſit arbiter.
Leno ad ſe accipiet auri cupidus: illico
Cælabit hominem & aurum. A. conſilium placet.
M. Rogato, ſeruos ueneritne ad eum tuus.
Ille me cenſebit quæri: continuo tibi
Negabit. quid tu dubitas, quin éxtemplo tibi
Duplicet, ubi auri & hominis fur leno ſiet,
Neque id unde efficiat, habet? ubi in ius uenerit,
Addicet prætor familiam totam tibi.
Ita decipiemus fouea lenonem Lycum.
A. Placet conſilium. M. imò etiam cum expoliuero magis
Hoc, tum demum dices: nunc etiam rude'ſt.
A. Ego in ædem Veneris eo, niſi quid uis Milphio.
Aphrodiſia hodie ſunt. M. ſcio. A. oculos uolo meos
Delectare hodie munditijs meretricijs.
M. Hoc primum agamus, quod conſilium cepimus:
Abeamus intrò, ut Colabiſcum uillicum
Hanc perdoceamus ut ferat fallaciam.
A. Quanquam cupido uerſatur in corde, tamen
Tibi auſcultabo. M. faciam ut facto gaudeas.
Ineſt amoris macula huic homini in pectore,
Sine damno magno quæ elui neutiquam poteſt.
Itaque hic ſceleſtus eſt homo leno Lycus,
Quoi iam infortunij intenta baliſta eſt probe,
Quam ego haud multo pòſt mittam è baliſtario.
Sed eccam Adelphaſium exit atque Antheraſtilis:
Hæc eſt prior, quæ meum herum dementem facit.
Sed euocabo. heus, i foras Agoraſtocles,
Si uis uidere ludos iucundiſsimos.
A. Quid iſtuc eſt tumulti Milphio? M. hem amores tuos,
Si uis ſpectare. A. ô multa tibi di dent bona,
Quom hoc mihi obtuliſti tam lepidum ſpectaculum.

ADELPHASIVM, ANTHERASTILIS, meretrices.
MILPHIO, AGORASTOCLES.

NEGO-

A. NEGOTII SIBI qui uolet uim parare, nauem & mulierem

Hæc duo ſibi comparato: nam nullæ magis res duæ
Plus negocij habent. eas forte ſi exornare occeperis,
Neque unquam hæ duæ res ſatis ornantur, neque eis ulla ſatis
Ornandi ſatietas eſt. atque hæc uti loquor, nunc modo
Docta dico: nam nos uſque ab aurora ad hoc quod eſt die,
Poſtquam illuxit aurora, nunquam ceſſauimus ex induſtria
Ambæ lauari, atque fricari, aut tergeri, aut ornarier,
Poliri, expoliri, pingi, fingi: & binæ unà ſingulis
Quæ datæ nobis ancillæ, eæ nos lauando, eluendo operam
Dederunt, ab gerundaq; aqua ſunt uiri defeſſi duo.
Apageſis, negotij in muliere quantum una eſt? ſi uerò duæ,
Sat ſcio maxumo uni populo quoi lubet, plus ſatis dare
Potes ſunt, quæ noctes dieſq; in omni ætate ſemper
Ornantur, lauantur, tergentur, poliuntur. poſtremo MODVS
MVLIEBRIS NVLLV'ST: neque unquam lauando, & fricando ſumus ſaturæ.

A. Nam quæ lauta eſt, niſi perculta eſt, meo animo quaſi inuenuſta eſt.

Miror equidem ſoror te iſtæc fabulari, quæ tam callida,
Et docta ſis, & faceta. nam cum ſedulo
Munditer nos habemus, uix ægrè amatorculos inuénimus.

AD. Ita eſt: uerùm hoc unũ tamẽ cogitato, MODVS OMNIBVS
In rebus ſoror eſt optumum habitu. NIMIA OMNIA
NIMIVM EXHIBENT negotium hominibus ex ſe. AN. ſoror cogita
Amabo item nos perhiberi: quaſi ſalſa muriatica
Eſſe autumantur ſine omni lepôre, & ſine ſuauitate, niſi
Multa aqua uſque & diu macerantur, olent, ſalſa ſunt, tangere ut non uelis:
Item nos ſumus eiuſcemodi. mulieres ſunt admodum
Inſulſæ, atque inuenuſtæ ſine munditia & ſumptu.

M. Coqua eſt hæc quidẽ Agoraſtocles, ut ego opinor. AG. quid iã

Scit muriatica ut macerct. AG. quid moleſtus? AD. ſoror pa[illegible]
cc ámabo: ſat eſt
Iſtuc alios dicere nobis, ne noſmet noſtra etiam
Vitia loquamur. AN. quieſco. AD. ergo te amo. ſed hoc nũc
mihi
Reſponde: ſunt hic omnia, quæ ad deum Pacẽ oportet adeſſe?

AN. Omnia accuraui. AG. pulchrum & celebrẽ & uenuſtatis diem
Plenum: dignum Venere pol, quoi ſunt Aphrodiſia hodie.

M. Ecquid gratiæ cum huc foras te euocaui? iam num me decet
Donari cado uini ueteris? dic dari. reſpondes nihil?
Huic excidit lingua, ut ego opinor. quid hic (malum) aſtans
obtices?

AG. Sine amem: ne obturba, tace. M tacco. AG. ſi tacuiſſes, iam
Iſtuc taceo non natum foret. AN. eamus ſoror mea.

AD. Ohò ámabo, quid illuc nunc properas? AN. rogas? ꝙ nos herus
Apud ædem Veneris mantat. AD. maneat pol, ut lubet: mane.
Turba eſt nunc apud aram: an ibi uis inter iſtas uerſarier
Proſedas, piſtorum amicas, reliquas alicarias,
Miſeras ſchœno delibutas, ſeruilicolas ſordidas?
Quæ tibi olcant ſtabulum, ſtatum, ſellam, & ſeßibulum merũ?
Quas adeò haud quiſquam unquam liber tetigit, neque duxit
domum,
Seruolorum ſordidulorum ſcorta diobolaria?

M. I in malam crucem, tún' audes etiam ſeruos ſpernere?
Propudium, quaſi bella ſit, quaſi eam ipſi reges diſcupiant.
En monſtrum mulieris, tantula tanta uerba funditat,
Proh nebulæ, quoius ego cyatho ſeptem noctes non emam.

AG. Dij immortales, omnipotentes, quid apud uos eſt pulchrius?
Quid habetis qui mage immortales uos credã, quàm ego ſim,
Qui hæc tanta oculis bona concipio? nam Venus nõ eſt Venus:
Hanc equidem Venerem uenerabor, ut amet ac ſit propitia.
Milphio, heus Milphio ubi es? M. aſſum apud te eccum. AG.
at ego elixum uolo.

M. Enim here facis delicias. AG. de te quidem hæc didici omnia.

Etiamne

M. Etiamne ut ames, quã nunquã tetigeris? AG. nihil illuc quidem'ſt.
Deos quoq; ædepol & amo, & metuo: quibus ego tamen
Abſtineo manus. AD. heu ecaſtor cum ornatũ noſtrum aſpicio,
Pœnitet ambarũ, ornatæ ut ſumus. AN. imò uerò ſanè cõmode.
Nam pro heri noſtri quæſtu ſatis bene ornatæ ſumus,
Non poteſt quæſtus conſiſtere, ſi cum ſumptus ſuperat ſoror.
Et illud ſatius, ſatis quod ſatis eſt, habitus plus q̃ ſat eſt.
AG. Ita me di ament, ut illa me amet malim, quàm di Milphio.
Nam illa mulier lapidem ſilicem ſubigere, ut ſe amet, poteſt.
M. Pol id quidem haud mentire: nam tu es lapide ſilice ſtultior,
Qui hanc ames. AG. at uide ſis cum illa nũquam limaui caput.
M. Curram igitur aliquò ad piſcinam aut lacum, limum petam.
AG. Quid eo opus ſit? M. ego dicam: ut tibi & illi limem caput.
AG. I in malam rem. M. ibi ſum equidem. AG. pergis? M. taceo.
AG. at perpetuo uolo.
M. Enimuero ære meo me laceßis, ludos & delicias facis.
AN. Satis nunc lepide ornatam ſoror credo te tibi uiderier.
Sed ubi exempla conferuntur meretricum aliarũ, ibi tibi erit
Cordolium, ſi quam ornatam melius forte aſpexeris.
AD. Inuidia in me nunquam innata'ſt, neque malitia mala, ſoror.
BONO INGENIO me eſſe ornatã, q̃ auro multo, mauolo.
Aurum in fortuna inuenitur, natura ingenium bonum.
BONAM EGO quàm beatam me eſſe nimio dici mauolo.
Meretricem pudorem gerere magis decet, quàm purpuram:
Magis meretricem pudorem, quàm aurum gerere condecet.
PVLCHRVM ornatum turpes mores peius cœno collinunt.
Lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant.
AG. Eho tu, uin' tu facinus facere lepidum & feſtiuum? M. uolo.
AG. Potés ne mihi auſcultari? M. poſſum. AG. domum abi, ac ſuſpende te.
M. Quamobrem? AG. quia nunquam audibis uerba tot tã ſuauia.
Quid tibi opu'ſt uixiſſe? auſculta mihi modo, ac ſuſpende te.
M. Si quidem tu es mecum futurus pro uua penſilis. AG. at ego amo hanc.

M. At ego eſſe & bibere potius. AD. eho tu quid ais? AN. quid rogas?
AD. Viden' tu pleni oculi ſordium qui erant, iam ſplendent mihi?
AN. Imò etiã in medio oculo parũ ſordis eſt. AD. cedò ſis dexterã.
AG. Vt tu quidem huius oculos illotis manibus tractes, aut teras?
AN. Nimia nos ſecordia hodie tenuit. AD. quæ de re obſecro?
AN. Quia iam non dudum ante lucem ad ædem Veneris uenimus,
Primæ ut inferremus ignem in arã. AD. ah non facto'ſt opus.
Quæ habent nocturna ora, noctu ſacruficatum ire occupant.
Priuſquam expergiſcatur Venus, deproperant ſedulo
Sacruficare. nam uigilante Venere ſi ueniant eæ,
Ita ſunt turpes, credo ecaſtor, Venerem ipſam è fano fugent.
AG. Milphio. M. ædepol Milphionem miſerum quid nunc uis tibi?
AG. Obſecro hercle ut mulſa loquitur? M. nihil niſi laterculos,
Seſamum, papauuremq;, triticum, & frictas nuces.
AG. Ecqd amare uideor? M. damnũ quod Mercurius minime amat.
AG. NANQVE AEDEPOL lucrũ amare nullum amatorem addecet.
AN. Eamus mea germana. AD. ageſis ut lubet, ſequere hâc. AN. ſequor.
AG. Eunt hæ. quid ſi adeamus? M. adeas. AG. primùm ſalua ſis
Prima, & ſecunda in ſecundo. M. ſalue in pretio tertia.
AN. Salue extra pretiũ. M. tum pol ego, & oleum et operã perdidi.
AG. Quò te agis? AD. egóne? in Veneris. AG. quid eò tu? AD. ut Venerem propitiem.
AG. Ehón' irata eſt? propitia hercle eſt, uel ego pro illa ſpondeo.
AD. Quid tu ais? quid mihi moleſtus obſecro? AG. ah tam ſæuiter.
AD. Mitte amabo. AG. quid feſtinas? turba nunc illic eſt. AD. ſcio.
Sunt illic aliæ, quas ſpectare ego, & me ſpectari uolo.
AG. Quî lubet ſpectare turpis, pulchram ſpectandam dare?
AD. Quia apud ædem Veneris hodie eſt mercatus meretricius,
Eò conueniunt mercatores: ibi me ego oſtendi uolo.
AG. INVENDIBILI MERCE oportet ultro emptorem adducere.
Proba merx facile emptorẽ reperit, tãetſi in abſtruſo ſita eſt.
Quid ais tu, quandò mecum caput & corpus copulas?

Quo

AD. Quo dic Horcos ab Acheronte mortuos amiſerit.
AG. Sunt mihi intus neſcio quot nummi aurei lymphatici.
M. Deferto ad me, faxo actûtum conſtiterit lymphaticum.
Bellula hercle eſt. AG. i dierecte in maxumam malam crucem.
M. Quàm magis aſpecto, tam magis eſt nimbata, & nugæ meræ.
AD. Segrega ſermonem, tædet. AG. age ſuſtolle hoc amiculum.
AD. Pura ſum comperta, ámabo ne attrectare Agoraſtocles.
AG. Quid agã nunc? M. ſi ſapias, curã hanc facere cõpendi potes.
AG. Quid ego nunc curem? quid agam Milphio? M. ecce odiũ meũ
Quid me uis? AG. cur mihi hæc irata eſt? M. cur hæc tibi irata eſt,
Cur ego id curem? nanque iſtæc magis tua eſt curatio.
AG. Iam hercle tu periſti, niſi illam mihi tam tranquillam facis,
Quàm mare eſt olim, quom ibi Alcedo pullos educit ſuos.
M. Quid faciam? AG. exora, blãdire, expalpa. M. faciam ſedulo.
Sed uide ſis, ne tu oratorem hunc pugnis plectas poſtea.
AG. Non faciam. AD. eamus nunc, etiam morare? AG. malefacis.
AD. Bene promittis multa ex multis, omnia in caſſum cadunt.
Nam liberare, haud ſemel iurauiſti me, ſed decies.
Dum te expecto, neque uſquam aliam mihi paraui copiam,
Neque iſtuc uſquam apparet, ita nunc nihilominus ſeruio.
I ſoror, abſcede tu à me. AG. perij, ehò quid agis Milphio?
M. Mea uoluptas, meæ deliciæ, mea uita, mea amœnitas,
Meus ocellus, meũ labellum, mea ſalus, meũ ſauium, meum mel,
Meum cor, mea coloſtra, meus molliculus caſeus.
AG. Mé ne ego illæc patior præſente dici? diſcrucior miſer,
Niſi ego illum iubeo quádrigis curſim ad carnuficem rapi.
M. Noli ámabo ſuccenſere hero meo cauſſa mea.
AD. Ego enim faxo: ſine. M. irata es nimium: pro te dabit,
Atq; te faciet, ut ſis ciuis Attica, atque libera.
AD. Quin abire ſinis? quid uis tibi? qui bene uolunt, bene uiſitent.
M. Si quidem antè mentitus ſit, nunc iam dehinc erit tibi
Verax. AD. abijce te dehinc ſis ſycophanta. M. pareo.
AD. At ſcin' quomodo? M. ſine te exorem, ſine te prendã auriculis,

Sine dem ſauium. iam ego hercle faciam plorantem illum, niſi
Te propitiam facio, illud faciet, niſi te propitio.
Atq; hic me ne uerberet, male formido: noui ego huius malos
Mores. quamobrem ámabo, mea uoluptas, ſine te exorarier.

AG. Non ego homo trioboli ſum, niſi ego illi maſtigiæ
Exturbo oculos atq; dentes. hem uoluptatem tibi,
Hem tibi mel, hem cor, hem labellū, hem ſalutem, hem ſauium.

M. Impie: ſiccine oratorem uerberas? iam iſtoc magis
Etiam occllū addā, & labellū, & linguā. eho quid facias modo?

AG. siccine ego te orare iuſſi? M. quo modo ergo orem? AG. rogas?
Sic enim diceres ſceleſte. Huius uoluptas te obſecro,
Huius mel, huius cor, huius labellum, huius lingua & ſauium,
Huius coloſtra, & dulciculus caſeus, maſtigia.
Omnia illa quæ dicebas tua eſſe, ea memorares mea.

M. Obſecro hercle te, uoluptas huius, atque odium meum:
Huius amica nummata, mea inimica & maleuola:
Ocule huius, lippitudo mea: mel huius, fel meum:
Vt tu huic irata ne ſis, aut ſi id fieri non poteſt.

AD. Capias reſtim, ac te ſuſpendas cum hero & uoſtra familia.

M. Hem mihi iam uideo propter te uictitandum ſorbillo.
Itaque iam quaſi oſtreatum tergum ulceribus geſtito
Propter amorē uoſtrum. AD. ámabo mén' prohibere poſtulas,
Ne te uerberet, magis quàm ne mendax me aduorſum fiet?

AN. Aliquid huic reſponde. M. ámabo commode, ne incommodus nobis ſit, nam detinet nos de noſtro negotio.

AD. Verum etiam tibi hanc admittam noxiam unam Agoraſtocles:
Non ſum irata. AG. non es? AD. non ſum. AG. da ergo ut credam, ſauium.

AD. Mox dabo, cum ab re diuina rediero. AG. i ergo ſtrenue.

AD. Sequere me ſoror. AG. atq; audin'? etiam Veneri dicito
Multam meis uerbis ſalutē. AD. dicam. AG. atque audi. AD. quid eſt?

AG. Paucis uerbis rem diuinam facito. atque audin'? reſpice.

M. Reſpexit: idem pol Venerem credo facturam tibi.

AGORA-

AGORASTOCLES, adoleſcens. MILPHIO, ſeruus.

QVid nunc mihi es autor Milphio? M. ut me uerberes,
Atque auctionem facias. nam impuniſſume
Tibi quidem hercle uendere haſce ædeis licet.
AG. Quid iam? M. maior enim parte minore habitas in eas.
AG. Superſede iſtis uerbis. M. quid nunc uis tibi?
AG. Trecentos Philippeos Colabiſco uillico
Dedi dudum, prius quàm me euocaſti foras.
Nunc obſecro te Milphio hanc per dexteram,
Perq; hanc ſororem læuam, perq; oculos tuos,
Perq; meos amores, perq; Adelphaſium meam,
Perq; tuam libertatem. M. hehem nunc obſecras.
A. Mi Milphidiſce, mea commoditas, mea ſalus,
Fac quod facturum te eſſe promiſiſti mihi,
Vt ego hunc lenonem perdam. M. perfacile id quidem eſt.
Adduce teſteis tecum: ego intus interim
Iam & ornamentis meis & ſycophantijs
Tuum exornabo uillicum. propera, atque abi.
A. Fugio. M. meum eſt iſtuc magis officium, quàm tuum.
A. Egone, egone? ſi iſtuc lepide faxis. M. i modo.
A. Vt non ego te hodie. M. abi modo. A. emittam manu.
M. I modo, non hercle mœream. A. ohoh. M. uah, abi modo.
A. Quantum eſt Acheronti mortuorum. M. etiámne abis?
A. Neque quantum aquarum eſt in mari. M. abiturus iámne es?
A. Neq; nubis quantum eſt. M. pergin' uerò pergere?
A. Neque ſtellæ in cœlo. M. pergin' aures tundere?
A. Neq; hoc, neq; illuc, neque enimuero ſerio,
Neq; hercle uerò. M. quid opu'ſt uerbis? quippini
Quod uno uerbo dicere hic quid uis licet?
A. Neque hercle uerò ſerio. ſcin' quomodo?
Ita me dij amabunt, uin' bona dicam fide,
Quod hic inter nos liceat? ita me Iupiter,
Scin' quam? uide tu, credin' quòd ego fabuler?
M. Si nequeo facere ut abeas, egomet abire uolo.

Nam iſti quidem hercle orationi Oedipo opus
Eſt coniectore, qui Sphingi interpres fuit.
A. Illic hinc iratus abijt. nunc mihi cautio eſt,
Ne mea ipſe culpa meo amori obiexim moram.
Ibo, atque arceſſam teſteis: quandò amor iubet
Herum me obedientem eſſe ſeruo liberum.

ACTVS SECVNDVS.

LYCVS leno. ANTHEMONIDES, miles.

DI illum infelicitent omnes, qui poſt hunc diem
Leno ullam Veneri unquam immolarit hoſtiam,
Quiue ullum thuris granum ſacruficauerit.
Nam ego hodie infelix dis meis iratiſſumis,
Sexagenos immolaui: nec potui tamen
Propitiatam Venerem facere, uti eſſet mihi.
Quoniam litare nequeo, abij illinc illico
Iratus, uetuiq; exta proſecarier:
Neque ea aſpicere uolui. quoniam, non bona,
Haruſpex dixit, deam eſſe indignam credidi.
Eo pacto auaræ Veneri pulchre adij manum.
Quando id quod ſat erat, ſatis habere noluit,
Ego pauſam feci: ſic ago, ſic me decet.
Ego faxo poſthac, di deæq; cæteri
Contemptiores mage erunt, atq; auidi minus,
Cum ſcibunt, Veneri ut adierit leno manum
Condigne. haruſpex, non homo trioboli,
Omnibus in extis aiebat portendi mihi
Malum, damnumq;, & deos eſſe iratos mihi.
Quid ei diuini, aut humani? quis crederet?
Mina mihi argenti dono poſt illa data eſt,
Sed quæſo ubi nam illic reſtitit miles, modo
Qui hanc mihi donauit, quem ego uocaui ad prandium?
Sed eccum incedit Anthimonides. A. ita ut occepi dicere
Lenulæ de illac pugna pentethronica, qua ſexaginta hominum uno die

Euolaticorum manibus occîdi meis.

L. Euolaticorum hominum? A. ita dico quidem.

L. An obſecro uſquam ſunt homines uolatici?

A. Fuêre: uerùm ego interfeci. L. quomodo
Potuiſti? A. dicam, uiſcum legioni dedi,
Fundasq́; eos proſternebam, ut folia Farfari.

L. Quoi rei? A. ne ad fundas his uiſcus adhæreſceret.

L. Perge, optume hercle periuras. quî poſtea?

A. In fundas infundebam grandiculos globos,
Ego illos uolanteis iuſsi funditarier.
Quid multa uerba? ut quenque uiſco offenderant,
Tam crebri ad terram decidebant, quàm pyra.
Vt quiſque ceciderat, eum necabat illico
Per cerebrum pinna ſuta, ſic quaſi turturem.

L. Si hercle iſtuc unquam factum eſt, tum me Iuppiter
Faciat, ut ſemper ſacruficem, nec unquam litem.

A. An mihi hæc non credis? L. credo ut mihi eſt æquom credere.

A. Age, eamus intrò, dum exta referuntur: uolo
Narrare tibi etiam unam pugnam. L. nihil moror.

A. Auſculta. L. non. A. hercle tuum iam elidam caput,
Niſi auſcultas, aut is hinc in malam crucem.

L. In malam crucem ibo potius. A. certúmne eſt tibi?

L. Certum. A. tum tu igitur die bono Aphrodiſijs
Addice tuam mihi meretricem minuſculam:
Ita res diuina mihi fit, & res ſerias
Omneis extollo ex hoc die in alium diem.
Profecto feſtos habeam, decretum eſt mihi.
Nunc hinc eamus intrò. L. ſequere hâc me. A. ſequor:
In hunc diem iam tuus ſum mercenarius.

ACTVS TERTIVS.

AGORASTOCLES, ADVOCATI.

AG. ITa me di ament, TARDO AMICO NIHIL eſt quicquam inæquius,

Præſertim homini amanti,qui quicquid agit,properat omnia.
Sicut ego hos duco aduocatos,homines ſpißigradiſſumos.
Tardiores multo,quàm corbitæ ſunt in tranquillo mari.
Atque equidem hercle dedita opera amicos fugitaui ſenes:
Sciebam ætate tardiores, metui meo amori moram.
Nequicquam hos patronos mihi elegi loripedes,tardiſſumos:
Qui,ſi ituri eſtis hodie,ite:aut ite hinc in malam crucem.
Siccine oportet ire amicos homini amanti operam datum?
Nam iſte quidem gradus ſuccretu'ſt cribro pollinario,
Niſi cum pedicis uos condidiciſtis hoc graſſari gradu.
AD. Heus tu,quanquam nos uidemur tibi plebei & pauperes,
Si nec recte dicis nobis diues de ſummo loco,
Diuitem audacter ſolemus mactare infortunio.
Nec tibi nos obnoxij ſumus,iſtic quid ames,aut oderis.
Cum argentum pro capite dedimus, noſtrum dedimus,nō tuum.
Liberos nos eſſe oportet. nos te nihili pendimus:
Ne tuo nos amori ſeruos eſſe addictos cenſeas.
Liberos homines per urbem modico magis par eſt gradu
Ire, SERVILE ESSE DVCO feſtinantem currere:
Præſertim in re populi placida,atque interfectis hoſtibus
Non decet tumultuari. ſed ſi properabas,magis
Pridie te nos aduocatos huc duxiſſe oportuit.
Ne tu opinere,haud quiſquam hodie noſtrum curret per uias:
Neque nos populus pro ceritis inſectabit lapidibus.
AG. At ſi prandium me in ædem uos dixiſſem ducere,
Vinceretis ceruom curſu,uel gralatorem gradu.
Nunc uos quia mihi aduocatos dixi, & teſteis adducere,
Podagroſi eſtis, ac VICISTIS COCLEAM tarditudine.
AD. At uerò non iuſta cauſſa eſt,quo curratur celeriter
Vbi bibas,edas de alieno quantum uelis uſque affatim,
Quod tu inuitus nunquam reddas domino de quo ederis,
Sed tamen quomodocunque,quanquam ſumus pauperculi,
Eſt domi quod edimus,ne nos tam contemptim conteras.
Quicquid eſt pauxillulū illuc noſtrum, id nobis omne intus eſt.

Neq;

Neque nos quenquam flagitamus, neq; nos quiſquam flagitat.
Tua cauſſa nemo noſtru'st ſuos rupturus ramices.
AG. Nimis iracundi eſtis quidem, hæc uobis dixi per iocum.
AD. Per iocum item dictum habeto, quæ nos tibi reſpondimus.
AG. Obſecro hercle opera hac celocem mihi, ne corbitam date.
Ac trepidate ſaltem: nam uos approperare haud poſtulo.
AD. Si quid tu placide, otioſéq; agere uis, operam damus.
Si properas, curſores meliu'ſt te aduocatos ducere.
AG. Scitis rem, narraui uobis, quod ueſtra opera opus ſiet:
De lenone hoc, qui me amantem ludificatur tam diu,
Ei paratæ ut ſint inſidiæ de auro & de ſeruo meo.
AD. Omnia iſtæc ſcimus iam nos: ſibi ſpectatores ſciant:
Horum hic nunc cauſſa agitur, hæc ſpectatorum fabula:
Hoſce ſatius eſt docere, ut quando agas, quid agam, ſciant.
Nos tu ne curaſſis, ſcimus rem omnem, quippe omnes ſimul
Didicimus, tecum unà ut reſpondere poſſimus tibi.
AG. Ita profecto eſt. ſed agite igitur, ut ſciam uos ſcire, rem
Expedite: & mihi, quæ dudum uobis dixi, dicite.
AD. Itáne tentas, an ſciamus nos meminiſſe noſtra,
Quomodo trecentos Philippeos Colabiſco uillico
Dederis, quos deferret huc ad lenonem inimicum tuum:
Iſq; ſe ut aſſimularet peregrinum eſſe aliunde ex alio oppido:
Vbi is detulerit, tu eò quæſitum ſeruom aduenies tuum
Cum pecunia? AG. meminiſtis memoriter: ſeruaſtis me.
AD. Ille negabit, Milphionem quæri cenſebit tuum:
Adduplicabit omne furtum, leno addicetur tibi:
Ad eam rem nos eſſe teſteis uis tibi? AG. tenetis rem.
AD. Vix quidem hercle, ita pauxilla eſt digitulis primoribus.
AG. Hoc cito & curſim eſt agendum: properate iam quantum poteſt.
AD. Bene uale igitur, te aduocatos melius celereis ducere.
Tardi nos ſumus. AG. optume itis, peſſume hercle dicitis.
Quin etiam deciderint uobis fœmina in talos uelim.
AD. At ædepol nos tibi in lumbos linguam, atque oculos in ſolum.

Eia

AG. Eia haud uoſtrum eſt iracundos eſſe, quod dixi ioco.
AD. Nec tuum quidem eſt, amicis per iocum iniuſte loqui.
AG. Mittite iſtæc: quid uelim uos ſcitis. AD. callemus probe:
Lenonem periurum ut perdas, id ſtudes. AG. tenetis rem.
Ecce opportune egrediuntur Milphio unà & uillicus:
Baſilice exornatus incedit, & fabre ad fallaciam.

MILPHIO, COLABISCVS, uillicus.
AGORASTOCLES, ADVOCATI.

M. IAm tenes præcepta in corde? C. pulchre. M. uide ſis calleas.
C. Quid opu'ſt uerbis? callum aprugnum callere æque non ſinam.
M. Fac modo ut conducta tibi ſint dicta ad hanc fallaciam.
C. Quin ædepol ſum indoctior, quàm in tragœdia comici.
M. Probus homo es. AG. adeam propius, adſunt teſtes. M. tot quidē
Non potuiſti adducere homines magis ad hanc rem idoneos.
Nam iſtorum nullus nefaſtu'ſt, comitiales ſunt meri.
Ibi habitant: ibi eos conſpicias, quàm prætorem ſæpius.
Hodie doctiores non ſunt, qui lites creant, quàm hi ſunt:
Qui ſi nihil eſt litium, lites ſerunt. AD. di te perdant.
M. Vos quidem ego hercle commendo, quom, qui qui, tamen
Et bene et benigne facitis, quom hero amanti meo operā datis.
Sed iſti iam ſciunt negotij quid ſit? AG. omnem rem ordine.
M. Tum uos animum aduortite igitur. hunc uos lenonem Lycum
Nouiſtis? AD. facile. C. at ego pol eum qua ſit facie neſcio,
Eum uolo mihi hominem demonſtretis. AD. nos curabimus,
Satis præceptum. AG. hic trecentos nummos numeratos habet.
AD. Ergo nos inſpicere oportet iſtuc aurum Agoraſtocles:
Vt ſciamus quid dicamus mox pro teſtimonio.
AG. Agite, inſpicite, aurum eſt. C. profecto ſpectatores comicum,
Macerato hoc pingues fiunt auro in barbaria boues.
Verùm ad hanc rem agundam Philippeum eſt. AD. ita nos aſſimulabimus.
C. Sed ita aſſimulatote, quaſi ego ſim peregrinus. AD. ſcilicet,
Et quaſi tu nobiſcum quid aduenicns hodie oraueris,

Liberum ut commonſtraremus tibi locum, & uoluptarium,
Vbi ames, potes, pergræcere. M. heu, ædepol mortales malos.
AG. Ego enim docui. M. quis te porrò? C. agite, intrò abite Agoraſtocles,
Ne hic uos mecum conſpicetur leno, neu fallaciæ
Præpedimentum obijciatur. M. hic homo ſapienter ſapit.
AD. Facite quod lubet. AG. abeamus. ſed uos, ſatis dictu'ſt? C. abi.
AG. Abeo. quæſo dij immortales. C. quin abis? AG. abeo. M. ſapis.
C. St, tace. AD. quid eſt? C. hæ fores fecerunt magnum flagitium
Modo, AD. qd flagitij eſt? C. crepuerũt clare. AD. di te perduint.
Pone nos recede. C. fiat. AD. nos priores ibimus.
C. Faciunt ſcurræ quod conſuerunt, pone ſeſe homines locant.
AD. Illic homo eſt qui egreditur leno. C. bonu'ſt: nam ſimilis malus eſt.
Iam nunc ego illi egredienti ſanguinem exugam procul.

LYCVS, ADVOCATI, COLABISCVS.

L. IAm iſtuc ego reuortar miles: conuiuas uolo
Reperire nobis commodos unà ſient:
Interibi attulerint exta, atque eadem mulieres
Iam ab re diuina credo apparebunt domi.
Sed quid huc tantum hominum incedunt? ecquid nam afferunt?
Et ille chlamydatus quiſnam eſt, qui ſequitur procul
Aetolica ueſte? A. ſalutamus te Lyce,
Quanquam hanc ſalutem ferimus inuiti tibi,
Et quanquam bene uolumus leuiter lenonibus.
L. Fortunati omnes ſitis, quod certe ſcio
Nec fore, nec per fortunam, etſi ſaturam fieri.
A. ISTIC EST THESAVRVS ſtultis in lingua ſitus,
Vt quæſtui habeant male loqui melioribus.
L. VIAM QVI NESCIT, qua deueniat ad mare,
Eum oportet amnem quærere comitem ſibi.
Ego male loquendi uobis neſciui uiam:
Nunc uos mihi amnes eſtis, uos certum eſt ſequi.
Si benedicetis, uoſtra ripa uos ſequar:

Si ma-

Si maledicetis: uoſtro gradiar limite.

A. MALO BENEFACERE tantundem eſt periculum,
Quantum bono malefacere. L. quî uerò? A. ſcies.
MALO SI BENEFACIAS, id beneficium interit:
Bono ſi quid malefacias, ætatem expetit.

L. Facete dictum: ſed quid iſtuc ad me attinet?

A. Quia nos honoris tui cauſſa huc ad te uenimus:
Quanquam bene uolumus leuiter lenonibus.

L. Siquid boni apportatis, habeo gratiam.

A. Boni de noſtro tibi nec ferimus nec damus,
Neque pollicemur, neque adeò uolumus datum.

L. Credo hercle uobis, ita uoſtra eſt benignitas.
Sed quid nunc uoltis? A. hunc chlamydatum quem uides,
Ei Mars iratus eſt. L. capite uoſtro iſtuc quidem.

A. Hunc nunc Lyce ad te diripiendum adducimus
Cum præda. hic hodie incedit uenator domum,
Canes compellunt in plagas lepide Lycum.

L. Quis hic eſt? A. neſcimus nos iſtum quidem qui ſiet,
Niſi dudum à mane ut ad portum proceſſimus,
Atque iſtum è naui nos exeuntem oneraria
Vidimus, is adijt ad nos extemplo exiens:
Salutat: reſpondemus. C. mortaleis malos,
Vt ingrediuntur docte in ſycophantiam?

L. Quid deinde? A. ſermonem nobiſcum ibi copulat,
Ait ſe peregrinum eſſe, huius ignarum oppidi,
Locum ſibi uelle liberum præberier,
Vbi nequam faciat: nos hominem ad te adduximus.
Tu, ſi te di ament, agere tuam rem occaſio eſt.

L. Itane ille eſt cupiens? A. aurum habet. L. præda hæc mea eſt.

A. Potare, amare uolt. L. locum lepidum dabo.

A. At enim clam, furtim hic eſſe uolt, ne qui ſciant,
Neue arbiter ſit. nam hic latro in Sparta fuit,
Vt quidem ipſe nobis dixit, apud regem Attalum,
Inde nunc aufugit, quoniam capitur oppidum.

C. Nimis lepide de latrone, de Sparta optume.
L. Di deæq; uobis multa bona dent, cum mihi
Et bene præcipitis, & bonam prædam datis.
A. Imò, ut ipſe nobis dixit, quo accures magis,
Trecentos nummos philippeos portat præ ſibi.
L. Rex ſum, ſi ego illum hodie hominem ad me allexero.
A. Quin hic quidem tuus eſt. L. obſecro hercle hortamini
Vt deuortatur ad me in hoſpitium optumum.
A. Neque nos hortari, neque dehortari decet
Hominem peregrinum: tuam rem tu ages, ſi ſapis.
Nos tibi palumbem ad aream uſque adduximus:
Nunc te illum melius capere, ſi captum eſſe uis.
L. Iámne itis? C. quid quod uobis mandaui hoſpites?
A. Cum illoc te melius tuam rem adoleſcens loqui:
Illic eſt ad iſtas res probus, quas quæritas.
C. Videre equidem uos uellem, cum huic aurum darem.
A. Illinc procul nos iſtuc inſpectabimus.
C. Bonam dediſtis mihi operam. L. it ad me lucrum.
C. Illud quidem, quorſum aſinus cædit calcibus.
L. Blande hunc hominem compellabo. hoſpes hoſpitem
Salutat: ſaluom te aduenire gaudeo.
C. Multa tibi di dent bona, quom me ſaluom eſſe uis.
L. Hoſpitium te aiunt quæritare. C. quærito.
L. Ita illi dixerunt, qui hinc à me abierunt modo,
Te quæritare à muſcis. C. minime gentium.
L. Quid ita? C. quia à muſcis ſi mihi hoſpitium quærerem,
Aduenien huc irem in carcerem recta uia.
Ego id quæro hoſpitium, ubi ego curer mollius,
Quàm regi Antiocho curari hoſpites ſolent.
L. Aedepol næ tibi poſſum illum feſtiuom dare,
Si quidem poteris eſſe pati in lepido,
In lecto lepide ſtrato, lepidam mulierem
Complexum contrectare. C. rectam is leno uiam.
L. Vbi tu Leucadio, Lesbio, Thaſio, Choo,

Vetuſta-

Vetuſtate, uino edentulo, ætatem irriges,
Ibi te replebo uſque unguentorum è zeugmatis.
Quid multa uerba faciam? ubi tu laueris, ibi
Vt balneator faciat unguentariam.
Sed hæc latrocinamur quæ dixi ego omnia.
C. Quid ita? L. quia aurum poſcunt præſentarium.
C. Quin hercle accipere tu non mauis, quàm ego dare.
L. Quin ſequere me intrò. C. duc me ergo intrò, addictum tenes.
A. Quid ſi foras euocemus huc Agoraſtoclem,
Vt ipſe teſtis ſit ſibi certiſſumus?
Heus tu qui furem captas, egredere ocyus,
Vt tu te inſpectes aurum lenoni dare.

AGORASTOCLES, adoleſcens, & eidem.

AG. Quid eſt? quid uoltis teſtes? AD. ſpecta ad dexteram,
Tuus quom ſeruos aurum ipſi lenoni dabit.
C. Age, accipe hoc ſis, hic ſunt numerati aurei
Trecenti nummi, qui uocantur Philippei.
Hinc me procura, propera, hoſce abſumi uolo. L. ædepol fecisti prodigum promum tibi.
Age, eamus intrò. C. te ſequor. L. age age ambula,
Ibiq; reliqua alia unà fabulabimur.
C. Equidem narrabo tibi res Spartiaticas.
L. Quin ſequere me ergo. C. abduc intrò, addictum tenes.
AG. Quid nunc mihi authores eſtis? AD. ut frugi ſies.
AG. Quid ſi animus eſſe non ſinit? AD. eſto ut ſinit.
AG. Vidiſtis, leno cum aurum accepit? AD. uidimus.
AG. Eum, uos eſſe meum ſeruom ſcitis? AD. ſcimus.
AG. Rem aduorſus populi leges eſſe? AD. ſciuimus.
AG. Hem iſtæc uolo ergo uos commeminiſſe omnia,
Mox ad prætorem quom uſus ueniet. AD. meminimus.
AG. Quid ſi recenti re ædeis pultem? AD. cenſeo.
AG. Si pultem, non recludet. AD. pede frangito.
AG. Si exierit leno, cenſetis hominem interrogem,
Meus ſeruos ſi ad eum uenerit, nécne?

AD. *Cum auri ducentis nummis Philippis quippini.*
Ibi éxtemplo leno errabit. AG. *qua de re?* AD. *rogas? quia centũ*
Nummis minus dicetur. AG. *bene putatis,*
Alium cenſebit quæritari. AD. *ſcilicet,*
Extemplo denegabit, iuratus quidem,
Homo furti ſe adſtringet. AG. *haud dubium id quidem,*
Quantumcunque ad eum erit delatum. AD. *quippini?*
AG. *Dieſpiter uos perduit.* AD. *te quippini?*
AG. *Ibo, & pultabo ianuam.* AD. *ita, quippini?*
AG. *Tacendi tempus eſt: nam crepuerunt fores:*
Foras egreditur, uidete lenonem Lycum.
Adeſte quæſo. AD. *quippini, quin ſi uoles:*
Operire capita, ne nos leno uiderit,
Quandò illi malæ rei antè fuimus illices.

LYCVS, *leno.* AGORASTOCLES, ADVOCATI.

L. *SVſpendam omnes nunc iam ſeſe haruſpices:*
Quid ego illis poſthac quod loquamur creduam?
Qui in re diuina dudum dicebant mihi
Malum, damnumq́; maxumum portendier:
Iis explicaui meam rem poſt illa lucro.
AG. *Saluos ſis leno.* L. *di te ament Agoraſtocles.*
AG. *Magis me benigne nunc ſalutas, quàm antidhac.*
L. *Tranquillitas euenit quaſi naui in mari:*
Vtcunque eſt uentus, exin' uelum uortitur.
AG. *Valeant apud te quos uolo, atque haud te uolo.*
L. *Valeant ut poſtulatum eſt, uerùm non tibi.*
AG. *Mittit ad me, ſi audies, hodie Adelphaſium tuam*
Die feſto, celebri, nobiliq́; Aphrodiſijs.
L. CALIDVM *prandidiſti prandium hodie? dic mihi.*
AG. *Quid iam?* L. *quia hoc nunc frigefactas cum rogas.*
AG. *Hoc agesis leno, ſeruom eſſe audiui meum*
Apud te. L. *apud me? nunquam factum reperies.*
AG. *Mentire: nam ad te uenit, aurumq́; attulit.*
Ita mihi renuntiatum eſt, quibus credo ſatis.

L. Malus es, captatum me aduenis cum teſtibus:
Tuorum apud me nemo, nec quicquam tui.
AG. Mementote illuc aduocati. AD. meminimus.
L. Ha ha he, iam teneo quid ſit, perſpexi modo.
Hi qui illum dudum conciliauerunt mihi
Peregrinum Spartanum: id nunc hiſce credo auditum,
Me eſſe hos trecentos philippos facturum lucri.
Nunc hunc, inimicum quia eſſe ſciuerunt meum,
Adlegauerunt, ſuum qui ſeruom diceret
Cum auro eſſe apud me. compoſita eſt fallacia,
Vt eo me priuem, atque inter ſe diuidant.
LVPO AGNVM ERIPERE poſtulant: nugas agunt.
AG. Negáſne apud te eſſe aurum, nec ſeruom meum?
L. Nego: & negando ſi quid refert, aio.
AD. Periſti leno: nam iſte eſt huius uillicus,
Quem tibi nos eſſe Spartiatem diximus,
Qui ad te trecentos modo philippos detulit.
Idq; adeò in iſtoc aurum ineſt marſupio.
L. Væ uoſtræ ætati. AD. id quidem in mundo nunc eſt tuæ.
AG. Age, omitte actûtum furcifer marſupium.
Manifeſtò fur es. mihi quæſo hercle operam date,
Dum me uideatis ſeruom ab hoc abducere.
L. Nunc pol ego peri certo, haud arbitrario.
Conſulto hoc factum eſt mihi, ut inſidiæ fierent.
Sed quid ego dubito fugere hinc in malam crucem,
Prius quàm obtorto collo ad prætorem trahor?
He heu quàm ego nunc habui hariolos haruſpices?
Qui ſi quid boni promittunt, pro ſpiſſo euenit.
Id quod mali promittunt, præſentarium eſt.
Nunc ibo: amicos conſulam, quo me modo
Suſpendere æquom cenſeant potiſſumum.

AGORASTOCLES, COLABISCVS.
ADVOCATI.

AG. AGe tu, progredere, ut teſtes uideant, te ire iſtinc foras.

Eſt'ne hic ſeruos meus? C. ſum mehercle uerò Agoraſtocles.
AG. Quid nunc ſceleſte leno? AD. abſceſſit quicum litigas.
AG. Vtinã hinc abiret in malã crucem. AD. ita nos uelle æquom eſt.
AG. Cras ſubſcribam homini dicam. C. numquid me uis cæterum,
An abſcedam hinc? AG. abſcedas: ſumas ornatum tuum.
C. Non ſum nequicquam miles factus, paululum
Prædæ intus feci: dum lenonis familia
Dormitat, extis ſum ſatur factus probè.
Abſcedam hinc intrò. AG. factum à uobis comiter,
Bonam dediſtis aduocati operam mihi.
Cras mane quæſo in comitio eſtote obuiam.
Tu ſequere me intrò, uos ualete. AD. & tu uale.
Iniuriam illic inſignite poſtulat:
Noſtro ſibi ſeruire nos cenſet cibo.
VERVM ITA SVNT omnes iſti noſtri diuites:
Siquid benefacias, leuior pluma eſt gratia:
Si quid peccatum'ſt, plumbeas iras gerunt.
Domos abeamus noſtras ſultis nunc iam:
Quandò id, quòd iræ operam dedimus, impetrauimus,
Vt perderemus corruptorem ciuium.

ACTVS QVARTVS.

MILPHIO, ſeruos.

EXpecto quo pacto meæ technæ proceſſuræ ſient.
Studeo lenonem perdere hunc: ut meum herum miſerum macerat?
Is autem porrò uerberat me, incurſat pugnis, calcibus.
SERVIRE AMANTI miſeria eſt: præſertim q, quod amat, caret.
At at è fano recipere uideo ſe Syncerastum Veneris
Lenonis ſeruom. quid habeat ſermonis auſcultauero.

SYNCERASTVS, MILPHIO, ſerui.

S. SAtis ſpectatum eſt, deos atque homines eius gratiam
Neglegere, quoi homini herus eſt conſimilis, uelut ego habeo,

Neque periurior, neq; peior alter uſquam eſt gentium,
Quàm herus meus eſt, neq; tam luteus, neq; tam cœno collitus.
Ita me di ament, in latomijs, uel in piſtrino mauelim
Agere ætatem præpeditus latera forti ferro meam,
Quàm apud lenonem hunc ſeruitutem colere. quid illuc genu'ſt?
Quæ illic hominum corruptelæ ſunt? di uoſtram fidem,
Quoduis genus ibi hominum uideas, quaſi Acheromtem ueneris,
Equitem, peditem, libertinum, furem, aut fugitiuom uelis,
Verberatum, uinctum, addictum, qui habet quod illi det modo,
Vt homo eſt, omnia genera hominum recipiuntur. itaque
Totis ædibus tenebræ, latebræ, bibitur, eſtur quaſi
In popina, haud ſecus tu uideas litteratas ibi epulas
Pice ſignatas, nomina inſunt cubitum longis litteris,
Ita uinariorum habemus noſtræ delectum domi.

M. Omnia ædepol mira ſunt ne ſi herus hunc hæredem facit.
Nam id quidem eſt illi meditatus, uerba facit emortuo.
Et adire lubet hominem: equidem nimis cum auſculto lubens.

S. Hæc cum hic uideo, crucior precijs emptos maxumis,
Apud nos expeculiatos ſeruos fieri. ſed ſi uideris,
Ad poſtremum apparet nihil. MALE PARTVM, MALE DISPERIT.

M. Proinde habet orationem, quaſi ipſe ſit frugi bonæ,
Qui hercle ipſus ignauiorem potis eſt facere ignauiam.

S. Nunc domum hæc ab æde Veneris refero uaſa, ubi hoſtijs
Herus nequiuit Venerem ſuo propitiare feſto die.

M. Lepidam Venerem. S. nam meretrices noſtræ primis hoſtijs
Venerem placauêre éxtemplo. M. ô lepidam Venerem denuo.

S. Nunc domũ ibo. M. heus Synceraſte. S. Syncerastum qui uocat?

M. Tuus amicus. S. haud amice facis, quoi cum onere offers moram.

M. At ob hanc rem tibi reddam ubi uoles, ubi iuſſeris. S. habe
Rem pactam ſic futurum, ſi do tibi operam hanc modo.

M. Vt enim, ubi mihi uapulandum eſt, tu corium ſufferas. S. apage,
Neſcio quid uiri ſis. M. malus ſum. S. tibi ſis. M. te uolo. S. at urget onus.

M. At tu appone, & reſpice ad me. S. fecero, quanquam haud otium eſt.
M. Saluos ſis Synceraſte. S. ô Milphio di omnes deæq; ament.
M. Quemnam hominẽ? S. nec te Milphio neq; herum adeò meum.
M. Quem ament igitur? S. aliquẽ. nam noſtrorum nemo dignus eſt.
M. Lepidum eloquere. S. me decet. M. quid nunc agis?
S. Facio quod manifeſto deprenſi mœchi haud ferme ſolent.
M. quid id eſt? S. refero uaſa ſalua. M. di te et tuũ herum perduint.
S. Me non perdant: illum ut perdant facere poßim, ſi uelim. M. (quem?
S. Meum herum ut perdant, ni mihi metuam Milphio.
M. quid id eſt, cedo.
S. Malus es. M. malus ſum. S. male mihi eſt memorandum, eſſe aliter decet.
M. Quid eſt quod male ſit, quoi id omne ſit, quod edis, quod ames affatim,
Neque triobolum ullum amicæ das, & eam ductas gratis?
S. Dieſpiter ſic me amabit. M. ut quidem ædepol dignus es.
S. Vt ego hanc familiam interire cupio. M. adde operam, ſi cupis.
S. SINE PENNIS VOLARE, haud facile'ſt: meæ alæ pennas non habent.
M. Noli te ædepol deuelliſſe: his duobus menſibus
Volucres tibi erunt hircinæ. S. i in malam rem. M. i tu, atque herus tuus.
S. Verùm enim qui bene eum norit, cito homo exuorti poteſt.
M. Quid iam? S. quaſi tu tacere quicquam potis ſis rectius.
M. Tacitus rem ſiſtam tibi, quàm quod dictum eſt mulieri malæ.
S. Animum inducam, facile iſtuc tibi ut credam, ni te nouerim.
M. Audacter meo periculo. S. male credam, & credam tamen.
M. Scin' tu herum tuum meo hero eſſe inimicum capitalem? S. ſcio,
Propter amorem. M. omnem operam perdis. S. quid iam? M. quia DOCTVM DOCES.
Quid ergo dubitas quin lubenter tuo hero meus
Herus quid poßiet facere, faciat merito eius, male?
Tum autem ſi quid tu adiuuas, eo facilius facere poteſt.

S. At ego hoc metuo. M. quid eſt quod metuas? S. dum hero inſidias parem,
Ne à te perdar. ſi me herus meus eſſe locutum quoiquam ſciat
Mortali, continuo is me exynceraſtum fecerit.

M. Nunquam ædepol mortalis quiſquam fiet me certior,
Niſi hero meo uni indicaſſo: atque ei quoque ut non enuntiet,
Id eſſe facinus ex te ortum. S. male credam, & credam tamen.
Sed hoc tu tecum tacitum habeto. M. fidei non melius creditur.
Loquere, locus occaſioq; eſt: libere: hic ſoli ſumus.

S. Herus ſi tuus uolet facere frugem, meum herum perdet. M. quî id poteſt?

S. Facile. M. fac ergo id facile noſcam, ille ut poßit noſcere.

S. Quia Adelphaſium, quam herus deamat tuus, ingenua eſt. M. quomodo?

S. Eodem quo ſoror illius altera Antheraſtilis.

M. Quî id credam? S. quia illas emit in Anactario paruolas.

M. Quanti? S. duodeuiginti minis de prædone Siculo.

M. Quanti? S. duodeuiginti minis. M. duas illas? S. nutricem earum tertiam.
Et qui eas uendebat, dixit ſe furtiuas uendere:
Ingenuas Carthagine aiebat eſſe. M. di uoſtram fidem:
Si uera hæc ſunt, nimium lepidum mihi memoras facinus:
Nam herus meus Agoraſtocles ibidem gnatus eſt.
Inde ſurreptus ferè ſexennis. pòſt, ibi qui eum ſurpuit,
Huc deuexit, meoq; tum hero eum hic uendidit.
Is in diuitias homo adoptauit hunc, cum diem obit ſuum.

S. Omnia memoras, quo id facilius fiat, manu eas aſſerat
Suas popularis liberali cauſſa. M. tace modo:
Profecto ad incitas lenonem rediget, ſi abduxerit.
Quin prius diſperibit faxo, quàm unum calicem ſiuerit:
Ita paratum eſt. S. ita di faxint, ne apud lenonem hunc ſeruiam.

M. Quin hercle collibertus meus faxo eris, ſi di uolent.

S. Ita di faxint. num quid aliud memorare Milphio?

M. Valeas, beneq; ut tibi ſit. S. pol iſtuc tibi, & tuo hero eſt in manu.

Vale

Vale, et hæc cura, clanculũ ut ſint dicta. M. non dictum eſt. uale.

S. At enim nihil eſt, niſi dum calet, hoc agitur. M. lepidus quom mones,

Et ita hoc fiet. S. PROBA MATERIA'ST, ſi probum adhibes fabrum.

M. Potin' ut taceas? S. taceo, atq; abeo. M. mihi commoditates creas.
Illic hinc abit. di immortales meum herum ſeruatum uolunt,
Et hunc diſperditum lenonem: tantum inſtat eum exitij.
Satine? prius quàm unum iniectum telu'ſt, tum inſtat alterum.
Ibo imrò, hæc ut meo hero memorẽ: nã huc ſi ante ædes ſeuocẽ,
Et quæ audiuiſtis modo, nunc ſi eadem hic iterem, inſcitia'ſt.
Hero uni potius inius ero odio, quàm hic ſim omnibus uobis.
Dij immortales per me quanta aduenict calamitas
Hodie ad hunc lenonem. ſed ego nunc cur hic me morer?
Id negotium inſtitutum, non datur ceſſatio.
Nam & hoc nocte conſulendum, quod homini concreditu'ſt,
Et illud autem inſerendu'ſt conſilium uernaculum.
Verùm ſi ſit qui malam rem mihi det, merito fecerit.
Nunc imrò ibo: dum herus adueniat à foro, opperiar domi.

ACTVS QVINTVS.

HANNO Pœnus loquitur punice.

NYthalonim ualon uthſi corathiſima comſyth
Chymlach cunyth mumys tyal mycthibarij imiſchi
Lipho canet hyth bynuthij ad ædin bynuthij
Byrnarob ſyllo homalonin uby miſyrthoho
Bythlym mothyn noctothij uelechanti daſmachon
Yßidele brim thyfel yth chylys chon, tem. liphul
Vth bynim yſdibur thynno cuth nu Agoraſtocles
Ythe maneth ihy chyrſae lycoth ſith naſo
Bynni id chil luhili gubulin laſibit thym
Bodyalyt herayn nyn nuys lym moncoth luſim
Exanolim uolanus ſuccurratim miſti atticum eſſe
Concubitum à bello cutim beant lalacant chona enus es

Huiec ſilic paneſſe athidamaſcon alen induberte felono buthume
Celtũ comucro lueni, at enim auoſo uber hent hyach ariſtoclem
Et te ſe aneche naſoctelia elicos alemus duberter mi cõps ueſpti
Aodeanec lictor bodes iuſſum limnimcolus.
Deos deasq́; ueneror, qui hanc urbem colunt, ut quod de meare
Huc ueniri te uenerim, measq́; ut gnatas & mei fratris filium
Reperirem, eſiritis, di uoſtram fidem, quæ mihi ſurreptæ ſunt.
Et fratris filium, qui mihi antehac hoſpes Antidamas fuit,
Eum feciſſe aiunt, ſibi quod faciundum fuit: eius filium
Hic prædicant eſſe Agoraſtoclem. deum hoſpitalem ac teſſaram
Mecum fero. in hiſce habitare monſtratu'st regionibus.
Hos percunctabor, qui huc egrediuntur foras.

AGORASTOCLES, MILPHIO, POENVS.

A. AIn' tu tibi dixiſſe Syncerastum Milphio,
Has eſſe ingenuas ambas ſurruptitias
Carthaginienſeis? M. aio: &, ſi frugi eſſe uis,
Eas liberali iam adſeres cauſſa manu.
Nam tuum flagitiu'st, tuas populareis te pati
Seruire ante oculos, domi quæ fuerunt liberæ.
P. Proh di immortales obſecro uoſtram fidem,
Horum profecto certa est hominum oratio,
Quam orationem hanc aures dulces deuorant.
Vt mihi abſterſerunt omnem ſorditudinem?
A. Si ad eam rem teſteis habeam, faciam quod iubes.
M. Quid tu mihi teſtes? quin tu inſiſtis fortiter?
Aliqua fortuna fuerit adiutrix tibi.
A. INCIPERE MVLTO est, quàm impetrare, facilius.
M. Sed quænam illæc auis est, quæ huc cum tunicis aduenit?
A. Num nam it à balineis circunductus pallio?
Facies quidem ædepol ingenua est.
M. Seruos quidem ædepol, antiquosq́; mores habet.
A. Quî ſcis? M. uidén' homini ſarcinatos conſequi?
Atque ut opinor, digitos in manibus non habent.
A. Quid iam? M. quia incedunt cum annulatis auribus.

Adibo:

Adibo: atque hoſce appellabo punice.
Si reſpondebunt, punice pergam loqui:
Si non, tum ad horum mores linguam diuortero.
Quid ais tu? ecquid adhuc commeminiſti punice?
A. Nihil ædepol: nam quî ſcire potui, dic mihi,
Qui illic ſexennis perierim Carthagine?
P. Proh dij immortales, ut quamplurimi ad hunc modum
Periere pueri liberi Carthagine?
M. Quid ais tu? A. quid uis? M. uin' ut appellem hunc punice?
A. An ſcis? M. quin nullus eſt me Pœnus Punior.
A. Adi, atque appella, quid uelit, quid uenerit,
Qui ſit, quoiatis, unde ſit: ne parſeris.
M. Auo, quoiates eſtis, aut quo ex oppido?
P. Hanno muthum balle beccha edre anech.
A. Quid ait? M. Hannonem ſeſe ait Carthagine
Carthaginenſem Muthum Ballis filium.
P. Auo. M. ſalutat. P. donni. M. doni uolt tibi dare
Hinc neſcio quid, audin' pollicerier?
A. Saluta hunc rurſus punice uerbis meis.
M. Auo, Hanno hic mihi tibi inquit uerbis ſuis.
P. Me barbocca. M. iſtuc ſit tibi potius, quàm mihi.
A. Quid ait? M. miſeram eſſe prædicat buccam ſibi:
Fortaſſe medicos nos arbitratur. A. ſi eſt, nega.
Nolo ergo errare hoſpitem M. auditu rufen nuco iſtam.
A. Sic uolo profecto uera huic cuncta expedirier.
Roga nunquid opus ſit. M. tu qui zonam non habes,
Quid in hanc ueniſtis urbem? aut quidnam quæritis?
P. Muphurſa. A quid ait? P. moinlec hianna. A. quid uenit?
M. Non audis? mures Africanos prædicat
In pompam ludis uelle dare ædilibus. P. lalech labcana ni liminicoht. A. quid nunc ait?
M. Lingulas canaleis ait ſe aduexiſſe, & nuces.
Nunc orat operam ut des ſibi, ut ea ueneant.
A. Mercator eſt? P. iſam. M. arbinã quidẽ. P. palũ erga dectha.

A. Milphio quid nunc ait? M. palas uendundas ſibi mergas datas
Vt ortum fodiat, atque ut frumentum metat:
Ad meßim credo, miſſus hic quidem tuam.
A. Quid iſtuc ad me? M. certiorem eſſe te uolui,
Nequid furtiue clàm accepiſſe cenſeas.
P. Muphonium ſucorem. M. hem caue ſi feceris,
Quod hic te orat. A. quid ait? aut quid orat? expedi.
M. Sub cratim ut iubeas ſeſe ſupponi, atque eo
Lapides imponi multos, ut ſeſe neces.
P. Gunebel balſamen craſan. A. narra quid eſt?
Quid ait? M. non hercle nunc quidem quicquam ſcio.
P. At ut ſcias nunc, dehinc latine iam loquar.
Seruom hercle te eſſe oportet & nequam & malum.
Hominem peregrinum atque aduenam qui irrideas.
M. At hercle te hominem & ſycophantam & ſubdolum.
Qui huc aduenisti nos captatum magdalia,
Biſulci lingua, quaſi proſerpens beſtia.
A. Maledicta hinc aufer, linguam compeſcas, tace.
Maledicere huic, tu temperabis, ſi ſapis:
Meis conſanguineis nolo te iniuſte loqui:
Carthagini ego ſum gnatus olim, ut ſis ſciens.
P. O mihi popularis, ſalue. A. & tu ædepol, quiſquis es.
Et ſi quid opus eſt, quæſo dic, atque impera
Popularitatis cauſſa. P. habeo gratiam.
Verùm ego hic unum hoſpitem habeo Antidamæ filium:
Quæſo commonſtres, ſi noviſti Agoraſtoclem.
A. Ecquem adoleſcentem tu hic nouiſti Agoraſtoclem?
Siquidem Antidamarchi quæris adoptatitium,
Ego ſum ipſus, quem tu quæris. P. hem quid audio?
A. Antidamæ gnatum me eſſe. P. ſi ita eſt, iam teſſeram
Confer ſi uis hoſpitalem: eccam attuli.
A. Agedum huc oſtende. eſt par probe: nam habeo domi.
P. O mi hoſpes ſalue multum: nam mihi tuus pater,
Pater tuus ergo mihi hoſpes Antidamas fuit.

Hæc

Hæc mihi hoſpitalis olim teſſara cum illo fuit.
A. Ergo hic apud me hoſpitium tibi præbebitur.
Nanq; haud repudio hoſpitium, neq; Carthaginem,
Vnde ſim oriundus. P. di dent tibi omnes, quæ uelis.
Sed quid ais? quî potuit fieri ut Carthagini
Gnatus ſis, hic autem habuiſti Aetolum patrem?
A. Surreptus ſum illinc, hic me Antidamas hoſpes tuus
Emit, & is pòſt me ſibi adoptauit filium.
P. Demarcho item ipſe fuit adoptatitius.
Sed mitto de illo nunc: ad te redeo. dic mihi,
Ecquid meminiſti tuûm parentum nomina?
A. Patris atque matris memini. P. memorandum mihi
Si noui forte, aut ſi ſunt cognati mihi.
A. Ampſigura mater mihi fuit: Iachon pater.
P. Patrem atque matrem uiuerent uellem tibi.
A. An mortui ſunt? P. factum, quod quidem ægre tuli.
Nam mihi ſobrina Ampſigura tua mater fuit.
Pater tuus is erat frater patruelis meus.
Et is me hæredem fecit, cum ſuum obijt diem:
Quo me priuatum patior ægre mortuo.
Sed ſi ita eſt, ut ſis Iachonis filius,
Signum eſſe oportet in manu læua tibi,
Ludenti puero quod momordit ſimia.
Oſtende. A. inſpice. P. iam aperi, atq; ades.
A. Mi patrue ſalue. P. & tu ſalue mi Agoraſtocles.
A. Iterum mihi gnatus uideor, quòd te repperi.
M. Pol iſtam rem uobis bene ueniſſe gaudeo:
Et te moneri nónne uis? P. ſanè uolo.
M. Paterna oportet reddi filio bona.
Aequom eſt habere hunc bona, quæ poſſedit pater.
P. Haud poſtulo aliter, reſtituentur omnia:
Suam rem ſibi ſaluam ſiſtam, ſi illò aduenerit.
M. Facito ſis reddas, etſi hic habitabit tamen.
P. Quin mea quoque iſtę habebit, ſi quid de me fuat.

Feſti-

M. Feſtiuom facinus uenit mihi in mentem modo.
P. Quid id eſt? M. tua eſt opus opera. P. dic mihi quid lubet:
Profecto utêris, ut uoles, operam meam.
Quid eſt negocij? M. potin' tu fieri ſubdolus?
P. Inimico poſſum, amico eſt inſipientia.
M. Inimicus hercle eſt huius. P. male faxim lubens.
M. Amat à lenone hic. P. facit id ſapienter, puto.
M. Leno hic habitat uicinus. P. male faxim lubens.
M. Ei duæ puellæ ſunt meretrices, ſeruolæ,
Sorores: earum hic alteram efflictim perit,
Neq; eam inceſtauit unquam. P. acerba amatio eſt.
M. Hunc leno ludificatur. P. ſuum quæſtum colit.
M. Hic illi malam rem dare uolt. P. frugi, ſi id facit.
M. Nunc hoc conſilium capio, & hanc fabricam apparo,
Vt te allegemus, qui filias dicas tuas,
Surruptasq; eſſe paruulas Carthagine:
Manuq; has liberali cauſſa ambas aſſeras,
Quaſi filiæ tuæ ſint ambæ. intellegis?
P. Intelligo hercle: nam mihi item gnatæ duæ
Cum nutrice unà ſurruptæ ſunt paruolæ.
M. Lepide hercle aßimulas, iam in principio id mihi placet.
P. Pol magis, quàm uellem. M. heu hercle mortalem catum,
Malum crudumq; & callidum, & ſubdolum,
Vt adflet, quo illud geſtu faciat facilius.
Me quoque dolis iam ſuperat architectonem.
P. Sed earum nutrix qua ſit facie, mihi expedi.
M. Statura haud magna, corpore aquilo. P. atqui ipſa ea'ſt.
M. Specie uenuſta, ore paruo, atque oculis pernigris.
P. Formam quidem hercle uerbis depinxiſti mihi.
M. Vin' eam uidere? P. filias malo meas.
Sed i, atque euoca illam: ſi eæ meæ ſunt filiæ:
Si illarum eſt nutrix, me continuo nouerit.
M. Heus ecquis hic eſt? nuntiate, ut prodeat
Foras Giddeneme: eſt qui illam conuentam eſſe uolt.

GIDDENEME, *nutrix.* HANNO, *pœnus.* MILPHIO. AGORASTOCLES. PVER.

G. *Quis pultat? M. qui te proximus eſt. G. quid uis? M. chò*
Nouiſtin' tu illunc tunicatum hominem qui ſiet?
G. *Nam quem nunc ego aſpicio? proh ſupreme Iuppiter,*
Meus herus quidem eſt, mearum alumnarum pater
Hanno Carthaginenſis. M. ecce autem mala.
Præſtigiator hic quidem Pœnus probus eſt,
Perduxit omneis ad ſuam ſententiam.
G. *O mi here ſalue Hanno inſperatiſſume mihi, tuiſq; filijs: ſalue: atque chò*
Mirari noli, neque me contemptarier,
Cognoſcin' tu Giddenemen ancillam tuam?
P. *Noui. ſed ubi ſunt meæ gnatæ? id ſcire expeto.*
A. *Apud ædem Veneris. P. quid ibi faciunt? dic mihi.*
A. *Aphrodiſia hodie Veneris eſt feſtus dies.*
Oratum ierunt deam, ut ſibi eſſet propitia.
G. *Pol, ſatis ſcio impetrarunt, quando hic hîc adeſt.*
A. *Ehò an huius ſunt illæc filiæ? G. ita ut prædicas.*
Tua pietas nobis planè auxilio fuit,
Cum huc adueniſti, atque hodie in ipſo tempore.
Nanque hodie earum mutarentur nomina,
Facerentq; indignum genere quæſtum corpore.
P. *Haudones, illi auon bene ſi illi in muſtine.*
G. *Me ipſi, & eneſte, dum & alumna ceſtinum.*
A. *Quid illi locuti ſunt inter ſe? dic mihi.*
M. *Matrem hic ſalutat hanc ſuam, hæc autem hunc filium.*
P. *Tace, atque parce muliebri ſupellectili.*
A. *Quæ ea eſt ſuppellex? P. clarus clamor. ſine modo,*
Tu abduc hos intrò, & unà nutricem ſimul
Iube hanc abire ad te. A. fac quod tibi imperat.
M. *Sed quis illas tibi monſtrabit? A. ego doctiſſume.*
M. *Abeo igitur. A. facias modò quàm memores, mauelim:*
Patruo aduenienti cœna curetur uolo.

Lacha-

P. Lachanam uos, quos. M. ego iam detrudam ad molas,
Inde porrò ad puteum, atq; robuſtum codicem.
Ego ſaxo hoſpitium hoc leniter laudabitis.
A. Audin' tu patrue? dico, ne dictum neges,
Tuam mihi maiorem filiam deſpondeas.
P. Pactam rem habeto. A. ſpondeſne igitur? P. ſpondeo.
A. Mi patrue ſalue: nam nunc es planè meus.
Nunc demum ego cum illa fabulabor libere.
Nunc patrue ſi uis tuas uidere filias,
Me ſequere. P. iamdudum equidem cupio, & te ſequor.
A. Quid ſi eamus illis obuiam? P. at ne inter uias
Præbiteramus eas metuo. magne Iuppiter
Reſtitue certas mihi ex incertis nunc opes.
A. Ego quidem amores meos mecum confido fore.
Sed eccas uideo ipſas. P. hæ ſunt meæ filiæ:
Quantæ è quantillis, iam ſunt factæ? AG. ſcin' quid eſt?
Cocleæ ſunt è teſta, ut ſe ſuſtolli ſolent.
M. Opinor hercle hodie quod ego dixi per iocum,
Id euenturum eſſe & ſeuerum, & ſerium,
Vt hæ inueniantur hodie eſſe huius filiæ.
AG. Pol iſtud quidem iam certum eſt, tu iſtos Milphio
Abduce intrò: nos haſce hic præſtolabimur.

ADELPHASIVM. ANTERASTILIS. AGORASTOCLES. HANNO, Pœnus.

AD. FVit hodie operæpretiũ eius, qui amabilitati animum addiceret,
Oculis epulas dare, delubrũ qui hodie ornatum eò uiſere uenit.
Deamaui ecaſtor illic ego hodie lepidiſsima munera meretricum,
Digna diua uenuſtiſsima Venere: neq; cõtẽpſi eius opes hodie,
Tanta ibi copia uenuſtatum aderat, ſuo quæq; loco ſita nitide:
Arabius murrhinuſq; omnis odor complebat. haud
Sordere uiſus eſt feſtus dies Venus, nec fanum tuum:

Tantus ibi clientarũ erat numerus, quæ ad Calidoniam uenerant Venerem.

Certo enim quod quidem ad nos duas attinuit, præpotentes ſoror fuimus,

Neq; ab iuuẽtute ibi in ridiculo habitæ, quod pol ſoror cæteris

Oĩbus factũ eſt. AN. malim iſtuc alijs uideatur, q̃ uti te ſoror

Collaudes. AD. ſpero equidem: & pol ego cum ingenijs, quibus ſumus, atque aliæ,

Cognoſco, eo ſumus gnatæ genere, ut deceat à culpa eſſe nos

Caſtas. P. Iuppiter qui genus colis, alisq; hominum per quem uiuimns

Vitale æuũ: quẽ penes ſpes, uitæq; ſunt hoĩm omniũ: dá diẽ hũc

Soſpitẽ quæſo rebus mis agũdis: & quibus annos multos carui,

* pa tria. Quasq; * prima perdidi paruas, redde his libertatẽ, præmiũ

Inuictæ ut eſſe ſciã pietati. AG. omnia faciet faxo Iuppiter.

Nam mihi eſt obnoxius, & me metuit. P. tace quæſo. AG. ne lachruma patrue.

AD. Vt uolupe'ſt homini mea ſoror, ſi quod agit, cluet uictoria:

Sicut hodie nos inter alias præſtitimus pulchritudine.

AN. Stulta ſoror es magis q̃ uolo, an uerò pulchra uidere obſecro,

Si tibi illic non os oblitum eſt fuligine? AG. ô patrue ô patrue,

Mi patruiſſume. P. quid eſt fratris mei gnate? quid uis? expedi.

AG. At enim uolo hoc agas. P. at enim ago iſtuc. AG. patrue mi patruiſſume.

P. Quid eſt? AG. eſt lepida & lauta, ut ſapit? P. ingenium patris habet, quod ſapit.

AG. Quæres iam diu ædepol ſapientiam tuam. P. ecquid

Abuſa eſt? AG. nunc hinc ſapit, hinc ſentit: quicquid ſapit, meo amore ſapit.

AD. Non eo ſumus genere prognatæ, tametſi ſumus ſeruæ ſoror,

Vt deceat facere nos quicquam quod hominũ quiſquã irrideat.

MVLTA SVNT MVLIERVM uitia: ſed hoc è multis unũ maxumum eſt,

Cum nimis placent, nimisq; operam dant, ut placeant uiris.

Nimiæ

Nimiæ uoluptati eſt quod in extis noſtris portentum eſt ſoror,
Quodq́; haruſpex de ambabus dixit. AG. uelim de me aliquid quod dixerit.

AD. Nos fore inuito domino noſtro diebus paucis liberas.
Id ego, niſi quid dij, aut parẽtes faxint, quid ſperem, haud ſcio.

AG. Mea fiducia hercle haruſpex patruelis promiſit ſcio
Libertatem: quia me ſcit hanc amare. AD. ſoror ſequere hâc. AN. ſequor.

P. Priuſquam abeunt, ſi uis clama has. AG. niſi piget, conſiſtite.

AD. Quis reuocat? AG. qui bene uolt uobis facere. AD. facere eſt occaſio.
Sed quis homo hic eſt? AG. amicus uobis. AD. qui quidem inimicus non eſt,
Bonus eſt hic homo. AG. mea uoluptas. AD. pol iſtum malim quàm malum.

AG. Siquidem amicitia eſt habenda, cum hoc habendum eſt. AD. haud precor.

AG. Multa bona uobis facere uolt. AD. bonus bonis benefeceris.

P. Gaudio ero uobis. AD. at nos ædepol uoluptati tibi.

P. Libertatiq́;. AD. iſto pretio tuas nos facile feceris.

AG. Patrue mi ita me di amabunt, ut ego ſi ſim Iuppiter,
Iam hercle ego illam uxorẽ ducam, & Iunonẽ extrudã foras.
Vt pudice uerba fecit, cogitatè, & commodè?
Vt modeſtè orationem præbuit? certò hæc mea eſt.
Sed ut aſtu ſum aggreſſus eas? P. lepidè hercle, atq; commodè.
Perge etiam, tenta: rem in pauca confer: ſitiunt qui ſedent.

AG. Quid iſtic, quod faciundum eſt, cur non agimus? illius os
Volo: nunc tene patrue. P. tu frugi ſi bonæ es. AG. uin' ego
Hanc apprehendã? AD. an patruus eſt Agoraſtocles tuus hic?

AG. Iam faxo ſcibis: nunc ego pol te ulciſcar probe:
Nam faxo mea eris ſponſa. P. ite in ius, ne moramini,

*AN * Anteſtare me, atq; duce. AG. ego te anteſtabor, poſtea
teſtã Hanc amabo, atq; amplexabo. ſed illud quidem uolui dicere,
te Imò dixi hercle, quod uolebam. P. moramini, in ius uos uoco:

Niſi

Niſi honeſtiu'ſt prehendi. AD. quid in ius uocas nos? quid tibi
Debemus? AG. dice illi. AD. etiámne meæ in me latrãt canes?

AG. At tu hercle alludiato, dato mihi pro offa ſauium,
Pro oſſe linguam obijcito: ita hanc ego canem faciam tibi oleo
Tranquilliorem. P. ite ſultis. AD. quid nos fecimus tibi?

P. Fures eſtis ambæ. AD. nósne tibi? P. uos inquam. AG. atque ego ſcio.

AD. Quî id furti eſt? AG. hunc rogato. P quia annos multos filias
Meas cælauiſtis clam me, atq; equidem ingenuas, liberas,
Summoq; genere gnatas. AD. nunquàm ecaſtor reperies
Tu iſtuc probrum penes nos. AG. da pignus, ni nunc peieres,
Sauium uter utri det. AD. nihil tecum ago, abſcede obſecro.

AG. Atq; hercle mecũ agendũ eſt tibi: nam hic patruus eſt meus:
Pro hoc patronus ſim neceſſe eſt: & prædicabo quo modo
Vos furta faciatis multa, quóq; modo huius filias
Apud uos habeatis ſeruas, quas ex patria liberas
Surruptas eſſe ſcitis. AD. ubi ſunt eæ? aut quas obſecro?
Satis iam maceratæ. P. quin eloquar. AG. cẽſeo ergo patrue.

AD. Miſera timeo quid hoc negocij ſit mea ſoror,
Ita ſtupida ſine animo aſto. P. aduortite animum mulieres
Primum ſi, id fieri poſſit, ne indigna indignis di darent.
Id ego euenire uellem. nunc quod boni mihi di danunt,
Vobis, uoſtræq; matri, eas dis eſt æquom gratias
Nos agere ſempiternas, cum noſtram pietatem approbant,
Decorantq; di immortales. uos meæ eſtis filiæ ambæ:
Et hic cognatus uoſter huiuſce fratris filius.

AD. Amabo num hi falſo oblectant gaudio nos? AG. at me ita
Di ſeruent, ut hic pater eſt uoſter: date actûtum manus.

AD. Salue inſperate nobis pater: te complecti nos ſine,
Te cupite, atq; expectate. AN. pater ſalue, ambæ filiæ
Sumus, amplectamur ambæ. AG. quis me amplectetur poſtea?

P. Nunc ego fortunatus, multorum annorum miſerias
Nunc hac uoluptate ſedo. AD. uix hoc uidemur credere.

P. Quî magis credatis dicam. nam uoſtra nutrix primulum

Me cognouit. AD. ubi amabo eſt? P. apud hunc eſt. AD. quæſo qui lubet
Tam diu tenere collum, priuſquam te mihi deſponderit?
AG. Omitto. AD. ſperate ſalue. AG. omitte ſalutem: amplectere.
AD. Nolo ego iſtuc, enicas. AG. condamus alter alterum
Ergo in neruom brachialem. quibus nunc in terra meliu'ſt?
AD. Eueniunt digna dignis. P. tandem huic cupitum contigit.
AG. O Appella, ô Zeuſis pictor, cur numero eſtis mortui,
Hinc exemplum ut pingeretis? nã alios pictores nihil moror.
P. Di deæq; omnes uobis habeo merito magnas gratias,
Quom hac me lætitia tanta, & tantis affeciſtis gaudijs,
Vt meæ gnatæ ad me redirent in poteſtatem meam.
AD. Mi pater tua pietas planè nobis auxilio fuit.
AG. Patrue in memoriam habeas, tuam maiorem filiam
Mihi te deſpondiſſe. P. memini, & dotis quid promiſerim.

ANTHEMONIDES, miles, & eidem.

AN. SI ego mnam non ultus fuero probe, quam lenoni dedi,
Tum profecto me ſibi habeant ſcurræ ludificis caucis:
Etiam me ad prandium ad ſe adduxit ignauiſſumus:
Ipſe abijt foras, me reliquit pro Atrienſi in ædibus.
Vbi nec leno, neq; illæ redeunt, nec quod edã, quicquam datur
Promere: partem prandij pignus cepi. abij foras.
Sic deriſorem ære militari tetigero lenunculum.
Nactus eſt hominem, mina quem argenti circunduceret.
Sed mea amica nunc mihi irato obuiam ueniat uelim:
*mo Iam pol ego illam pugnis totam faciam ut ſit * merulea,
rula. Ita replebo atritate, ut atrior multo ſiet,
Quàm Aegyptij, aut qui cortînam ludis per circum ferunt.
AN. Teneſis me arcte mea uoluptas, male ego metuo miluos:
Mala iſta beſtia eſt, ne forte me auferat pullum tuum.
Vt nequeo ſatis te complecti mi pater.
AN. Ego me moror propemodum, hoc obſonare prandium potero mihi.
Sed quid hoc eſt? qd hoc? quid hoc eſt? qd ego uideo? quo modo?

Quid hoc eſt conduplicationis? quæ hæc congeminatio?
Quis hic homo eſt cum tunicis longis, quaſi puer cauponius?
Satin' ego oculis cerno? eſtne illæc mea amica Anteraſtilis?
Et ea eſt certo. iampridem ego me ſenſi nihili pendier.
Non pudet puellam amplexari baliolum in media uia?
Iam ego hercle illum excruciandum totum carnufici dabo.
Sanè genus hoc mulieroſum eſt tunicis demiſitijs.
Sed adire certum eſt hanc adamatricem Aphricam.
Heus tu, tibi dico tu mulier, ecquid te pudet?
Quid tibi negotij eſt autem cum iſtoc? dic mihi.
P. Adoleſcens ſalue. ANT. nolo, nihil ad te attinet.
Quid tibi iſtanc digito tactio eſt? P. quia mihi lubet.
Ant. Lubet? P. ita dico. ANT. ligula i hinc in malam crucem.
Túnc etiam amator audes eſſe hallex uiri?
Aut contrectare, quod mares homines amant?
Deglupta, mena, ſarapis, ſenicinctium,
Manſtruga, halagoras, amán' tu autem plenior
Allij ulpici, quàm ſint Romani remiges?
AG. Num tibi adoleſcens malæ, an dentes pruriunt
Qui huic es moleſtus? an malam rem quæritas?
Cur non adhibuiſti, dum hæc loquereris, tympanum?
Nam te cinædum eſſe arbitror magis, quàm uirum.
Ant. Scin' quàm cinædus ſum? ite iſtuc ſerui foras,
Efferte fuſteis. AG. heus tu ſi quid per iocum
Dixi, nolito in ſerium conuertere.
AN. Quid tibi lubido eſt obſecro Anthemonides
Loqui inclementer noſtro cognato, & patri?
Nam hic noſter pater eſt, hic cognouit modo,
Et hunc ſui fratris filium. ANT. ita me Iuppiter
Bene amet, benefactum gaudeo, & uolupe'ſt mihi,
Si quid lenoni huic obtigit magni mali,
Cumq; è uirtute uobis fortuna obtigit.
AD. Credibile ecaſtor dicit, crede huic mi pater.
P. Credo. AG. & ego credo, ſed eccum lenonem Lycum.

Bonum uirum eccum uideo: ſe recipit domum.
P. Quis hic eſt? AG. utrum uis eſt, & leno, & Lycus.
AG. In ſeruitute hic habuit duas filias tuas,
Et mihi hic aurifur eſt. P. bellum hominem quem noueris.
AG. Rapiamus in ius. P. minime. AG. quapropter? P. quia
Iniuriam multo induci ſatius eſt.

LYCVS. AGORASTOCLES. HANNO, pœnus. ANTHEMONIDES.

L. DECIPITVR NEMO quidem mea ſententia,
Qui ſuis amicis narrat recte res ſuas.
Nam omnibus amicis meis id demum conuenit,
Vt me ſuſpendam, ne addicar Agoraſtocli.
AG. Leno eamus in ius. L. obſecro te Agoraſtocles
Suſpendere ut me liceat. P. leno in ius te uoco.
L. Quid tibi mecum autem? P. quia haſce affirmo liberas,
Ingenuasq́; eſſe filias ambas meas,
Quæ ſunt ſurreptæ cum nutrice paruolæ.
L. Iampridem equidem iſtuc ſciui, & miratus fui
Neminem uenire, qui iſtas aſſereret manu.
Meæ profecto non ſunt. AN. leno in ius eas.
L. De prandio tu dicis. debetur. dabo.
AG. Duplum pro furto mihi opus eſt. L. ſume hinc quidem.
P. Et mihi ſupplicijs multis. L. ſume hinc quid lubet.
AN. Et mihi quidem mnam argenti. L. ſume hinc quid lubet.
Collo rem ſoluam iam omnibus quaſi baiolus.
Nunquid recuſas contra me? AG. aduorſum quidem.
Ite igitur intrò mulieres. ſed patrue
Mihi tuam, ut dixiſti mihi, deſponde filiam.
P. Haud aliter auſim. AN. bene uale. AG. & tu bene uale.
AN. Leno arrabonem hoc pro mna mecum fero.
L. Perij hercle. AG. imò haud multo poſt in ius ueneris.
L. Quin egomet tibi me addico, quid prætore opu'ſt?
Verum obſecro te, ut liceat ſimplum ſoluere.
Trecentos Philippos credo corradi poteſt,

Cras auctionem faciam. AG. tantiſper quidem
Vt ſis apud me lignea in cuſtodia.
L. Fiat. AG. ſequere intrò patrue mi, ut hunc feſtum diem
Habeamus hilarem, huius malo, & noſtro bono.
Multum ualete, multa uerba fecimus.
Malum poſtremo omne hoc ad lenonem redit.
Nunc quod poſtremum eſt condimentum fabulæ,
Si placuit, plauſum poſtulat comœdia.

Scena ſuperuacanea, parumq; ſibi conſtans.

AGORASTOCLES. LYCVS. HANNO, pœnus.
ADELPHASIVM. ANTHERASTILIS.
ANTHEMONIDES.

AG. QVam rem agit is miles, quoi lubet patruo meo
Loqui inclementer? ne mirere mulieres
Quòd eum ſequuntur, modo cognouit filias
Suas eſſe has ambas. L. hem quod uerbum aureis meas
Tetigit? nunc perij: nam unde hæ perierunt? AG. domo,
Carthaginenſes ſunt. L. at ego ſum perditus.
Illuc ego metui ſemper, ne cognoſceret
Eas aliquis, quod nunc factum eſt. uæ miſero mihi,
Periere opinor duodeuiginti minæ,
Queis ego haſce emi. AG. & tu ipſe periiſti Lyce,
Carthaginenſes ſunt. L. at ego ſum perditus.
P. Quis hic eſt? utrum is eſt? nouelle nouellicus
In ſeruitute filias habuit duas.
AG. Et mihi aurifur eſt. P. bellum hominem quem noueris.
Leno rapacem te eſſe ſemper credidi:
Verum etiam furacem, qui nouerunt magis.
L. Accedam. per ego te & tua genua obſecro,
Et hunc, cognatum quem tuum eſſe intellego,
Quandò boni eſtis, ut bonos facere addecet,
Facite oro, ut uoſtro ſubueniatis ſupplici.
Iampridem equidem ſciui iſtas eſſe liberas,
Et expectabam ſi quis eas aſſereret manu:

Nam meæ prorſum non ſunt. tibi autem aurum tuum
Reddam, quod apud me eſt, & iuſiurandum dabo
Me malitioſe nihil feciſſe Agoraſtocles.
AG. Quod mihi par facere ſit. inde tamen egomet conſulam.
Omitte genua. L. mitto, ſi ita ſententia eſt.
AG. Heus tu leno. L. quid lenonem uis inter negotium?
AG. Vtinam argentũ mihi reddas, priuſquam in neruom abducêre.
L. Di meliora faxint. AG. ſic es, tu ideo cœnabis foris.
Aurum, argentum, collum, leno ſcias te debere ſimul.
P. Quid me hac re facere deceat, egomet mecum cogito.
Si uolo hunc ulciſci, liteis in alieno oppido ſequor:
Quantum audiui ingenium & mores eius quo pacto ſient.
AD. Mi pater, ne quid tibi cum iſtoc rei ſiet, maxume obſecro.
AN. Auſculta ſoror: i, abi, diiunge inimicitias cum improbo.
P. Hoc ageſis leno, quanquam meruiſſe te ut pereas, ſcio,
Non experiar tecum. AG. neque ſi aurum mihi reddes meum
Leno quando ex neruo emiſſus compingare in carcerem.
L. Iam autem, ut ſoles, ego Pœne tibi me purgatum uolo.
Si quid dixi iratus aduorſus animi ſententiam,
Id uti ignoſcas quæſo: & cum iſtas inueniſti filias,
Ita me di ament, mihi uolupta'ſt. P. ignoſco, & credo tibi.
AN. Leno tu aut amicam mihi des facito, aut auri facito mnam.
L. Vin' tibicinam meam habere? AN. nihil moror tibicinam.
Neſcias utrum ei maiores buccæ ne an mammæ ſient.
L. Dabo quod placeat. AG. cura. L. aurum cras ſtateræ feram tuum.
AG. Facito in memoria habeas. L. miles ſequere me. AN. ego uerò ſequor.
AG. Quid ais patrue? quando hinc ire cogitas Carthaginem?
Nam tecum unà ire certum eſt. P. ubi primum potero, illico.
AG. Dum auctionem facio, hic opus eſt aliquot ut maneas dies.
P. Faciam ut uis. AG. ageſis eamus: nos curemus. plaudite.

ANNO.

ANNOTATIONES IN POENVLVM.

ACHillem Ariſtarchi.) Ad hunc locũ rectius intelligendum conſule Petri Criniti de honeſt. diſci. libri uiceſimi quarti cap. nonum.

Neu deſignator præteriens obambulet.) Deſignatores ſunt, qui omnibus in pompis incedendi ordinem præſcribunt. Vide plura apud G. Budæum, in annot. pandect.

Nunc dum ſcribilitæ æſtuant.) Genus placẽtorum, alio nomine dictum ſpira, quòd in orbem torqueatur.

Sin odio ſit.) Ob perpetuum inter eas gentes bellum.

Quod mihi pollinctor dixerat.) Pollinctor eſt curator mortuorum.

Abijt ad Acherontem ſine uiatico.) Iocatur Plautus in antiquam conſuetudinem, qua mortuorũ tubis ſolent imponere uiaticum, aurũ, & pretioſa uaſa, putantes ſine hijs animas nuſquam poſſe diuerti.

Pœnus plane eſt.) Pœnum aſtutum & callidum dixit. Quẽadmodũ Ennius de Annibale: Quid niſi pœnus erat.

Quod dici ſolet.) uide Chi. Eraſ. Siculę nugæ λῆροι λήρων, id eſt liræ lirarum.

Ita decipiemus fouea Ienonẽ Lycum.) Metaphora deducta eſt à foueis, quibus feris inſidiantur. nam lycus græce lupus eſt.

Fricari.) Romanus codex fucari habuit, pro fricari.

Modus ſoror omnibus in rebus.) Vide Chilia. ne quid nimis.

Relliquias alicarias.) Feſtus Alicarias meretrices eſſe in Cãpania ita appellatas, quòd ſolitę ſint ante piſtrina alicariorum quæſtus gratia uerſari.

Schœno delibutæ.) Hæ à Feſto uocantur ſchœniculæ, à ſchœno uiliſſimo quidem, ſed utiliſſimo tamen unguento. Hermolaus in Dioſcoridis corollario aliter hunc locũ explicat.

Scorta diobolaria.) Viliſſima, quæ duobus obulis conducuntur.

Obſecro hercle ut mulſa loquitur.) Vide Chil. Roſas loquitur.

Damnũ quod Mercurius minime amat.) Hac de re ſatis dictum in principio Amphitruonis.

Proba merx facile emptorẽ reperit.) Extat in Chili.

Oleum & operam perdidi.) uide Chiliades: Oleum, & operam perdidi.

In Veneris.) Græciſmus, ſiue magis dicas Atticiſmus, cum ſubticetur phanum, aut ſimile.

Quã mare eſt olim quom ibi.) uide prologũ Caſſinæ.

Trioboli.) Nihili, uide Chili. homo trioboli. Ariſtophanes in Pluto Iouis fulmina trioboli non facit.

Impie ſiccine oratorem uerberas.) Ius gentium, inquit Donatus eſt: Oratorem non licet iniuriam pati. Pro ſiccine Donatus corrupte ſecrete legit. Vide etiam adagiorum Chiliad. Orator non cæditur, neq; uiolatur.

Oedipo opus eſt.) Nota eſt fabula ex adagio, Dauus ſum non Oedipus.

Veneri pulchre adĳ manum.) uide Chili. addere manũ.

Pentethronica.) Pugna quincuruli ut alibi dixit, quamuis uideatur effictum à poëta.

Farfari.) Farfarum dixit pro arboribus in ripa Farfari fluuĳ creſcentibus.

Indoctior quàm in tragœdia comici.) Parœmię ſpeciẽ uidetur habere: nihil enim ualent in tragœdia comici.

Nefaſtu'ſt.) Feriatus.

Comitiales meri.) Operoſi, trãſlatiões ſunt notiſſimę.

Szi.) ſilentĳ ſignum, quale apud Terentium eſt ſt.

Viam qui neſcit qua.) Extat in Chiliad.

Canes cõpellunt.) Iocus, & metaphora in nomine Lycus, quod latine lupum interpretamur.

E zeugmatis exoticis.) Zeugma ciuitas Perſidos.

Calidum prandidiſti prandium.) Vide Chiliades: calidum prandium comediſti.

Lupo agnum eripere.) Rurſus iocus eſt in nomine lyco: nam ita ſcriptum eſt in Roma. codice.

Plumbeas iras gerunt.) pro grauibus iris.

Literatas epulas.) Literatæ epulæ, cum expenſorũ ratio notatur, ut adhuc mos eſt.

Male partum, male diſperit.) Extat in Chiliad.

Refero uaſa ſalua.) Scrota, & teſticulos ſignificat. Id autẽ mœchis fere ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehẽſis uſu uenire ſolet.

Nythalomin ualon.) Punica hæc lingua à poeta adducta ſunt

cta ſunt, mox interpretationem ſubiungit. Quid ſi quiſpiam hæc corrumpat, unde nobis qui reſtitueret. Romanus codex habebat præter has, adhuc aliquot eius farinæ nænias.

Deum hoſpitalem, ac teſſaram.) Teſſara ſymbolum eſt hoſpitale, quo prolato cognoſcebantur hoſpites, ſi quando rediiſſent. Pulcherrime hac de re Budæus in annotat. in pandect.

Digitos in manibus non habent.) Propter manicas, ridetur enim ueſtis manuleata.

Tu qui zonam non habes.) Vide Chiliades: Zonam perdidit.

Inde porro ad puteum.) De puteo antea nobis dictum, de robuſto codice Cœlius libro 9. cap. 33. Robuſtus codex carceris.

Aut qui cortinam.) Habebant enim hi fecibus, & luto ora oblita, ne poſſent à ſpectatoribus agnoſci.

Deglupta mena.) A deglubo. Mena à uili genere piſcium. Sarapis Hetruſcum uocabulum eſt, & ſtultum ſignificat autore Feſto. ſemicinctium à uili ueſtis genere, uel paupertate. Maſtruga notum ex Cicerone & Fabio. Hala goras à foro, & deceptione.

Quam ſint Rom. remiges.) Damnatis ad triremes uictus erat cum pane nigro allium.

M. ACTII PLAVTI

PERSA.

DRAMATIS PERSONAE.

TOXILVS, *ſeruos.*	LEMNESCELENE, *ancilla.*
SAGARISTIO, *ſeruos.*	PAEGNIVM, *puer.*
SATVRIO, *paraſitus.*	PERSA, *uirgo.*
SOPHOCLIDISCA, *lena.*	DORPALVS, *leno.*

ARGVMENTVM.

Profecto domino ſuos amores Toxilus
Emit, atque curat leno, ut emittat manu.

Raptamq́; ut is emat de prædone uirginem,
Subornatam ſuadet paraſiti filiam:
Atque ita intricatum ludit potans Dorpalum.

ALIVD ARGVMENTVM.

CVm herus Timarchides à domo abeſſet, Timarchidæ liberam mulierem amat Toxilus ſeruus, quam leno Dorpalus dare renuit, ni dentur numerati ſexcenti nummi. Amator ſodalem ſeruum conuenit Sagariſtium: amores illi ſuos aperit: opem petit: impetratq́;. huic nanque erant ab hero forte pecuniæ: ut ex illis boues emerentur. hos nummos mutuo dat ſodali ſuo: quibus ille ab lenone ſuam ſibi recipit amaſiam: & ut ab eo datam uendicet pecuniam, hanc commentatur fallaciam: ſubornat uirginem Perſam Saturionis paraſiti filiam, ſimulatq́; puellam ab hero miſſam ex Arabia ut Athenis uæneat. Sagariſtiumq́; aduenientem aduenam, hic cum lenone paciſcitur mulierem ſexaginta minis. ſoluta pro muliere pecunia, paraſitus aduenit: filiam ſuam liberam aſſerit, & remittit domũ. Lenonem in ius uocat, qui emeret ingenuam, agnoſcit ille ſe emunctum pecunia. ſerui obſonant, & pergræcantur ſimul, aduenientemq́; lenonem deludunt, ſuisq́; hoc pacto Toxilus gaudet amoribus.

ACTVS PRIMVS.

TOXILVS, SAGARISTIO, *ſerui.*

T. Q*VI amans egens ingreſſus eſt princeps in amoris uias,*
Superauit ærumnis ſuis ærũnas Herculis.
Nam cum leone & cum excetra, cum ceruo, cum apro Aetolico,
Cum auibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mauelim,
Quàm cum amore: ita fio miſer quærendo argento mutuo.
Nec quicquam, niſi non eſt, ſciunt reſpondere, quos rogo.
QVI SVO *hero ſeruire uolt bene ſeruos ſeruitutem, næ*
Aedepol multa illum in pectore collocare oportet ſuo,

Quæ

Quæ hero placere præſenti atque abſenti cenſeat.
Ego neque lubenter ſeruio, neque ſatis ſum hero ex ſententia:
Sed quaſi lippo oculo me meus herus utitur: manum
Abſtinere haud quit tamen, quin mihi imperet, quin me ſuis
Negotijs præfulciat. S. quis illic eſt, qui contra me aſtat?
T. Quis hic eſt qui contra me aſtat? ſimilis Sagariſtionis eſt.
S. Toxilus hic quidem meus eſt amicus. T. is eſt profecto. S. eum
Eſſe opinor. T. congrediar. S. contra aggrediar. T. ô Sagariſtio,
Di ament te. S. ô Toxile, dabunt di quæ exoptas. ut uales?
T. Vt queo. S. quid agitur? T. uiuitur. S. ſatin' ergo ex ſententia?
T. Si eueniunt quæ exopto, ſatis. S. nimis ſtulte amicis utere.
T. Quid iam? S. quia iam imperare oportet. T. mihi quidem tu iam
Eras mortuus, quia te non uiſitaui. S. negotium
Aedepol. T. ferreum fortaſſe. S. pluſculum annum fui
Præferratus apud molas tribunus uapularis. T. uetus
Iam iſtæc militia eſt tua. S. ſatin' tu uſq; ualuiſti? T. haud probe.
S. Ergo ædepol palles. T. ſaucius factus ſum in prælio
Veneris ſagitta, Cupido cor meum transfixit. S. iam
Serui hic amant. T. quid ergo faciam? diſne aduorſer? quaſi
TITANI cum dis belligerem, ſat quibus eſſe non queam?
S. Vide modo ut meæ catapultæ tuum ne transfigant latus.
T. Baſilice eleutheria agito. S. quid iam? T. quia herus peregre eſt,
S. Ain' tu, peregre eſt? T. ſicubi tibi bene eſſe potes pati,
Veni, uiues mecum, baſilico accipiere uictu. S. uah
Iam ſcapulæ pruriunt, quia te iſtæc audiui loqui.
T. Sed hoc me unum excruciat. S. quid nam id eſt? T. hæc ſumma eſt, hodie mea
Amica ſitne libera, an ſempiternam ſeruiat
Seruitutem. S. quid uis ergo? T. tu tibi me facere potis es
Sempiternum. S. quemadmodum? T. ut des mihi nummos ſexcentos, quos
Pro capite illius pendam, quos continuo reponam tibi
In hoc triduo, aut quatriduo. age ſis benignus, ſubueni.
S. Qua confidentia rogare tu à me tantum audes

Argentum impudens? quin ſi egomet totus ueneam, uix pote eſt
Recipi, quod tu me rogas. nam tu AQVAM A PVMICE nunc poſtulas,
Qui ipſus ſitiat. T. ſiccine hoc te mihi facere? S. quid faciam? T. rogas?
Alicunde exora mutuum. S. tu fac idem quod me rogas.
T. Quæſiui: nuſquam repperi. S. quæram equidem, ſi quis mihi
Credat. T. nempe habes in mundo. S. ſi id domi eſſet mihi,
Iam pollicerer: hoc meu'ſt, ut faciam ſedulo.
T. Quicquid erit, recipe te ad me. S. quære tamen: ego item ſedulo,
Siquid erit, faxo iam ut ſcias. T. obſecro te, reſecroq́;
Operam da hanc mihi fidelem. S. ah tu nunc odio me enicas.
T. Amoris uitio non meo, tibi morologus fio.
S. At pol ego abs te conceſſero. T. iamne abis? bene ambula.
Sed recipe te quàm primum potes. S. caue fuas mihi
In quæſtione. T. uſq; domi ero, dum excoxero lenoni malum.

SATVRIO, paraſitus.

VEterem atq; antiquom quæſtum ſeruo atq; obtineo,
Et magna cura colo. nam nunquam quiſquam meûm
Maiorum fuit, quin paraſitando paruerint
Se: pater, auos, proauos, abauos, attauos, tritauos,
Quaſi mures ſemper edêre alienum cibum:
Neque edacitate eos quiſquam poterat uincere.
Nanque his cognomentum, duris capitonibus.
Vnde ego quæſtum hunc obtineo, & maiorum locum.
Neque quadruplari me uolo: neque enim decet
Sine meo periculo ire aliena ereptum bona.
Neque illi qui faciunt, mihi placent. planè loquor.
NAM REIPVBLICAE cauſſa qui non id facit magis,
Quàm ſui quæſti, animus haud induci poteſt, eum
Eſſe ciuem & fidelem, & bonum, ſed legirupam quidem, ni det in publicum
Dimidium, atque etiam in ea lege adſcribier, ubi quadruplator quempiam

Illexit

Illexit manum, tamidem ille illi rurſus inijciat manum,
Vt æqua parti prodeam ad treis uiros.
Si id fiat, næ iſti faxim nuſquam appareant,
Qui hic albo pariete aliena oppugnant bona.
Sed ſúmne ego ſtultus, qui rem curo publicam,
Vbi ſunt magiſtratus, quos curare oporteat?
Nunc huc introibo, uiſam heſternas reliquias,
Quî euenerint, recte necne, num infuerit febris,
Opertæ' ne fuerint, nequis obreptauerit.
Sed aperiuntur ædes, remorandus eſt gradus.

TOXILVS. *ſeruos.* SATVRIO, *paraſitus.*

T. *OMnem rem inueni, ut ſua ſibi pecunia*
Hodie illam faciat leno libertam ſuam.
Sed eccum paraſitum, quoius auxilio mihi
Eſt opus: ſimulabo quaſi non uideam, ita eliciam
Verum. curate iſtic, atque approperate uos:
Ne mihi moræ ſit quicquam, ubi ego intrò aduenero.
Commiſce mulſum, ſtruthea, colutheaq́; appara.
Bene & in ſtrutheis concaleat, & calamum inijce.
Iam pol ille hic aderit credo congerro meus.
S. *Me dicit, euge.* T. *lautum credo à balineis*
Iam hic affuturum. S. *ut ordine omnem rem tenet?*
T. *Collyræ facite ut madeant, & colliphia*
Ne mihi incocta detis. S. *rem loquitur ueram, nihil*
Sunt crudæ, niſi quas madidas glutias.
Tum niſi cremore craſſo ſocias, collyricum
Nihil eſt macrum, illud è nigro compellucidum.
Quaſi iure ſe ameſſe, ius decet: collyricum
Nolo in ueſicam quod eat, in uentrem uolo.
T. *Prope me hic neſcio quis loquitur.* S. *ò mi Iuppiter*
Terreſtris, coëpulonus compellatitius.
T. *O Saturio, opportune aduenisti mihi.*
S. *Mendacium ædepol dicis, atque haud te decet:*
Nam Eſurio uenio, non aduenio Saturio.

T. At edes iam: nam imus uentris fumant focula: calefieri iuſſit reliquias.

S. Pernam quidem ius eſt apponi frigidam poſtridie. T. ita fieri iuſsi.

S. Ecquid hallegis? T. uah rogas?

S. Sapis multum ad genium. T. ſed ecquid meminiſti here,
Qua de re ego tecum memionem feceram?

S. Memini, ut muræna & conger ne calefierent:
Nam nimio melius appetuntur frigida.
Sed quid ceſſamus prælium committere?
Dum mane eſt, omneis eſſe mortaleis decet.

T. Nimis penè mane'ſt. S. MANE QVOD tu occœperis
Negotium agere, id totum procedit diem.

T. Quæſo animum aduorte: hoc enim iam heri narraui tibi:
Tecumq; oraui, ut nummos ſexcentos mihi
Dares utendos mutuos. S. memini, & ſcio,
Et te me orare, & mihi non eſſe quod darem.
Nihili paraſitus eſt, quoi argentum domi'ſt.
Lubido éxtemplo cœpere eſt conuiuium,
Tuburcinari de ſuo, ſiquid domi eſt.
Cynicum eſſe egentem oportet paraſitum probe:
Ampullam ſtrigilem, ſcaphium, ſoccos, pallium,
Marſupium habeat: inibi paulum præſidij,
Qui familiarem ſuam uitam oblectet modo.

T. Iam nolo argentum, filiam utendam tuam
Mihi da. S. nunquam ædepol quoiquam etiam utendam dedi.

T. Non ad iſtoc quod tu inſimulas. S. quid eam uis? T. ſcies.
Quia forma lepida & liberali eſt. S. res ita'ſt.

T. Hic leno neque te nouit, neque gnatam tuam.

S. Me ut quiſquam norit, niſi ille qui præbet cibum?

T. Ita eſt: hoc tu mihi reperire argentum potes.

S. Cupio hercle. T. tum tu me ſine illam uendere.

S. Tun' illam uendas? T. imò alium adlegauero,
Qui uendat, qui eſſe ſe peregrinum prædicet,

Eſt leno

Eſt leno iſtic: nondum ſex menſes Megaribus
Huc eſt quom commigrauit. S. pereunt reliquiæ.
Poſterius iſtuc tamen poteſt. T. ſcin' quàm poteſt?
Nunquam hercle hodie prius hic edis, ne fruſtra ſis,
Quàm te hoc facturum, quod rogo affirmas mihi:
Atque niſi gnatam tecum huc iam, quantum poteſt,
Adducis, exigam ego hercle te ex hac decuria.
Quid nunc? quid eſt? quin dicis quid facturus ſis?

S. Quæſo hercle me quoque etiam uendas, ſi lubet,
Dum ſaturum uendas: hoc ſi facturus, face,
Faciam equidem quæ uis. T. benefacis: propera, abi domum.
Præmonſtra docte: præcipe aſtu filiæ,
Quid fabuletur, ubi ſe natam prædicet,
Qui ſibi parentes fuerint, unde ſurrupta'ſt:
Sed longe ab Athenis eſſe ſe gnatam autumet:
Et ut adfleat, cum ea memoret. S. etiam tu taces?
Ter tanto peior ipſa eſt, quàm illam tu eſſe uis.

T. Lepide hercle dicis. ſed ſcin' quid facias? cape
Tunicam atque zonam & chlamydem afferto, & cauſiam
Quam ille habeat, qui hanc lenoni huic uendat. S. heu probè.

T. Quaſi ſit peregrinus. S. laudo. T. & tuam gnatam tamen
Ornatam adduce lepide in peregrinum modum.
Sed πόθεν ornamenta? T. abs chorago ſumito, Id eſt, unde
Præbenda ædiles locauêre: inde petito.

S. Iam faxo hic aderunt, ſed ego horum nihil ſcio.

T. Nihil hercle uerò: nam ubi ego argentum accepero,
Continuò tu illam à lenone aſſerito manu.

S. Sibi habeat, ſi non éxtemplo ab eo abduxero.

T. Abi, & iſtuc cura. S. me tibi. T. ego puerum uolo
Mittere ad amicam meam, ut habeat animum bonum
Me eſſe effecturum hodie. nimis longum loquor.

ACTVS SECVNDVS.

SOPHOCLIDISCA, lena. LEMNESCELENE, ancilla.

Satis

S. SAtis fuit indoctæ, immemori, inſipienti dicere toties?
Nimis tandem me quidem pro barda, & pro ruſtica reor habitam
Eſſe abs te. quanquam ego uinum bibo: at mandata non conſueui ſimul
Bibere. uitam equidem iam ſatis tibi ſpectatam eſſe cenſueram,
Et meos mores. nam equidem te iam ſector quintum hunc annum: quin interim
Credo, canis ſi in ludum iret, potuiſſet iam fieri, ut probe
Litteras ſciret: quom interim meum ingenium fans nō edidiciſti,
Atq; infans. potin' es, ut taceas? potin' ne moneas? memini, et ſcio,
Et calleo, & commemini: amas pol miſera, id tuus ſcatet animus.
Ego tibi iſtuc placidum ut ſit, faciam. L. ECASTOR MISER EST, qui amat.
S. Certo is quidē nihil eſt, q nihil amat: qd ei homini opus uita eſt?
Ire decet me heræ obſequens, filia libera mea opera ocyus ut ſit.
Conueniam hunc Toxilū: eius aureis quæ ſunt mādata, onerabo.

TOXILVS, ſeruus. PAEGNIVM, puer. SOPHOCLIDISCA.

T. SAtin' hæc tibi ſunt plana & certa? ſatin' hæc meminiſti, & tenes?
P. Melius quàm qui docuiſti. T. ain' uerò uerbereum caput?
P. Aio enimuero. T. quid ego dixi? P. ego recte apud illam
Dixero. T. non ædepol ſcis. P. da hercle pignus, ni omnia
Memini & ſcio. T. equidem, ſi ſcis tute quot habeas hodie
Digitos in manu, eodem pignus tecum. P. audacter, tibi ſi
Lubido eſt perdere. T. bona pax ſit potius. P. tum tu igitur
Sine me ire. T. & iubeo & ſino. ſed ita uolo te curare, ut domi
Sis, cum ego te eſſe illic cenſeam. P. faciam. T. quò ergo is nunc? P. domum:
Vti domi ſim, cum illic cenſeas. T. ſcelus es tu puer,
Atque iſtanc ob rem ego aliquid te peculiabo. P. ſcio
Fidei hercle herili ut ſoleat opprobrari impudicitia:
Nec ſubigi queant unquam, ut pro ea fide habeant iudicem.

Abi

T. Abi modo. P. laudabis faxo. T. ſed has tabellas Pæcnium
Ipſi Lemneſcelenæ fac des: & quæ iuſsi, nuntia.
S. Ceſſo ire ego quò miſſa ſum? P. eo ego. T. i ſanè, ego domum
Ibo. face hanc rem cum cura geras: curriculo uola.
P. Iſtuc marinus paſſer per circum ſolet. ille hinc abit.
Sed quis hæc eſt quæ me aduorſum incedit? S. Pæcnium hic quidem eſt.
P. Sophoclidiſca hæc peculiaris eſt eius, quò ego
Sum miſſus. S. nullus hodie eſſe hoc peior perhibetur puer.
Compellabo. P. nunc commorandu'ſt mihi apud hanc obicem.
S. Pæcnium deliciæ pueri ſalue. quid agis? ut uales?
P. Sophoclidiſca di me amabunt. S. quid me? utrum? P. neſcio:
Verùm ſi ut digna es faciant, odio habeant, & faciant male.
S. Mitte male loqui. P. cũ ut digna es dico, bene, non male loquor.
S. Quid agis? P. fœminam ſceleſtam te aſtans contra contuor.
S. Certe equidem puerum peiorem, quàm te, noui neminem.
P. Quid mali facio? aut quoi maledico? S. quoi pol cunque occaſio eſt.
P. Nemo homo unquam ita arbitratu'ſt. S. at pol multi eſſe ſciunt.
P. Eia. S. eia. P. tuo ex ingenio mores alienos probas.
S. Fateor profectò me eſſe ut decet lenonis familiæ.
Satis iam dictum habeo. quid tu? confitere, ut te autumo?
P. Fatear, ſi ita ſim. S. iam abi, uiciſti. P. iam abi. S. ergo hoc mihi expedi,
Quò abis? P. quò tu? S. dic tu, prior rogaui. P. at poſt ſcies.
S. Eo quidem ego hinc haud longe. P. & quidem ego haud longe. S. quò ergo ſcelus?
P. Ni ſciero prius ex te, tu ex me nunquam hoc, quod rogitas, ſcies.
S. Nunquam ecaſtor hodie ſcibis, priuſquam ex te audiuero.
P. Itáne eſt? S. itáne eſt. P. mala. S. ſceleſtus. P. me haud decet. S. me quidem haud decet.
P. Quid ais, certum tibi eſt cælare quò iter facias peſſuma?
S. Offirmaſti occultare quò te immittas peſſume?
P. Par pari reſpondes, dicito, aut abi iam: quando ita certa res,

Nihil facio ſcire, ualeas. S. aſta. P. at propero. S. & pol ego.

P. Ecquid habes? S. ecquid tu? P. nihil. S. cedò manum ergo. P. éſtne hæc manus?

S. Vbi illa altera eſt furtifica læua? P. domi, eccam huc nullã attuli.

S. Habes neſcio quid. P. ne me attrecta ſubigatrix. S. ſin te amo?

P. Male operam locas. S. quî? P. quia enim NIHIL AMAS, cum ingratum amas.

S. Tempori hanc uigilare oportet formulam, atque ætatulam:
Ne ubi capillus uerſipellis fuat, fœde ſemper ſeruias.
Tu quidem aut etiam es octoginta pondo. P. at confidentia
Illa militia militatur magis, quàm pondere.

S. Atque ego hanc operam perdo. P. quid iam? S. quia peritis prædico.

P. Sed ceſſo. S. mane. P. moleſta es. S. ero quoque, niſi ſcio quò te agas.

P. Ad uos. S. & pol ego ad uos. P. quid eo? S. quid id ad te attinet?

P. Enim non ibis nunc uiciſsim, niſi ſcio. S. odioſus es.

P. Lubet: numquam hercle iſtuc exterebrabis tu, ut ſis prior,
Quàm ego ſiem. S. malitia certare tecum, miſeria eſt.

P. Merx tua mala eſt. S. quid eſt quod metuas? P. iſtuc idem quod tu.

S. Dic ergo. P. ne hoc quoiquam homini dicerem, edictum eſt mihi
Magnopere, nec quoiq̃ homini crederem: omnes muti ut prius
Loqueretur hoc, quàm ego. S. at tu hoc face fide credamus data.

P. Noui, omnes ſunt lenæ leuifidæ, neque leuius tippulæ
Pondus eſt, quàm fides lenonia. S. dic amabo. P. nolo ames.

S. Facile impetras, tecum habeto. P. & tu hoc taceto. S. tacitũ erit.

P. Cælabitur. S. Toxilo has fero tabellas tuo hero. P. abi:
Eccillũ domi, et hanc ego ad Lemneſcelenen tuam herã abietem
Obſignatam. S. quid iſtic ſcriptum? P. iuxtà tecum ſcio:
Niſi fortaſſe blanda uerba. S. abeo. P. at ego abiero. S. ambula.

SAGARISTIO, ſeruos.

IOui opulento, inclyto, Ope gnato, ſupremo, ualido, uiripotenti,

Opes, ſpes bonas, copias, commodanti lubens uituloráq; merito,
Quia meo amico amiciter hanc commoditatis copiam
Danunt argenti minuti, uti egenti opem afferam:
Quod ego non magis ſomniabã, neq; opinabar, neq; cenſebam,
Nã herus meus ad me iã miſit, domitos boues uti ſibi mercarer.
Eam fore mihi occaſionem: ea nunc quaſi décidit de cœlo, dedit
Argentum. nam ibi mercatũ dixit eſſe die ſeptimi. ſtultus qui hoc
Mihi daret argentum, quoius ingenium nouerat. nam hoc argentum
Alibi abutar: boues quos emerem, nõ erant. nunc & amico meo
Proſperabo, & genio meo multa bona faciam. diu quod bene
Erit die uno abſoluam: tax tax tergo erit meo, non curo.
Nunc amico bobus domitis mea ex crumena largiar:
Nam id demum lepidum eſt, triparcos homines, uetulos, auidos, aridos
Bene admordere, qui allium ſeruo obſignant cum ſale.
VIRTVS EST, VBI occaſio admonet, deſpicere. quid faciet mihi?
Verberibus cædi iuſſerit, compedes imponi: uapulem.
Ne ſibi me credat ſupplicem fore. næ illi mihi iam nihil noui
Offerri poteſt, quin ſim peritus. ſed Toxili puerum Pæcnium eccum.

PAECNIVM, puer. SAGARISTIO, ſeruus.

P. PEnſum meum quod datu'ſt, confeci. nunc propero domum.
S. Mane, etſi properas Pæcnium, auſculta. P. emere oportet tibi
Quem obedire uelis. S. aſta. P. exhibeas moleſtiam, ut opinor,
Si quid debeam, qui nunc ſic tam es moleſtus. S. ſcelerate
Etiam reſpicis? ego ſcio quid ſit ætatis. P. ehò iſtuc
Maledictum impune auferes? S. ubi Toxilus eſt? P. ubi illi lubet,
Neque te conſulit. S. etiamne dicis, ubi ſit uenefice?
P. Neſcio inquam, ulmitriba tu. S. maledicis maiori? P. prior
Promeritus perpetiare. ſeruam operam, linguam liberam
Herus me iuſsit habere. S. dicisne mihi ubi ſit Toxilus?

P. Dico ut perpetuo pereas. S. cædere hodie tu reſtibus.
P. Tua cæcule cauſſa: non hercle ſi os pertuderim tibi,
Metuam morticine. S. uideo ego te, iam incubitatus es.
P. Ita ſum. quid id attinet ad te? at nō ſum ita, ut. S. confidens ſatis.
P. Sum hercle uerò: nam ego me confido liberum fore,
Vt te nunquam ſperas. S. potin' ut moleſtus ne ſies?
P. Quod dicis, facere non quis. S. abi in malam rem. P. at tu domū:
Nam ibi tibi parata præſto'ſt. S. uadatur hic me. P. utinā uades
Deſint in carcere ut ſis. S. quid hoc? P. quid eſt? S. etiam ſcelus
Male loquere? P. tandem ut liceat, quom ſeruus ſis, ſeruom tibi
Maledicere. S. itane? ſpecta, quin dedero.
P. Nihil, iam nihil habes. S. di deæq; te omnes perdam,
Niſi hodie, ſi prehendero, defigam in terram colaphis.
P. Amicus ſum, eueniant uolo tibi, quæ optas. at id fiat, tunc me
Defigas, te cruci ipſum propediem affigent alij. S. quin te dij deæq;.
Scis quid hinc porrò dicturus fuerim? nil linguæ moderari queā.
Potin' abeas? P. abigis facile: nam umbra mea intus uapulat.
S. Vt iſtunc di deæq; perdant, tanquam proſerpēs beſtia bilinguis,
Et ſceleſtus. hercle illū abijſſe gaudeo. fores aperite. ecce autem,
Quem conuenire maxume cupiebam, egreditur foras.

TOXILVS, SAGARISTIO, SOPHOCLIDISCA.

T. PAratum iam eſſe dicito, unde argentum ſit futurum:
Iubeto habere animū bonum: dic me illam amare multum.
Vbi ſe alluat, ibi me alluat. quæ dixi ut nuntiares,
Satin' ea tenes? SO. magis calleo, quàm aprugnum callum callet.
T. Propera, abi domum. SA. nunc huic ego graphice facetus fiam,
Subnixis alis me inferam, atque amicibor glorioſe.
T. Sed quis hic anſatus ambulat? SA. magnifice conueſtabor.
T. Sagariſtio hic quidem. quid agitur Sagariſtio? ut ualetur?
Ecquid quod mandaui tibi, eſt mihi in te ſpeculæ? SA. adito:
Videbitur: factum. uola: uenito: promoueto.
T. Quid hoc quod in collo tibi tumet? SA. uomica'ſt, preſſare parce.

Nam ubi quis mala tetigit manu, dolores cooriuntur.

T. Quando iſtæc eſt innata tibi? SA. hodie. T. ſecari iubeas.

SA. Metuo ne immaturam ſecem, ne exhibeat plus negoti.

T. Inſpicere morbum tuum lubet. SA. abi: atque caueſis à cornu.

T. Quid iam? SA. quia boues bini hic ſunt in crumena. T. emitte ſodes,

Ne enicet fames, inire paſtum. SA. enim metuo, ne poßim

In bubilem reijcere, ne uagentur. T. ego reijciam.

SA. Habe animum bonum, creditur: commodabo. ſequere hâc ſis. argentum

Hic eſt, quod me dudum rogaſti. T. quid ais? SA. dominus boues me

Mercatum Eretriam miſit: nunc mihi Eretria hæc tua domus.

T. Nimis tu facete loquere, atq; tibi ego omne argentum actûtum

Incolume redigam. nam omnes ſycophantias inſtruxi,

Quo pacto ab lenone auferam hoc argentum. SA. tanto melior.

T. Et mulier ut ſit libera, atque ipſe ultrò det argentum.

Sed ſequere me. ad eam rem uſus eſt tua mihi opera. SA. utere ut uis.

ACTVS TERTIVS.

SATVRIO, paraſitus. PERSA, uirgo.

S. QVæ res bene uortant mihi & tibi, & uentri meo,

Perennitatisq; adeò huic perpetuo cibo

Vt mihi ſuperſit, ſuppetat, ſuperſtitet.

Sequere hâc mea gnata mecum dis uolentibus.

Quoi opera detur ſcis, tenes, intelligis:

Communicaui tecum conſilia mea.

Ea cauſſa ad hoc exemplum te exornaui ego:

Venibis tu hodie uirgo. P. amabo mi pater,

Quanquam libenter eſcis alienis ſtudes,

Tune uentris cauſſa filiam uendis tuam?

S. Mirum quin regis Philippi cauſſa, aut Attali

Te potius uendam, quàm mea, quæ ſis mea.

P. Vtrum tu pro ancilla me habes, an pro filia?
S. Vtrum hercle magis in uentris rem uidebitur.
Meum opinor imperiu'ſt in te, non in me tibi'ſt.
P. Tua iſtæc poteſtas eſt pater. ueruntamen
Quanquam res noſtræ ſunt pater paupercülæ,
Modicæ, & modeſtæ: meliu'ſt tamen ita uiuere.
Nam ubi ad paupertatem acceſſit infamia,
Grauior paupertas fit, fides ſubleſtior.
S. Enimuero odioſa es. P. non ſum, neque me eſſe arbitror,
Cum praua natura eſſe te percipio pater.
NAM INIMICI, famam non ita ut nata eſt, ferunt.
S. Ferant, eamq́; in maxumam malam crucem.
Non ego inimicitias omneis pluris æſtimo,
Quàm menſa inanis ſi nunc apponatur mihi.
P. Pater, HOMINVM IMMORTALIS EST INFAMIA:
Etiam tum uiuit, cum eſſe credas mortuam.
S. Quid metuis, ne te uendam? P. non metuo pater:
Verùm inſimulari nolo. S. at nequicquam ne uis:
Meo modo iſtud potius fiet, quàm tuo
Fiat. quæ hæ res ſunt? P. cogita hoc uerbum pater;
HERVS SI MINATVS EST MALVM ſeruo ſuo:
Tametſi id futurum non eſt, ubi captu'ſt flagrum,
Dum tunicas ponit, quanta afficitur miſeria?
Ego nunc quod non futuru'ſt, formido tamen.
S. Virgo atque mulier nulla erit, quin ſit mala,
Quæ præter ſapiet, quàm placet parentibus.
P. Virgo atque mulier nulla erit, quin ſit mala,
Quæ reticet, ſiquid fieri peruorſe uidet.
S. Malo cauere meliu'ſt te. P. at ſi non licet
Cauere, quid agam? nam ego tibi cautum uolo.
S. Malúsne ego ſum? P. non es, neque me dignu'ſt dicere:
Verùm ei rei operam do, ne alij dicant, quibus licet.
S. Dicat quod quiſque uolt, ego de hac ſententia
Non demouebor. P. at meo ſi liceat modo,

Sapien-

Sapienter potius faciam, quàm ſtulte. S. lubet
Lubêre per me tibi? P. licere intellego:
Verùm lubêre, haud liceat, ſi lubeat mihi.
S. Futurán' es dicto obediens, an non, patri?
P. Futura. S. ſcis nam tibi quæ præcepi omnia,
Et id, ut ſurrepta fueris? P. docte calleo.
S. Et qui parentes fuerint? P. habeo in memoria.
Neceſsitate me mala ut fiam facis.
Verùm uideto, me ubi uoles nuptum dare,
Ne hæc fama faciat repudioſas nuptias.
S. Tace ſtulta, non tu nunc hominum mores uides
Quoiuſmodi? HIC CVM MALA FAMA facile nubitur:
Dum dos ſit, nullum uitium uitio uortitur.
P. Ergo iſtuc facito, ut ueniat in mentem tibi,
Me eſſe indotatam. S. caue ſis tu iſtuc dixeris,
Pol deûm uirtute, dicam & maiorum meûm
Ne te indotatam dicas, quoi dos ſit domi:
Librorum enim eccc illum plenum ſorracum habeo.
Si hoc accuraſsis lepide, quoi rei operam damus,
Dabuntur dotis inde ſexcenti tibi
Logi, atque Attici omnes, nullum acceperis Siculum.
Cum hac dote poteras uel mendico nubere.
P. Quin tu me ducis, ſi quò ducturus pater?
Vel tu me uende, uel face quod tibi lubet.
S. Bonum æquomq; oras, ſequere hâc. P. dicto ſum audiens.

DORPALVS, leno.

QVid nam eſſe acturum hunc dicam uicinum meum,
Qui mihi iuratus eſt ſeſe hodie argentum dare?
Quod ſi non dederit, atque hic dies præterierit,
Ego argentum, ille iuſiurandum amiſerit.
Sed ibi concrepuit foris, quiſnam egreditur foras?

TOXILVS, ſeruos. DORPALVS, leno.

T. CVrate iſtuc intus: iam ego me recipiam domum.
D. Toxile, quid agitur? T. ehò lutum lenonium

Commiſtum, ehò tu ſterquilinium publicum,
Impure, inhoneſte, iniure, illex, labes populi,
Pecuniarum accipiter, auide, atque inuide,
Procax, rapax, trahax: trecentis uerſibus
Tuas impuritias loqui nemo poteſt.
Accipin' argentum? accipe ſis argentum impudens.
Teneſis argentum? etiam tu argentum tenes?
Poſſum te facere, ut argentum accipias lutum,
Qui niſi iurato mihi nihil auſus credere?
D. Sine reſpirare me, tibi ut reſpondeam
Vir ſumme populi ſtabulum ſeruitricium,
Scortorum liberator, ſubiculum flagri,
Compedum contritor, piſtrinorum ciuitas,
Perenniſerue, lurco, edax, furax, fugax:
Cedo ſis mihi argentum, argentum inquam mihi cedò.
Quin tu mihi argentum reddis? nihilne pudet?
Leno te argentum poſcit, ſolita ſeruitus,
Pro liberanda amica, ut omnes audiant.
T. Tace obſecro hercle, næ tua uox ualide ualet.
D. Referundæ ego habeo linguam natam gratiæ.
Eodem mihi pretio ſal perhibetur, quo tibi:
Niſi me hæc defendet, nunquam delinguet ſalem.
T. Iam omitto iratus eſſe: id tibi ſuccenſui,
Quia te negabas credere argentum mihi.
D. Mirum quin tibi ego crederem, ut idem faceres mihi,
Quod partim noſtri faciunt argentarij:
Vbi quid credideris, citius éxtemplo à foro
Fugiunt, quàm ex porta ludis cum emiſſu'ſt lepus.
T. Cape hoc ſis. D. quin das? T. nummi ſexcenti hic erunt
Probi, numerati, fac ſit mulier libera,
Atque huc continuo adduce. D. iam faxo hic erit.
Non hercle quoi nunc hoc dem ſpectandum ſcio.
T. Fortaſſe metuis? iam à foro argentarij
Abeunt, quàm in curſu rotula circumuortitur.

Abi iſtàc aduorſis angiportis ad forum:
Eadem iſta hæc facito mulier ad me tranſeat
Per hortum. D. iam hic faxo aderit. T. at ne propalàm.
D. Sapienter ſanè. T. ſupplicatum cras eat.
D. Ita hercle uero. T. dum ſtas reditum oportuit.

ACTVS QVARTVS.

TOXILVS.

SI QVAM rem accures, ſobrie, aut frugaliter,
Solet illa recte ſub manus ſuccedere:
Atque ædepol firme ut quiſque rem accurat ſuam,
Sic ei procedit. pòſt principio denique
Si malus aut nequa'ſt, male res uortunt, quas agit.
Sin autem frugi'ſt: eueniunt frugaliter.
Hanc ego rem exorſus ſum facete & callide,
Igitur prouentura bene confido mihi.
Nunc ego lenonem ita hodie intricatum dabo,
Vt ipſus, ſeſe quâ ſe expediat, neſciat.
Sagariſtio heus exi, atque educ uirginem,
Et iſtas tabellas, quas conſignaui tibi.
Quas tu attuliſti mihi ab hero meo uſque è Perſia.

SAGARISTIO, TOXILVS, ſerui.

S. NVnquid moror? T. euge euge exornatus baſilice,
Tiara ornatum lepide condecora tuum,
Tum hãc hoſpitam aũt, trepidula ut graphice decet.
Sed ſatin' eſtis meditati? S. tragici & comici
Nunquam æque ſunt meditati. T. lepide hercle adiuuas.
S. Age, illuc aſpice de procul in conſpectum. T. tace.
Vbi cum lenone me uidebis colloqui,
Id aderit adeundi tempus. nunc agite uos.

DORPALVS, leno. TOXILVS, ſeruus.

D. QVOI HOMINI di propitij ſunt, aliquid obijciunt lucri.
Nam ego hodie compendi feci duo panes in dies,
Ita ancilla mea quæ fuit hodie, nunc eſt ſua.

Argento uicit iam hodie, alienum cœnabit, nihil
Guſtabit de meo. ſumne probus, ſum ciuis lepidus?
Qui Atticam hodie ciuitatem maxumam
Maiorem feci, atque auxi ciui fœmina.
Sed ut & ego hodie fui benignus, & multis credidi,
Sed ſatis à quoq; homine accepi, ita prorſum credebã omnibus.
Nec metuo quibus credidi hodie, nequis abiuraßit mihi.
Bonus uolo iam ex hoc die eſſe: quod neq; fiet, neque fuit.

T. Hunc ego hominem hodie in tranſennam doctis ducam dolis.
Itaq; huic inſidiæ paratæ ſunt, probe aggrediar uirum.
Quid agis? cedò unde agis te nunc Dorpale? D. credo tibi.
Di dent quæ uelis. T. eho an iam manu emiſiſti mulierem?

D. Credo ædepol, credo inquam tibi. T. iam libera eſt: enicas.

D. Quin tibi me dico credere. T. dic bona fide, iam libera eſt?

D. I, i ad forum, ad prætorem: exquire, ſi quidem credere non uis mihi.
Libera inquã eſt: ecquid audis? T. at tibi di omnes benefaciant.
Nunquam enim poſthac tibi, nec tuorum quod nolis uolam.

D. Abi, ne iura, ſatis credo. T. ubi nunc tua liberta' ſt? D. apud te.

T. Ain' apud me eſſe? D. aio inquam, apud te eſt inquam. T. ita me di ament,
Vt ob iſtam rem tibi multa bona inſtant à me. nã eſt quædam
Res quam occultabam tibi dicere: nunc eam narrauero,
Vnde tu pergrande lucrum facias. faciam ut memineris mei,
Dum uita uiuas. D. benedictis benefacta, aures meæ
Auxilium expoſtulant. T. tuum promeritu' ſt merito ut faciam.
Et ut me ſcias eſſe facturum, tabellas tene has: pellige.

D. Hæ quid ad me? T. imò ad te attinet, & tua refert: nã è Perſia
Ad me allatæ modo ſunt iſtæ à meo domino.

D. Quando? T. haud dudum. D. quid iſtæ narrant? T. percunctare ex ipſis:
Ipſæ tibi narrabunt. D. cedò ſanè mihi.

T. At clare recitare. D. tace dum pellego. T. haud uerbũ faciam.

D. Salutem dicit Toxilo Timarchides,

Et familiæ omni. ſi ualetis gaudeo:
Ego ualeo recte, & rem gero & facio lucrum.
Neq; iſtò redire his octo poſſum menſibus:
Itaque hic eſt quod me detinet negotium.
Eleuſipolim Perſæ cepêre urbem in Arabia,
Plenam bonarum rerum, atq; antiquom oppidum:
Ea comparatur præda, ut fiat auctio
Publicitus. ea res me domo expertem facit.
Operam atque hoſpitium ego iſti perhiberi uolo,
Qui tibi tabellas affert: cura quæ is uolet.
Nam is mihi honores ſuæ domi habuit maxumos.
D. *Quid id ad me, aut meam ad rem refert, Perſæ quid rerum geram?*
Aut quid herus tuus? T. *tace ſtultiloque, neſcis quid inſtet boni:*
Nequicquam tibi fortuna, faculam lucrificam icere uolt.
D. *Quæ iſtæc fortuna lucrifica eſt?* T. *iſtas, quæ norunt, roga:*
Ego tamundem ſcio, quantum tu: niſi quod pellegi prior.
Sed ut occœpiſti, ex tabellis noſcerem. D. *bene me mones.*
Fac ſilentium. T. *nunc ad illud uenies, quod refert tua.*
D. *Iſte qui tabellas affert, adduxit ſimul*
Forma expetenda liberalem mulierem
Furtiuam, abductam ex Arabia penitiſſuma:
Eam te uolo accurare, ut iſtic uæneat:
Ac ſuo periclo is emat, qui eam mercabitur.
Mancipio neque promittet, neque quiſquam dabit.
Probum & numeratum argentum ut accipiat, face.
Hæc cura, & hoſpes cura ut curetur. uale.
T. *Quid igitur, poſtquam recitaſti quod erat ceræ creditum,*
Iam mihi credis? D. *ubi nunc ille' ſt hoſpes, qui haſce attulit?*
T. *Iã hic credo aderit, accerſi illũ mandaui.* D. *nihil mihi opus eſt*
Litibus, neq; trochis, quamobrem ego argẽtum numerẽ foras:
Niſi mancipio accipio, quid eo mihi opus mercimonio?
T. *Tacen', an non taces? nunq̃ ego te tam eſſe matulam credidi:*
Quid metuis? D. *metuo hercle uero, ſenſi ego iam compluries.*

Nec

Nec mihi haud imperito eueniet, tali ut in luto hæream.
T. Nihil pericli uidetur. D. ſcio iſtuc: ſed metuo mihi.
T. Mea quidem iſtuc nihil refert, tua ego refero gratia:
Vt tibi recte conciliandi primo facerem copiam.
D. Gratiam habeo. ſed te de alijs, quàm alios de te ſuauius
Eſt fieri doctos. T. nihil pericli uidetur, ne metuas,
Ne quis uero ex Arabia penutiſſuma perſequatur eam.
Iamne illam deſtinas? D. uideam modo mercimonium.
Aequa dicis. ſed optume eccum ipſe aduenit, & adducit eam
Hoſpes ille, qui has tabellas attulit. D. hiccine eſt? T. hic eſt.
D. Hæccine illa'ſt furtiua uirgo? T. iuxtà tecum æquè ſcio.
Niſi qui aſpexi equidem, ædepol liberali'ſt, quiſquis eſt.
D. Sat ædepol concinna facie. T. ut contemptim carnufex?
Taciti contemplemur formam. D. laudo conſilium tuum.

SAGARISTIO. PERSA, uirgo. TOXILVS, ſeruus. DORPALVS, leno.

S. Satin' Athenæ tibi uiſæ fortunatæ, atque opiparæ?
P. Vrbis ſpeciem uidi, hominum mores proſpexi parum.
T. Nunquid in principio ceſſauit uerbum docte dicere?
D. Haud potui etiam in primo uerbo proſpicere ſapientiam.
S. Quid id, quod uidiſti? ut munitũ muro tibi uiſu'ſt oppidum?
P. SI INCOLAE bene ſunt morati, pulchre munitum arbitror:
PERFIDIA, ET peculatus ex urbe, & auaritia ſi exulãt,
Quarta inuidia, quinta ambitio, ſexta obtrectatio,
Septimum periurium. T. euge. P. octaua indiligentia,
Nona iniuria, decuma quod peſſumum aggreſſu, ſcelus.
Hæc niſi unde aberũt, cẽtuplex murus rebus ſeruãdis paru'ſt.
T. Quid ais tu? D. quid uis? T. tu in illis es decem ſodalibus:
Te in exiliũ ire hinc oportet. D. quid iã? T. quia periurus es.
D. Verba quidem haud indocte fecit. T. ex tuo inquam uſu'ſt, eme hanc.
D. Aedepol, qui cum hanc magis contemplo, magis placet. T. ſi hanc emeris,
Di immortales, nullus leno te alter erit opulentior.

Euortes homines tuo arbitratu fundis, familijs:
Cum optumis uiris rem habebis, gratiam cupient tuam,
Venient ad te comeſſatum. D. at ego intromittere uereor:
Hac enim illi noctu occentabunt oſtium, exurent foreis.

T. Próinde tu tibi iubeas concludi ædes foribus ferreis,
Ferreas ædeis commutes, limina indas ferrea,
Ferream ſeram atq; annulum: ne ſi tu ferro parſeris,
Ferreas tute tibi impingi iubeas craſſas compedeis.

D. In malum cruciatum i ſanè. T. eme hanc, atq; auſculta mihi.

D. Modo ſciam quantum dicet. T. uin' huc uocem? D. ego illò acceſſero.

T. Quid ais hoſpes? S. uenio, adduco hanc, ut dudum dixeram.
Nam heri in portum noctu nauis uenit. uæniri hanc uolo,
Si poteſt: ſi non poteſt, ire hinc uolo quantum poteſt.

D. Saluos ſis adoleſcens. S. ſi quidem hanc uendidero pretio ſuo.

T. Atqui aut hoc emptore uendes pulchre, aut alio non potes.

S. Es ne tu huic amicus? D. tanquam di omnes, qui cœlum colũt.

T. Tum tu mihi es inimicus certus: nam generi lenonio
Nunquam ullus deus tam benignus fuit, qui fuerit propitius.

S. Hoc age, opúſne'ſt hac tibi empta? D. ſi tibi uæniſſe'ſt opus,
Mihi quoq; empta eſt: ſi tibi ſubiti nihil eſt, tantunde'ſt mihi.

S. Indica, fac pretium. D. tua merx eſt, tua indicatio eſt.

T. Aequom hic curat. S. uin' bene emere? D. uin' tu pulchre uendere?

T. Ego ſcio hercle utrunq; uelle. D. age, indica prognariter.

S. Prius dico, hanc mancupio nemo tibi dabit. iam ſcis? D. ſcio,
Indica. minimo daturus qui ſis, quî duci queat?

T. Tace, nimis tu quidem hercle homo ſtultus es pueriliter.

D. Quid ita? T. quia enim te ex puella prius percontari uolo,
Quæ ad rẽ referũt. D. atqui hercle tu me monuiſti haud male.
Vide ut ego ille doctus leno penè in foueam decidi,
Niſi adeſſes. quãtũ eſt adhibere hominẽ amicũ, ubi quid geras?

T. Quo genere, aut qua in patria ſit nata, aut quibus parentibus:
(Ne temere hanc emiſſe dicas ſuaſu, atq; impulſu meo:)

Niſi

S. SAtis fuit indoctæ, immemori, inſipienti dicere toties:
Nimis tandem me quidem pro barda, & pro ruſtica reor habitam
Eſſe abs te. quanquam ego uinum bibo: at mandata non conſueui ſimul
Bibere. uitam equidem iam ſatis tibi ſpectatam eſſe cenſueram,
Et meos mores. nam equidem te iam ſector quintum hunc annum: quin interim
Credo, canis ſi in ludum iret, potuiſſet iam fieri, ut probe
Litteras ſciret: quom interim meum ingenium fans nō edidiciſti,
Atq; infans. potin' es, ut taceas? potin' ne moneas? memini, et ſcio,
Et calleo, & commemini: amas pol miſera, id tuus ſcatet animus.
Ego tibi iſtuc placidum ut ſit, faciam. L. ECASTOR MISER EST, qui amat.

S. Certo is quidē nihil eſt, q nihil amat: qd ei homini opus uita eſt?
Ire decet me heræ obſequens, filia libera mea opera ocyus ut ſit.
Conueniam hunc Toxilū: eius aureis quæ ſunt mādata, onerabo.

TOXILVS, ſeruus. PAEGNIVM, puer. SOPHOCLIDISCA.

T. SAtin' hæc tibi ſunt plana & certa? ſatin' hæc meminiſti, & tenes?

P. Melius quàm qui docuiſti. T. ain' uerò uerbereum caput?

P. Aio enimuero. T. quid ego dixi? P. ego recte apud illam
Dixero. T. non ædepol ſcis. P. da hercle pignus, ni omnia
Memini & ſcio. T. equidem, ſi ſcis tute quot habeas hodie
Digitos in manu, eodem pignus tecum. P. audacter, tibi ſi
Lubido eſt perdere. T. bona pax ſit potius. P. tum tu igitur
Sine me ire. T. & iubeo & ſino. ſed ita uolo te curare, ut domi
Sis, cum ego te eſſe illic cenſeam. P. faciam. T. quò ergo is nunc? P. domum:
Vti domi ſim, cum illic cenſeas. T. ſcelus es tu puer,
Atque iſtanc ob rem ego aliquid te peculiabo. P. ſcio
Fidei hercle herili ut ſoleat opprobrari impudicitia:
Nec ſubigi queant unquam, ut pro ea fide habeant iudicem.

Abi

T. Abi modo. P. laudabis faxo. T. ſed has tabellas Pæcnium
Ipſi Lemneſcelenæ fac des: & quæ iuſſi, nuntia.
S. Ceſſo ire ego quò miſſa ſum? P. eo ego. T. i ſanè, ego domum
Ibo. face hanc rem cum cura geras: curriculo uola.
P. Iſtuc marinus paſſer per circum ſolet. ille hinc abit.
Sed quis hæc eſt quæ me aduorſum incedit? S. Pæcnium hic quidem eſt.
P. Sophoclidiſca hæc peculiaris eſt eius, quò ego
Sum miſſus. S. nullus hodie eſſe hoc peior perhibetur puer.
Compellabo. P. nunc commorandu'ſt mihi apud hanc obicem.
S. Pæcnium deliciæ pueri ſalue. quid agis? ut uales?
P. Sophoclidiſca di me amabunt. S. quid me? utrum? P. neſcio:
Verùm ſi ut digna es faciam, odio habeam, & faciam male.
S. Mitte male loqui. P. cũ ut digna es dico, bene, non male loquor.
S. Quid agis? P. fœminam ſceleſtam te aſtans contra contuor.
S. Certe equidem puerum peiorem, quàm te, noui neminem.
P. Quid mali facio? aut quoi maledico? S. quoi pol cunque occaſio eſt.
P. Nemo homo unquam ita arbitratu'ſt. S. at pol multi eſſe ſciunt.
P. Eia. S. eia. P. tuo ex ingenio mores alienos probas.
S. Fateor profecto me eſſe ut decet lenonis familiæ.
Satis iam dictum habeo. quid tu? confitere, ut te autumo?
P. Fatear, ſi ita ſim. S. iam abi, uiciſti. P. iam abi. S. ergo hoc mihi expedi,
Quò abis? P. quò tu? S. dic tu, prior rogaui. P. at poſt ſcies.
S. Eo quidem ego hinc haud longe. P. & quidem ego haud longe. S. quò ergo ſcelus?
P. Ni ſciero prius ex te, tu ex me nunquam hoc, quod rogitas, ſcies.
S. Nunquam ecaſtor hodie ſcibis, priuſquam ex te audiuero.
P. Itáne eſt? S. itáne eſt. P. mala. S. ſceleſtus. P. me haud decet. S. me quidem haud decet.
P. Quid ais, certum tibi eſt cælare quò iter facias peſſuma?
S. Offirmaſti occultare quò te immittas peſſume?
P. Par pari reſpondes, dicito, aut abi iam: quando ita certa res,

Nihil facio ſcire. ualeas. S. aſta. P. at propero. S. & pol ego.

P. Ecquid habes? S. ecquid tu? P. nihil. S. cedò manum ergo. P. éſtne hæc manus?

S. Vbi illa altera eſt furtifica læua? P. domi, eccam huc nullã attuli.

S. Habes neſcio quid. P. ne me attrecta ſubigatrix. S. ſin te amo?

P. Male operam locas. S. quî? P. quia enim NIHIL AMAS, cum ingratum amas.

S. Tempori hanc uigilare oportet formulam, atque ætatulam:
Ne ubi capillus uerſipellis fuat, fœde ſemper ſeruias.
Tu quidem aut etiam es octoginta pondo. P. at confidentia
Illa militia militatur magis, quàm pondere.

S. Atque ego hanc operam perdo. P. quid iam? S. quia peritis prædico.

P. Sed ceſſo. S. mane. P. moleſta es. S. ero quoque, niſi ſcio quò te agas.

P. Ad uos. S. & pol ego ad uos. P. quid eo? S. quid id ad te attinet?

P. Enim non ibis nunc uiciſſim, niſi ſcio. S. odioſus es.

P. Lubet: nunquam hercle iſtuc exterebrabis tu, ut ſis prior,
Quàm ego ſiem. S. malitia certare tecum, miſeria eſt.

P. Merx tua mala eſt. S. quid eſt quod metuas? P. iſtuc idem quod tu.

S. Dic ergo. P. ne hoc quoiquam homini dicerem, edictum eſt mihi
Magnopere, nec quoiq̃ homini crederem: omnes muti ut prius
Loqueretur hoc, quàm ego. S. at tu hoc face fide credamus data.

P. Noui, omnes ſunt lenæ leuifidæ, neque leuius tippulæ
Pondus eſt, quàm fides lenonia. S. dic amabo. P. nolo ames.

S. Facile impetras, tecum habeto. P. & tu hoc taceto. S. tacitũ erit.

P. Cælabitur. S. Toxilo has fero tabellas tuo hero. P. abi:
Eccillũ domi, et hanc ego ad Lemneſcelenen tuam herã abietem
Obſignatam. S. quid iſtic ſcriptum? P. iuxtà tecum ſcio:
Niſi fortaſſe blanda uerba. S. abeo. P. at ego abiero. S. ambula.

SAGARISTIO, ſeruos.

IOui opulento, inclyto, Ope gnato, ſupremo, ualido, uiripotenti,

Ope-

Opes, ſpes bonas, copias, commodanti lubens uitulorq́; merito,
Quia meo amico amiciter hanc commoditatis copiam
Danunt argenti minuti, uti egenti opem afferam:
Quod ego non magis ſomniabã, neq; opinabar, neq; cenſebam,
Nã herus meus ad me iã miſit, domitos boues uti ſibi mercarer.
Eam fore mihi occaſionem: ea nunc quaſi décidit de cœlo, dedit
Argentum. nam ibi mercatũ dixit eſſe die ſeptimi. ſtultus qui hoc
Mihi daret argentum, quoius ingenium nouerat. nam hoc argentum
Alibi abutar: boues quos emerem, nõ eram. nunc & amico meo
Proſperabo, & genio meo multa bona faciam. diu quod bene
Erit die uno abſoluam: tax tax tergo erit meo, non curo.
Nunc amico bobus domitis mea ex crumena largiar:
Nam id demum lepidum eſt, triparcos homines, uetulos, auidos, aridos
Bene admordere, qui allium ſeruo obſignant cum ſale.
VIRTVS EST, VBI occaſio admonet, deſpicere. quid faciet mihi?
Verberibus cædi iuſſerit, compedes imponi: uapulem.
Ne ſibi me credat ſupplicem fore. næ illi mihi iam nihil noui
Offerri poteſt, quin ſim peritus. ſed Toxili puerum Pæcnium
eccum.

PAECHIVM, puer. SAGARISTIO, ſeruus.

P. PEnſum meum quod datu'ſt, confeci. nunc propero domum.
S. Mane, etſi properas Pæcnium, auſculta. P. emere oportet tibi
Quem obedire uelis. S. aſta. P. exhibeas moleſtiam, ut opinor,
Si quid debeam, qui nunc ſic tam es moleſtus. S. ſcelerate
Etiam reſpicis? ego ſcio quid ſit ætatis. P. ehò iſtuc
Maledictum impune auferes? S. ubi Toxilus eſt? P. ubi illi lubet,
Neque te conſulit. S. etiámne dicis, ubi ſit uenefice?
P. Neſcio inquam, ulmitriba tu. S. maledicis maiori? P. prior
Promeritus perpetiare. ſeruam operam, linguam liberam
Herus me iuſſit habere. S. dicisne mihi ubi ſit Toxilus?

P. Dico ut perpetuo pereas. S. cædere hodie tu reſtibus.
P. Tua cæcule cauſſa? non hercle ſi os pertuderim tibi,
Metuam morticine. S. uideo ego te, iam incubitatus es.
P. Ita ſum. quid id attinet ad te? at nō ſum ita, ut. S. confidens ſatis.
P. Sum hercle uerò: nam ego me confido liberum fore,
Vt te nunquam ſperas. S. potin' ut moleſtus ne ſies?
P. Quod dicis, facere non quis. S. abi in malam rem. P. at tu domū
Nam ibi tibi parata præſto'ſt. S. uadatur hic me. P. utinā uades
Deſint in carcere ut ſis. S. quid hoc? P. quid eſt? S. etiam ſcelus
Male loquere? P. tandem ut liceat, quom ſeruus ſis, ſeruom tibi
Maledicere. S. itáne? ſpecta, quin dedero.
P. Nihil, iam nihil habes. S. di deæq; te omnes perdam,
Niſi hodie, ſi prehendero, defigam in terram colaphis.
P. Amicus ſum, eueniant uolo tibi, quæ optas. at id fiat, tunc me
Defigas, te cruci ipſum propediem affigent alij. S. quin te dij deæq;.
Scis quid hinc porrò dicturus fuerim? nil linguæ moderari queā.
Potín' abeas? P. abigis facile: nam umbra mea intus uapulat.
S. Vt iſtunc di deæq; perdant, tanquam proſerpēs beſtia bilinguis,
Et ſceleſtus. hercle illū abijſſe gaudeo. fores aperite. ecce autem,
Quem conuenire maxume cupiebam, egreditur foras.

TOXILVS, SAGARISTIO, SOPHOCLIDISCA.

T. PAratum iam eſſe dicito, unde argentum ſit futurum:
Iubeto habere animū bonum: dic me illam amare multum.
Vbi ſe alluat, ibi me alluat. quæ dixi ut nuntiares,
Satín' ea tenes? SO. magis calleo, quàm aprugnum callum callet.
T. Propera, abi domum. SA. nunc huic ego graphice facetus fiam,
Subnixis alis me inferam, atque amicibor glorioſe.
T. Sed quis hic anſatus ambulat? SA. magnifice conteſtabor.
T. Sagariſtio hic quidem. quid agitur Sagariſtio? ut ualetur?
Ecquid quod mandaui tibi, eſt mihi in te ſpeculæ? SA. adito:
Videbitur: factum. uola: uenito: promoueto.
T. Quid hoc quod in collo tibi tumet? SA. uomica'ſt, preſſare parce.

Nam

Nam ubi quis mala tetigit manu, dolores cooriuntur.
T. Quando iſtæc eſt innata tibi? SA. hodie. T. ſecari iubeas.
SA. Metuo ne immaturam ſecem, ne exhibeat plus negoti.
T. Inſpicere morbum tuum lubet. SA. abi: atque caueſis à cornu.
T. Quid iam? SA. quia boues bini hic ſunt in crumena. T. emitte ſodes,
Ne enicet fames, inire paſtum. SA. enim metuo, ne poßim
In bubilem reijcere, ne uagentur. T. ego reiiciam.
SA. Habe animum bonum, creditur: commodabo. ſequere hàc ſis. argentum
Hic eſt, quod me dudum rogaſti. T. quid ais? SA. dominus boues me
Mercatum Eretriam miſit: nunc mihi Eretria hæc tua domus.
T. Nimis tu facete loquere, atq; tibi ego omne argentum actûtum
Incolume redigam. nam omnes ſycophantias inſtruxi,
Quo pacto ab lenone auferam hoc argentum. SA. tanto melior.
T. Et mulier ut ſit libera, atque ipſe ultrò det argentum.
Sed ſequere me. ad eam rem uſus eſt tua mihi opera. SA. utere ut uis.

ACTVS TERTIVS.

SATVRIO, paraſitus. PERSA, uirgo.

S. QVæ res bene uortant mihi & tibi, & uentri meo,
Perennitatiq; adeò huic perpetuo cibo
Vt mihi ſuperſit, ſuppetat, ſuperſtitet.
Sequere hàc mea gnata mecum dis uolentibus.
Quoi opera detur ſcis, tenes, intelligis:
Communicaui tecum conſilia mea.
Ea cauſſa ad hoc exemplum te exornaui ego:
Venibis tu hodie uirgo. P. amabo mi pater,
Quanquam libenter eſcis alienis ſtudes,
Tune uentris cauſſa filiam uendis tuam?
S. Mirum quin regis Philippi cauſſa, aut Attali
Te potius uendam, quàm mea, quæ ſis mea.

P. Vtrum tu pro ancilla me habes, an pro filia?
S. Vtrum hercle magis in uentris rem uidebitur.
Meum opinor imperiu'ſt in te, non in me tibi'ſt.
P. Tua iſtæc poteſtas eſt pater. ueruntamen
Quanquam res noſtræ ſunt pater pauperculæ,
Modicæ, & modeſtæ: meliu'ſt tamen ita uiuere.
Nam ubi ad paupertatem acceßit infamia,
Grauior paupertas fit, fides ſubleſtior.
S. Enimuero odioſa es. P. non ſum, neque me eſſe arbitror,
Cum praua natura eſſe te percipio pater.
NAM INIMICI, famam non ita ut nata eſt, ferunt.
S. Ferant, eamq́; in maxumam malam crucem.
Non ego inimicitias omneis pluris æſtimo,
Quàm menſa inanis ſi nunc apponatur mihi.
P. Pater, HOMINVM IMMORTALIS EST INFAMIA:
Etiam tum uiuit, cum eſſe credas mortuam.
S. Quid metuis, ne te uendam? P. non metuo pater:
Verùm inſimulari nolo. S. at nequicquam ne uis:
Meo modo iſtud potius fiet, quàm tuo
Fiat. quæ hæ res ſunt? P. cogita hoc uerbum pater;
HERVS SI MINATVS EST MALVM ſeruo ſuo:
Tametſi id futurum non eſt, ubi captu'ſt flagrum,
Dum tunicas ponit, quanta afficitur miſeria?
Ego nunc quod non futuru'ſt, formido tamen.
S. Virgo atque mulier nulla erit, quin ſit mala,
Quæ præter ſapiet, quàm placet parentibus.
P. Virgo atque mulier nulla erit, quin ſit mala,
Quæ reticet, ſiquid fieri peruorſe uidet.
S. Malo cauere meliu'ſt te. P. at ſi non licet
Cauere, quid agam? nam ego tibi cautum uolo.
S. Malúſne ego ſum? P. non es, neque me dignu'ſt dicere:
Verùm ei rei operam do, ne alij dicant, quibus licet.
S. Dicat quod quiſque uolt, ego de hac ſententia
Non demouebor. P. at meo ſi liceat modo,

Sapien-

Sapienter potius faciam, quàm ſtulte. S. lubet
Lubêre per me tibi? P. licere intellego:
Verùm lubêre, haud liceat, ſi lubeat mihi.
S. Futurán' es dicto obediens, an non, patri?
P. Futura. S. ſcis nam tibi quæ præcepi omnia,
Et id, ut ſurrepta fueris? P. docte calleo.
S. Et qui parentes fuerint? P. habeo in memoria.
Neceßitate me mala ut fiam facis.
Verùm uideto, me ubi uoles nuptum dare,
Ne hæc fama faciat repudioſas nuptias.
S. Tace ſtulta, non tu nunc hominum mores uides
Quoiuſmodi? HIC CVM MALA FAMA facile nubitur:
Dum dos ſit, nullum uitium uitio uortitur.
P. Ergo iſtuc facito, ut ueniat in mentem tibi,
Me eſſe indotatam. S. caue ſis tu iſtuc dixeris,
Pol deûm uirtute, dicam & maiorum meûm
Ne te indotatam dicas, quoi dos ſit domi:
Librorum enim ecce illum plenum ſorracum habeo.
Si hoc accuraßis lepide, quoi rei operam damus,
Dabuntur dotis inde ſexcenti tibi
Logi, atque Attici omnes, nullum acceperis Siculum.
Cum hac dote poteras uel mendico nubere.
P. Quin tu me ducis, ſi quò ducturus pater?
Vel tu me uende, uel face quod tibi lubet.
S. Bonum æquomq; oras, ſequere hâc. P. dicto ſum audiens.

DORPALVS, leno.

Quid nam eſſe acturum hunc dicam uicinum meum,
Qui mihi iuratus eſt ſeſe hodie argentum dare?
Quod ſi non dederit, atque hic dies præterierit,
Ego argentum, ille iuſiurandum amiſerit.
Sed ibi concrepuit foris, quiſnam egreditur foras?

TOXILVS, ſeruos. DORPALVS, leno.

T. Curate iſtuc intus: iam ego me recipiam domum.
D. Toxile, quid agitur? T. ehò lutum lenonium

Commiſtum, ehò tu ſterquilinium publicum,
Impure, inhoneſte, iniure, illex, labes populi,
Pecuniarum accipiter, auide, atque inuide,
Procax, rapax, trahax: trecentis uerſibus
Tuas impuritias loqui nemo poteſt.
Accipin' argentum? accipe ſis argentum impudens.
Teneſis argentum. etiam tu argentum tenes?
Poſſum te facere, ut argentum accipias lutum,
Qui niſi iurato mihi nihil auſus credere?
D. Sine reſpirare me, tibi ut reſpondeam
Vir ſumme populi ſtabulum ſeruitricium,
Scortorum liberator, ſubiculum flagri,
Compedum contritor, piſtrinorum ciuitas,
Perenniſerue, lurco, edax, furax, fugax:
Cedo ſis mihi argentum, argentum inquam mihi cedò.
Quin tu mihi argentum reddis? nihilne pudet?
Leno te argentum poſcit, ſolita ſeruitus,
Pro liberanda amica, ut omnes audiant.
T. Tace obſecro hercle, næ tua uox ualide ualet.
D. Referundæ ego habeo linguam natam gratiæ.
Eodem mihi pretio ſal perhibetur, quo tibi:
Niſi me hæc defendet, nunquam delinguet ſalem.
T. Iam omitto iratus eſſe: id tibi ſuccenſui,
Quia te negabas credere argentum mihi.
D. Mirum quin tibi ego crederem, ut idem faceres mihi,
Quod partim noſtri faciunt argentarij:
Vbi quid credideris, citius éxtemplo à foro
Fugiunt, quàm ex porta ludis cum emiſſu'ſt lepus.
T. Cape hoc ſis. D. quin das? T. nummi ſexcenti hic erunt
Probi, numerati, fac ſit mulier libera,
Atque huc continuo adduce. D. iam faxo hic erit.
Non hercle quoi nunc hoc dem ſpectandum ſcio.
T. Fortaſſe metuis? iam à foro argentarij
Abeunt, quàm in curſu rotula circumuortitur.

Abi

Abi iſtàc aduorſis angiportis ad forum:
Eadem iſta hæc facito mulier ad me tranſeat
Per hortum. D. iam hic faxo aderit. T. at ne propalàm.
D. Sapienter ſanè. T. ſupplicatum cras eat.
D. Ita hercle uero. T. dum ſtas reditum oportuit.

ACTVS QVARTVS.

TOXILVS.

SI QVAM rem accures, ſobrie, aut frugaliter,
Solet illa recte ſub manus ſuccedere:
Atque ædepol firme ut quiſque rem accurat ſuam,
Sic ei procedit. pòſt principio denique
Si malus aut nequa'ſt, male res uortunt, quas agit.
Sin autem frugi'ſt: eueniunt frugaliter.
Hanc ego rem exorſus ſum facete & callide,
Igitur prouentura bene confido mihi.
Nunc ego lenonem ita hodie intricatum dabo,
Vt ipſus, ſeſe quâ ſe expediat, neſciat.
Sagariſtio heus exi, atque educ uirginem,
Et iſtas tabellas, quas conſignaui tibi.
Quas tu attuliſti mihi ab hero meo uſque è Perſia.

SAGARISTIO, TOXILVS, ſerui.

S. NVnquid moror? T. euge euge exornatus baſilice,
Tiara ornatum lepide condecora tuum,
Tum hãc hoſpitam aũt, trepidula ut graphice decet.
Sed ſatin' eſtis meditati? S. tragici & comici
Nunquam æque ſunt meditati. T. lepide hercle adiuuas.
S. Age, illuc aſpice de procul in conſpectum. T. tace.
Vbi cum lenone me uidebis colloqui,
Id aderit adeundi tempus. nunc agite uos.

DORPALVS, leno. TOXILVS, ſeruus.

D. QVOI HOMINI di propitij ſunt, aliquid obijciunt lucri.
Nam ego hodie compendi feci duo panes in dies,
Ita ancilla mea quæ fuit hodie, nunc eſt ſua.

Argento uicit iam hodie, alienum cœnabit, nihil
Guſtabit de meo. ſumne probus, ſum ciuis lepidus?
Qui Atticam hodie ciuitatem maxumam
Maiorem feci, atque auxi ciui fœmina.
Sed ut & ego hodie fui benignus, & multis credidi,
Sed ſatis à quoq; homine accepi, ita prorſum credebã omnibus
Nec metuo quibus credidi hodie, ne quis abiuraßit mihi.
Bonus uolo iam ex hoc die eſſe: quod neq; fiet, neque fuit.
T. Hunc ego hominem hodie in tranſennam doctis ducam dolis.
Itaq; huic inſidiæ paratæ ſunt, probe aggrediar uirum.
Quid agis? cedò unde agis te nunc Dorpale? D. credo tibi.
Di dent quæ uelis. T. eho an iam manu emiſiſti mulierem?
D. Credo ædepol, credo inquam tibi. T. iam libera eſt: enicas.
D. Quin tibi me dico credere. T. dic bona fide, iam libera eſt?
D. I, i ad forum, ad prætorem: exquire, ſi quidem credere non uis mihi.
Libera inquã eſt: ecquid audis? T. at tibi di omnes benefaciant.
Nunquam enim poſthac tibi, nec tuorum quod nolis uolam.
D. Abi, ne iura, ſatis credo. T. ubi nunc tua liberta' ſt? D. apud te.
T. Ain' apud me eſſe? D. aio inquam, apud te eſt inquam. T. ita me di ament,
Vt ob iſtam rem tibi multa bona inſtant à me. nã eſt quædam
Res quam occultabam tibi dicere: nunc eam narrauero,
Vnde tu pergrande lucrum facias. faciam ut memineris mei,
Dum uita uiuas. D. benedictis benefacta, aures meæ
Auxilium expoſtulant. T. tuum promeritu' ſt merito ut faciam.
Et ut me ſcias eſſe facturum, tabellas tene has: pellige.
D. Hæ quid ad me? T. imò ad te attinẽt, & tua refert: nã è Perſia
Ad me allatæ modo ſunt iſtæ à meo domino.
D. Quando? T. haud dudum. D. quid iſtæ narrant? T. percunctare ex ipſis:
Ipſæ tibi narrabunt. D. cedò ſanè mihi.
T. At clare recitare. D. tace dum pellego. T. haud uerbũ faciam.
D. Salutem dicit Toxilo Timarchides.

Et ſa-

Et familiæ omni. ſi ualetis gaudeo:
Ego ualeo recte, & rem gero & facio lucrum.
Neq; iſtò redire his octo poſſum menſibus:
Itaque hic eſt quod me detinet negotium.
Eleuſipolim Perſæ cepêre urbem in Arabia,
Plenam bonarum rerum, atq; antiquom oppidum:
Ea comparatur præda, ut fiat auctio
Publicitus. ea res me domo expertem facit.
Operam atque hoſpitium ego iſti perhiberi uolo,
Qui tibi tabellas affert: cura quæ is uolet.
Nam is mihi honores ſuæ domi habuit maxumos.
D. Quid id ad me, aut meam ad rem refert, Perſæ quid rerum gerant?
Aut quid herus tuus? T. tace ſtultiloque, neſcis quid inſtet boni:
Nequicquam tibi fortuna, faculam lucrificam icere uolt.
D. Quæ iſtæc fortuna lucrifica eſt? T. iſtas, quæ norunt, roga:
Ego tantundem ſcio, quantum tu: niſi quod pellegi prior.
Sed ut occœpiſti, ex tabellis noſcerem. D. bene me mones.
Fac ſilentium. T. nunc ad illud uenies, quod refert tua.
D. Iſte qui tabellas affert, adduxit ſimul
Forma expetenda liberalem mulierem
Furtiuam, abductam ex Arabia penitiſſuma:
Eam te uolo accurare, ut iſtic uæneat:
Ac ſuo periclo is emat, qui eam mercabitur.
Mancipio neque promittet, neque quiſquam dabit.
Probum & numeratum argentum ut accipiat, face.
Hæc cura, & hoſpes cura ut curetur. uale.
T. Quid igitur, poſtquam recitaſti quod erat ceræ creditum,
Iam mihi credis? D. ubi nunc ille' ſt hoſpes, qui haſce attulit?
T. Iã hic credo aderit, accerſi illũ mandaui. D. nihil mihi opus eſt
Litibus, neq; trochis, quamobrem ego argẽtum numerẽ foras.
Niſi mancipio accipio, quid eo mihi opus mercimonio?
T. Tacen', an non taces? nunq̃ ego te tam eſſe matulam credidi:
Quid metuis? D. metuo hercle uero, ſenſi ego iam compluries.

Nec mihi haud imperito eueniet, tali ut in luto hæream.
T. Nihil pericli uidetur. D. ſcio iſtuc: ſed metuo mihi.
T. Mea quidem iſtuc nihil refert, tua ego refero gratia:
Vt tibi recte conciliandi primo facerem copiam.
D. Gratiam habeo. ſed te de alijs, quàm alios de te ſuauius
Eſt fieri doctos. T. nihil pericli uidetur, ne metuas,
Ne quis uero ex Arabia penutiſſuma perſequatur eam.
Iámne illam deſtinas? D. uideam modo mercimonium.
Aequa dicis. ſed optume eccum ipſe aduenit, & adducit eam
Hoſpes ille, qui has tabellas attulit. D. hiccine eſt? T. hic eſt.
D. Hæccine illa'ſt furtiua uirgo? T. iuxtà tecum æquè ſcio.
Niſi qui aſpexi equidem, ædepol liberali'ſt, quiſquis eſt.
D. Sat ædepol concinna facie. T. ut contemptim carnufex?
Taciti contemplemur formam. D. laudo conſilium tuum.

SAGARISTIO. PERSA, uirgo. TOXILVS, ſeruus.
DORPALVS, leno.

S. SAtin' Athenæ tibi uiſæ fortunatæ, atque opiparæ?
P. Vrbis ſpeciem uidi, hominum mores proſpexi parum.
T. Nunquid in principio ceſſauit uerbum docte dicere?
D. Haud potui etiam in primo uerbo proſpicere ſapientiam.
S. Quid id, quod uidiſti? ut munitũ muro tibi uiſu'ſt oppidum?
P. SI INCOLAE bene ſunt morati, pulchre munitum arbitror:
PERFIDIA, ET peculatus ex urbe, & auaritia ſi exulãt,
Quarta inuidia, quinta ambitio, ſexta obtrectatio,
Septimum periurium. T. euge. P. octaua indiligentia,
Nona iniuria, decuma quod peſſumum aggreſſu, ſcelus.
Hæc niſi unde aberũt, cẽtuplex murus rebus ſeruãdis paru'ſt.
T. Quid ais tu? D. quid uis? T. tu in illis es decem ſodalibus:
Te in exiliũ ire hinc oportet. D. quid iã? T. quia periurus es.
D. Verba quidem haud indocte fecit. T. ex tuo inquam uſu'ſt, eme hanc.
D. Aedepol, qui cum hanc magis contemplo, magis placet. T. ſi hanc emeris,
Di immortales, nullus leno te alter erit opulentior.

Euortes

Euortes homines tuo arbitratu fundis, familijs:
Cum optumis uiris rem habebis, gratiam cupient tuam,
Venient ad te comeſſatum. D. at ego intromittere uereor:
Hac enim illi noctu occentabunt oſtium, exurent foreis.
T. Proinde tu tibi iubeas concludi ædes foribus ferreis,
Ferreas ædeis commutes, limina indas ferrea,
Ferream ſeram atq; annulum: ne ſi tu ferro parſeris,
Ferreas tute tibi impingi iubeas craſſas compedeis.
D. In malum cruciatum i ſanè. T. eme hanc, atq; auſculta mihi.
D. Modo ſciam quantum dicet. T. uin' huc uocem? D. ego illò acceſſero.
T. Quid ais hoſpes? S. uenio, adduco hanc, ut dudum dixeram.
Nam heri in portum noctu nauis uenit. uæniri hanc uolo,
Si poteſt: ſi non poteſt, ire hinc uolo quantum poteſt.
D. Saluos ſis adoleſcens. S. ſi quidem hanc uendidero pretio ſuo.
T. Atqui aut hoc emptore uendes pulchre, aut alio non potes.
S. Es ne tu huic amicus? D. tanquam di omnes, qui cœlum colũt.
T. Tum tu mihi es inimicus certus: nam generi lenonio
Nunquam ullus deus tam benignus fuit, qui fuerit propitius.
S. Hoc age, opúſne'ſt hac tibi empta? D. ſi tibi uæniſſe'ſt opus,
Mihi quoq; empta eſt: ſi tibi ſubiti nihil eſt, tantunde'ſt mihi.
S. Indica, fac pretium. D. tua merx eſt, tua indicatio eſt.
T. Aequom hic curat. S. uin' bene emere? D. uin' tu pulchre uendere?
T. Ego ſcio hercle utrunq; uelle. D. age, indica prognariter.
S. Prius dico, hanc mancupio nemo tibi dabit. iam ſcis? D. ſcio,
Indica. minimo daturus qui ſis, quî duci queat?
T. Tace, nimis tu quidem hercle homo ſtultus es pueriliter.
D. Quid ita? T. quia enim te ex puella prius percontari uolo,
Quæ ad rẽ referũt. D. atqui hercle tu me monuiſti haud male.
Vide ut ego ille doctus leno penè in foueam décidi,
Niſi adeſſes. quãtũ eſt adhibere hominẽ amicũ, ubi quid geras?
T. Quo genere, aut qua in patria ſit nata, aut quibus parentibus:
(Ne temere hanc emiſſe dicas ſuaſu, atq; impulſu meo:)

Niſi

S. SAtis fuit indoctæ, immemori, inſipienti dicere toties:
Nimis tandem me quidem pro barda, & pro ruſtica reor habitam
Eſſe abs te. quanquam ego uinum bibo: at mandata non conſucui ſimul
Bibere. uitam equidem iam ſatis tibi ſpectatam eſſe cenſueram,
Et meos mores. nam equidem te iam ſector quintum hunc annum: quin interim
Credo, canis ſi in ludum iret, potuiſſet iam fieri, ut probe
Litteras ſciret: quom interim meum ingenium fans nō edidiciſti,
Atq; infans. potin' es, ut taceas? potin' ne moneas? memini, et ſcio,
Et calleo, & commemini: amas pol miſera, id tuus ſcatet animus.
Ego tibi iſtuc placidum ut ſit, faciam. L. ECASTOR MISER EST, qui amat.

S. Certo is quidē nihil eſt, q nihil amat: qd ei homini opus uita eſt?
Ire decet me heræ obſequens, filia libera mea opera ocyus ut ſit.
Conueniam hunc Toxilū: eius aureis quæ ſunt mādata, onerabo.

TOXILVS, ſeruus. PAECNIVM, puer. SOPHOCLIDISCA.

T. SAtin' hæc tibi ſunt plana & certa? ſatin' hæc meminiſti, & tenes?
P. Melius quàm qui docuiſti. T. ain' uerò uerbereum caput?
P. Aio enimuero. T. quid ego dixi? P. ego recte apud illam
Dixero. T. non ædepol ſcis. P. da hercle pignus, ni omnia
Memini & ſcio. T. equidem, ſi ſcis tute quot habeas hodie
Digitos in manu, eodem pignus tecum. P. audacter, tibi ſi
Lubido eſt perdere. T. bona pax ſit potius. P. tum tu igitur
Sine me ire. T. & iubeo & ſino. ſed ita uolo te curare, ut domi
Sis, cum ego te eſſe illic cenſeam. P. faciam. T. quò ergo is nunc? P. domum:
Vti domi ſim, cum illic cenſeas. T. ſcelus es tu puer,
Atque iſtanc ob rem ego aliquid te peculiabo. P. ſcio
Fidei hercle herili ut ſoleat opprobrari impudicitia:
Nec ſubigi queant unquam, ut pro ea fide habeant iudicem.

Abi

T. Abi modo. P. laudabis faxo. T. ſed has tabellas Pæcnium
Ipſi Lemneſcelenæ fac des: & quæ iuſſi, nuntia.
S. Ceſſo ire ego quò miſſa ſum? P. eo ego. T. i ſanè, ego domum
Ibo. face hanc rem cum cura geras: curriculo uola.
P. Iſtuc marinus paſſer per circum ſolet. ille hinc abit.
Sed quis hæc eſt quæ me aduorſum incedit? S. Pæcnium hic
quidem eſt.
P. Sophoclidiſca hæc peculiaris eſt eius, quò ego
Sum miſſus. S. nullus hodie eſſe hoc peior perhibetur puer.
Compellabo. P. nunc commorandu'ſt mihi apud hanc obicem.
S. Pæcnium deliciæ pueri ſalue. quid agis? ut uales?
P. Sophoclidiſca di me amabunt. S. quid me? utrum? P. neſcio:
Verùm ſi ut digna es faciant, odio habeant, & faciant male.
S. Mitte male loqui. P. cũ ut digna es dico, bene, non male loquor.
S. Quid agis? P. fœminam ſceleſtam te aſtans contra contuor.
S. Certe equidem puerum peiorem, quàm te, noui neminem.
P. Quid mali facio? aut quoi maledico? S. quoi pol cunque occa-
ſio eſt.
P. Nemo homo unquam ita arbitratu'ſt. S. at pol multi eſſe ſciunt.
P. Eia. S. eia. P. tuo ex ingenio mores alienos probas.
S. Fateor profectò me eſſe ut decet lenonis familiæ.
Satis iam dictum habeo. quid tu? confitere, ut te autumo?
P. Fatear, ſi ita ſim. S. iam abi, uiciſti. P. iam abi. S. ergo hoc
mihi expedi,
Quò abis? P. quò tu? S. dic tu, prior rogaui. P. at poſt ſcies.
S. Eo quidem ego hinc haud longe. P. & quidem ego haud longe.
S. quò ergo ſcelus?
P. Ni ſciero prius ex te, tu ex me nunquam hoc, quod rogitas, ſcies.
S. Nunquam ecaſtor hodie ſcibis, priuſquam ex te audiuero.
P. Itáne eſt? S. itáne eſt. P. mala. S. ſceleſtus. P. me haud decet.
S. me quidem haud decet.
P. Quid ais, certum tibi eſt cælare quò iter facias peſſuma?
S. Offirmaſti occultare quò te immittas peſſume?
P. Par pari reſpondes, dicito, aut abi iam: quando ita certa res,

Nihil facio ſcire, ualeas. S. aſta. P. at propero. S. & pol ego.
P. Ecquid habes? S. ecquid tu? P. nihil. S. cedò manum ergo. P. éſtne hæc manus?
S. Vbi illa altera eſt furtifica læua? P. domi, eccam huc nullã attuli.
S. Habes neſcio quid. P. ne me attrecta ſubigatrix. S. ſin te amo?
P. Male operam locas. S. quî? P. quia enim NIHIL AMAS, cum ingratum amas.
S. Tempori hanc uigilare oportet formulam, atque ætatulam:
Ne ubi capillus uerſipellis fuat, fœde ſemper ſeruias.
Tu quidem aut etiam es octoginta pondo. P. at confidentia
Illa militia militatur magis, quàm pondere.
S. Atque ego hanc operam perdo. P. quid iam? S. quia peritis prædico.
P. Sed ceſſo. S. mane. P. moleſta es. S. ero quoque, niſi ſcio quò te agas.
P. Ad uos. S. & pol ego ad uos. P. quid eo? S. quid id ad te attinet?
P. Enim non ibis nunc uiciſſim, niſi ſcio. S. odioſus es.
P. Lubet: nunquam hercle iſtuc exterebrabis tu, ut ſis prior,
Quàm ego ſiem. S. malitia certare tecum, miſeria eſt.
P. Merx tua mala eſt. S. quid eſt quod metuas? P. iſtuc idem quod tu.
S. Dic ergo. P. ne hoc quoiquam homini dicerem, edictum eſt mihi
Magnopere, nec quoiq̃ homini crederem: omnes muti ut prius
Loqueretur hoc, quàm ego. S. at tu hoc face fide credamus data.
P. Noui, omnes ſunt lenæ leuifidæ, neque leuius tippulæ
Pondus eſt, quàm fides lenonia. S. dic amabo. P. nolo ames.
S. Facile impetras, tecum habeto. P. & tu hoc taceto. S. tacitũ erit.
P. Cælabitur. S. Toxilo has fero tabellas tuo hero. P. abi:
Eccillũ domi, et hanc ego ad Lemneſcelenen tuam herã abietem
Obſignatam. S. quid iſtic ſcriptum? P. iuxtà tecum ſcio:
Niſi fortaſſe blanda uerba. S. abeo. P. at ego abiero. S. ambula.

SAGARISTIO, ſeruos.

IOui opulento, inclyto, Ope gnato, ſupremo, ualido, uiripotenti,

Ope-

Opes, ſpes bonas, copias, commodanti lubens uitulorq́; merito,
Quia meo amico amiciter hanc commoditatis copiam
Danunt argenti minuti, uti egenti opem afferam:
Quod ego non magis ſomniabã, neq; opinabar, neq; cenſebam,
Nã herus meus ad me iã miſit, domitos boues uti ſibi mercarer.
Eam fore mihi occaſionem: ea nunc quaſi décidit de cœlo, dedit
Argentum. nam ibi mercatũ dixit eſſe die ſeptimi. ſtultus qui hoc
Mihi daret argentum, quoius ingenium nouerat. nam hoc argentum
Alibi abutar: boues quos emerem, nõ erant. nunc & amico meo
Proſperabo, & genio meo multa bona faciam. diu quod bene
Erit die uno abſoluam: tax tax tergo erit meo, non curo.
Nunc amico bobus domitis mea ex crumena largiar:
Nam id demum lepidum eſt, triparcos homines, uetulos, auidos, aridos
Bene admordere, qui allium ſeruo obſignant cum ſale.
VIRTVS EST, VBI *occaſio admonet, deſpicere. quid faciet mihi?*
Verberibus cædi iuſſerit, compedes imponi: uapulem.
Ne ſibi me credat ſupplicem fore. næ illi mihi iam nihil noui
Offerri poteſt, quin ſim peritus. ſed Toxili puerum Pæcnium eccum.

PAECNIVM, *puer.* SAGARISTIO, *ſeruus.*

P. *PEnſum meum quod datu'ſt, confeci. nunc propero domum.*
S. *Mane, etſi properas Pæcnium, auſculta.* P. *emere oportet tibi*
Quem obedire uelis. S. *aſta.* P. *exhibeas moleſtiam, ut opinor,*
Si quid debeam, qui nunc ſic tam es moleſtus. S. *ſcelerate*
Etiam reſpicis? ego ſcio quid ſit ætatis. P. *ehò iſtuc*
Maledictum impune auferes? S. *ubi* Toxilus *eſt?* P. *ubi illi lubet,*
Neque te conſulit. S. *etiámne dicis, ubi ſit uenefice?*
P. *Neſcio inquam, ulmitriba tu.* S. *maledicis maiori?* P. *prior*
Promeritus perpetiare. ſeruam operam, linguam liberam
Herus me iuſsit habere. S. *dicisne mihi ubi ſit* Toxilus?

P. Dico ut perpetuo pereas. S. cædere hodie tu reſtibus.
P. Tua cæcule cauſſa: non hercle ſi os pertuderim tibi,
Metuam morticine. S. uideo ego te, iam incubitatus es.
P. Ita ſum. quid id attinet ad te? at nō ſum ita, ut. S. confidens ſatis.
P. Sum hercle uerò: nam ego me confido liberum fore,
Vt te nunquam ſperas. S. potin' ut moleſtus ne ſies?
P. Quod dicis, facere non quis. S. abi in malam rem. P. at tu domū
Nam ibi tibi parata præſto'ſt. S. uadatur hic me. P. utinā uades
Deſint in carcere ut ſis. S. quid hoc? P. quid eſt? S. etiam ſcelus
Male loquere? P. tandem ut liceat, quom ſeruus ſis, ſeruom tibi
Maledicere. S. itane? ſpecta, quin dedero.
P. Nihil, iam nihil habes. S. di deæq; te omnes perdam,
Niſi hodie, ſi prehendero, defigam in terram colaphis.
P. Amicus ſum, eueniant uolo tibi, quæ optas. at id fiat, tunc me
Defigas, te cruci ipſum propediem affigent alij. S. quin te dij
deæq;.
Scis quid hinc porrò dicturus fuerim? nil linguæ moderari queā.
Potin' abeas? P. abigis facile: nam umbra mea imus uapulat.
S. Vt iſtunc di deæq; perdam, tanquam proſerpēs beſtia bilinguis,
Et ſceleſtus. hercle illū abijſſe gaudeo. fores aperite. ecce autem,
Quem conuenire maxume cupiebam, egreditur foras.

TOXILVS, SAGARISTIO, SOPHOCLIDISCA.

T. PAratum iam eſſe dicito, unde argentum ſit futurum:
Iubeto habere animū bonum: dic me illam amare multum.
Vbi ſe alluat, ibi me alluat. quæ dixi ut nuntiares,
Satin' ea tenes? SO. magis calleo, quàm aprugnum callum callet.
T. Propera, abi domum. SA. nunc huic ego graphice facetus fiam,
Subnixis alis me inferam, atque amicibor glorioſe.
T. Sed quis hic anſatus ambulat? SA. magnifice conteſtabor.
T. Sagariſtio hic quidem. quid agitur Sagariſtio? ut ualetur?
Ecquid quod mandaui tibi, eſt mihi in te ſpeculæ? SA. adito:
Videbitur: factum. uola: uenito: promoueto.
T. Quid hoc quod in collo tibi tumet? SA. uomica'ſt, preſſare parce.

Nam

Nam ubi quis mala tetigit manu, dolores cooriuntur.

T. Quando iſtæc eſt innata tibi? SA. hodie. T. ſecari iubeas.

SA. Metuo ne immaturam ſecem, ne exhibeat plus negoti.

T. Inſpicere morbum tuum lubet. SA. abi: atque caueſis à cornu.

T. Quid iam? SA. quia boues bini hic ſunt in crumena. T. emitte ſodes,

Ne enicet fames, inire paſtum SA. enim metuo, ne poßim

In bubilem reijcere, ne uagentur. T. ego reijciam.

SA. Habe animum bonum, creditur: commodabo. ſequere hâc ſis: argentum

Hic eſt, quod me dudum rogaſti. T. quid ais? SA. dominus boues me

Mercatum Eretriam miſit: nunc mihi Eretria hæc tua domus.

T. Nimis tu facete loquere, atq; tibi ego omne argentum actûtum

Incolume redigam. nam omnes ſycophantias inſtruxi,

Quo pacto ab lenone auferam hoc argentum. SA. tanto melior.

T. Et mulier ut ſit libera, atque ipſe ultrò det argentum.

Sed ſequere me. ad eam rem uſus eſt tua mihi opera. SA. utere ut uis.

ACTVS TERTIVS.

SATVRIO, paraſitus. PERSA, uirgo.

S. QVæ res bene uortant mihi & tibi, & uentri meo,

Perennitatisq; adeò huic perpetuo cibo

Vt mihi ſuperſit, ſuppetat, ſuperſtitet.

Sequere hàc mea gnata mecum dis uolentibus.

Quoi opera detur ſcis, tenes, intelligis:

Communicaui tecum conſilia mea.

Ea cauſſa ad hoc exemplum te exornaui ego:

Venibis tu hodie uirgo. P. ámabo mi pater,

Quanquam libenter eſcis alienis ſtudes,

Tune uentris cauſſa filiam uendis tuam?

S. Mirum quin regis Philippi cauſſa, aut Attali

Te potius uendam, quàm mea, quæ ſis mea.

P. Vtrum tu pro ancilla me habes, an pro filia?
S. Vtrum hercle magis in uentris rem uidebitur.
Meum opinor imperiu'ſt in te, non in me tibi'ſt.
P. Tua iſtæc poteſtas eſt pater. ueruntamen
Quanquam res noſtræ ſunt pater pauperculæ,
Modicæ, & modeſtæ: meliu' ſt tamen ita uiuere.
Nam ubi ad paupertatem acceſſit infamia,
Grauior paupertas fit, fides ſubleſtior.
S. Enimuero odioſa es. P. non ſum, neque me eſſe arbitror.
Cum praua natura eſſe te percipio pater.
NAM INIMICI, famam non ita ut nata eſt, ferunt.
S. Ferant, eant'q; in maxumam malam crucem.
Non ego inimicitias omneis pluris æſtimo,
Quàm menſa inanis ſi nunc apponatur mihi.
P. Pater, HOMINVM IMMORTALIS EST INFAMIA:
Etiam tum uiuit, cum eſſe credas mortuam.
S. Quid metuis, ne te uendam? P. non metuo pater:
Verùm inſimulari nolo. S. at nequicquam ne uis:
Meo modo iſtud potius fiet, quàm tuo
Fiat. quæ hæ res ſunt? P. cogita hoc uerbum pater;
HERVS SI MINATVS EST MALVM ſeruo ſuo,
Tametſi id futurum non eſt, ubi captu'ſt flagrum,
Dum tunicas ponit, quanta afficitur miſeria?
Ego nunc quod non futuru'ſt, formido tamen.
S. Virgo atque mulier nulla erit, quin ſit mala,
Quæ præter ſapiet, quàm placet parentibus.
P. Virgo atque mulier nulla erit, quin ſit mala,
Quæ reticet, ſi quid fieri peruorſe uidet.
S. Malo cauere meliu'ſt te. P. at ſi non licet
Cauere, quid agam? nam ego tibi cautum uolo.
S. Malúsne ego ſum? P. non es, neque me dignu'ſt dicere:
Verùm ei rei operam do, ne alij dicant, quibus licet.
S. Dicat quod quiſque uolt, ego de hac ſententia
Non demouebor. P. at meo ſi liceat modo,

Sapienter potius faciam, quàm ſtulte. S. lubet
Lubêre per me tibi? P. licere intellego:
Verùm lubêre, haud liceat, ſi lubeat mihi.
S. Futurán' es dicto obediens, an non, patri?
P. Futura. S. ſcis nam tibi quæ præcepi omnia,
Et id, ut ſurrepta fueris? P. docte calleo.
S. Et qui parentes fuerint? P. habeo in memoria.
Neceſsitate me mala ut fiam facis.
Verùm uideto, me ubi uoles nuptum dare,
Ne hæc fama faciat repudioſas nuptias.
S. Tace ſtulta, non tu nunc hominum mores uides
Quoiuſmodi? HIC CVM MALA FAMA facile nubitur:
Dum dos ſit, nullum uitium uitio uortitur.
P. Ergo iſtuc facito, ut ueniat in mentem tibi,
Me eſſe indotatam. S. caue ſis tu iſtuc dixeris,
Pol deûm uirtute, dicam & maiorum meûm
Ne te indotatam dicas, quoi dos ſit domi:
Librorum enim ecce illum plenum ſorracum habeo.
Si hoc accuraſsis lepide, quoi rei operam damus,
Dabuntur dotis inde ſexcenti tibi
Logi, atque Attici omnes, nullum acceperis Siculum.
Cum hac dote poteras uel mendico nubere.
P. Quin tu me ducis, ſi quò ducturus pater?
Vel tu me uende, uel face quod tibi lubet.
S. Bonum æquomq; oras, ſequere hâc. P. dicto ſum audiens.

DORPALVS, leno.

QVid nam eſſe acturum hunc dicam uicinum meum,
Qui mihi iuratus eſt ſeſe hodie argentum dare?
Quod ſi non dederit, atque hic dies præterierit,
Ego argentum, ille iuſiurandum amiſerit.
Sed ibi concrepuit foris, quiſnam egreditur foras?

TOXILVS, ſeruos. DORPALVS, leno.

T. CVrate iſtuc intus: iam ego me recipiam domum.
D. Toxile, quid agitur? T. ehò lutum lenonium

Commiſtum, eho tu ſterquilinium publicum,
Impure, inhoneſte, iniure, illex, labes populi,
Pecuniarum accipiter, auide, atque inuide,
Procax, rapax, trahax: trecentis uerſibus
Tuas impuritias loqui nemo poteſt.
Accipin' argentum? accipe ſis argentum impudens.
Teneſis argentum? etiam tu argentum tenes?
Poſſum te facere, ut argentum accipias lutum,
Qui niſi iurato mihi nihil auſus credere?
D. Sine reſpirare me, tibi ut reſpondeam
Vir ſumme populi ſtabulum ſeruitricium,
Scortorum liberator, ſubiculum flagri,
Compedum contritor, piſtrinorum ciuitas,
Perenniſerue, lurco, edax, furax, fugax:
Cedo ſis mihi argentum, argentum inquam mihi cedo.
Quin tu mihi argentum reddis? nihilne pudet?
Leno te argentum poſcit, ſolita ſeruitus,
Pro liberanda amica, ut omnes audiant.
T. Tace obſecro hercle, næ tua uox ualide ualet.
D. Referundæ ego habeo linguam natam gratiæ.
Eodem mihi pretio ſal perhibetur, quo tibi:
Niſi me hæc defendet, nunquam delinguet ſalem.
T. Iam omitto iratus eſſe: id tibi ſuccenſui,
Quia te negabas credere argentum mihi.
D. Mirum quin tibi ego crederem, ut idem faceres mihi,
Quod partim noſtri faciunt argentarij:
Vbi quid credideris, citius extemplo à foro
Fugiunt, quàm ex porta ludis cum emiſſu'ſt lepus.
T. Cape hoc ſis. D. quin das? T. nummi ſexcenti hic erunt
Probi, numerati, fac ſit mulier libera,
Atque huc continuo adduce. D. iam faxo hic erit.
Non hercle quoi nunc hoc dem ſpectandum ſcio.
T. Fortaſſe metuis? iam à foro argentarij
Abeunt, quàm in curſu rotula circumuortitur.

Abi iſtàc aduorſis angiportis ad forum:
Eadem iſta hæc facito mulier ad me tranſeat
Per hortum. D. iam hic faxo aderit. T. at ne propalàm.
D. Sapienter ſanè. T. ſupplicatum cras eat.
D. Ita hercle uero. T. dum ſtas reditum oportuit.

ACTVS QVARTVS.

TOXILVS.

SI QVAM rem accures, ſobrie, aut frugaliter,
Solet illa recte ſub manus ſuccedere:
Atque ædepol firme ut quiſque rem accurat ſuam,
Sic ei procedit. poſt principio denique
Si malus aut nequa'ſt, male res uortunt, quas agit.
Sin autem frugi'ſt: eueniunt frugaliter.
Hanc ego rem exorſus ſum facete & callide,
Igitur prouentura bene confido mihi.
Nunc ego lenonem ita hodie intricatum dabo,
Vt ipſus, ſeſe quâ ſe expediat, neſciat.
Sagariſtio heus exi, atque educ uirginem,
Et iſtas tabellas, quas conſignaui tibi.
Quas tu attuliſti mihi ab hero meo uſque è Perſia.

SAGARISTIO, TOXILVS, ſerui.

S. NVnquid moror? T. euge euge exornatus baſilice,
Tiara ornatum lepide condecora tuum,
Tum hăc hoſpitam aŭt, trepidula ut graphice decet.
Sed ſatin' eſtis meditati? S. tragici & comici
Nunquam æque ſunt meditati. T. lepide hercle adiuuas.
S. Age, illuc aſpice de procul in conſpectum. T. tace.
Vbi cum lenone me uidebis colloqui,
Id aderit adeundi tempus. nunc agite uos.

DORPALVS, leno. TOXILVS, ſeruus.

D. QVOI HOMINI di propitij ſunt, aliquid obijciunt lucri.
Nam ego hodie compendi feci duo panes in dies,
Ita ancilla mea quæ fuit hodie, nunc eſt ſua.

Argento uicit iam hodie, alienum cœnabit, nihil
Guſtabit de meo. ſumne probus, ſum ciuis lepidus?
Qui Atticam hodie ciuitatem maxumam
Maiorem feci, atque auxi ciui fœmina.
Sed ut & ego hodie fui benignus, & multis credidi,
Sed ſatis à quoq; homine accepi, ita prorſum credebã omnibus
Nec metuo quibus credidi hodie, nequis abiuraßit mihi.
Bonus uolo iam ex hoc die eſſe: quod neq; fiet, neque fuit.
T. Hunc ego hominem hodie in tranſennam doctis ducam dolis.
Itaq; huic inſidiæ paratæ ſunt, probe aggrediar uirum.
Quid agis? cedò unde agis te nunc Dorpale? D. credo tibi.
Di dent quæ uelis. T. ehò an iam manu emiſiſti mulierem?
D. Credo ædepol, credo inquam tibi. T. iam libera eſt: enicas.
D. Quin tibi me dico credere. T. dic bona fide, iam libera eſt?
D. I, i ad forum, ad prætorem: exquire, ſi quidem credere non uis mihi.
Libera inquã eſt: ecquid audis? T. at tibi di omnes benefaciant.
Nunquam enim poſthac tibi, nec tuorum quod nolis uolam.
D. Abi, ne iura, ſatis credo. T. ubi nunc tua liberta' ſt? D. apud te.
T. Ain' apud me eſſe? D. aio inquam, apud te eſt inquam. T. ita me di ament,
Vt ob iſtam rem tibi multa bona inſtant à me. nã eſt quædam
Res quam occultabam tibi dicere: nunc eam narrauero,
Vnde tu pergrande lucrum facias. faciam ut memineris mei,
Dum uita uiuas. D. benedictis benefacta, aures meæ
Auxilium expoſtulant. T. tuum promeritu' ſt merito ut faciam.
Et ut me ſcias eſſe facturum, tabellas tene has: pellige.
D. Hæ quid ad me? T. imò ad te attinẽt, & tua refert: nã è Perſia
Ad me allatæ modo ſunt iſtæ à meo domino.
D. Quando? T. haud dudum. D. quid iſtæ narrant? T. percunctare ex ipſis:
Ipſæ tibi narrabunt. D. cedò ſanè mihi.
T. At clare recitare. D. tace dum pellego. T. haud uerbũ faciam.
D. Salutem dicit Toxilo Timarchides,

Et ſa-

Et familiæ omni. ſi ualetis gaudeo:
Ego ualeo recte, & rem gero & facio lucrum.
Neq; iſtò redire his octo poſſum menſibus:
Itaque hic eſt quod me detinet negotium.
Eleuſipolim Perſæ cepêre urbem in Arabia,
Plenam bonarum rerum, atq; antiquom oppidum:
Ea comparatur præda, ut fiat auctio
Publicitus. ea res me domo expertem facit.
Operam atque hoſpitium ego iſti perhiberi uolo,
Qui tibi tabellas affert: cura quæ is uolet.
Nam is mihi honores ſuæ domi habuit maxumos.
D. *Quid id ad me, aut meam ad rem refert, Perſæ quid rerum gerant?*
Aut quid herus tuus? T. tace ſtultiloque, neſcis quid inſtet boni:
Nequicquam tibi fortuna, faculam lucrificam icere uolt.
D. *Quæ iſtæc fortuna lucrifica eſt? T. iſtas, quæ norunt, roga:*
Ego tantundem ſcio, quantum tu: niſi quod pellegi prior.
Sed ut occœpiſti, ex tabellis noſcerem. D. bene me mones.
Fac ſilentium. T. nunc ad illud uenies, quod refert tua.
D. *Iſte qui tabellas affert, adduxit ſimul*
Forma expetenda liberalem mulierem
Furtiuam, abductam ex Arabia penitiſſuma:
Eam te uolo accurare, ut iſtic uæneat:
Ac ſuo periclo is emat, qui eam mercabitur.
Mancipio neque promittet, neque quiſquam dabit.
Probum & numeratum argentum ut accipiat, face.
Hæc cura, & hoſpes cura ut curetur. uale.
T. *Quid igitur, poſtquam recitaſti quod erat ceræ creditum,*
Iam mihi credis? D. ubi nunc ille' ſt hoſpes, qui haſce attulit?
T. *Iã hic credo aderit, accerſi iliũ mandaui. D. nihil mihi opus eſt*
Litibus, neq; trochis, quamobrem ego argẽtum numerẽ foras
Niſi mancipio accipio, quid eo mihi opus mercimonio?
T. *Tacen', an non taces? nunq̃ ego te tam eſſe matulam credidi:*
Quid metuis? D. metuo hercle uero, ſenſi ego iam compluries.

Nec

Euortes homines tuo arbitratu fundis, familijs:
Cum optumis uiris rem habebis, gratiam cupient tuam,
Venient ad te comeſſatum. D. at ego intromittere uereor:
Hac enim illi noctu occentabunt oſtium, exurent foreis.
T. Próinde tu tibi iubeas concludi ædes foribus ferreis,
Ferreas ædeis commutes, limina indas ferrea,
Ferream ſeram atq; annulum: ne ſi tu ferro parſeris,
Ferreas tute tibi impingi iubeas craſſas compedeis.
D. In malum cruciatum i ſanè. T. eme hanc, atq; auſculta mihi.
D. Modo ſciam quantum dicet. T. uin' huc uocem? D. ego illò acceſſero.
T. Quid ais hoſpes? S. uenio, adduco hanc, ut dudum dixeram.
Nam heri in portum noctu nauis uenit. uæniri hanc uolo,
Si poteſt: ſi non poteſt, ire hinc uolo quantum poteſt.
D. Saluos ſis adoleſcens. S. ſi quidem hanc uendidero pretio ſuo.
T. Atqui aut hoc emptore uendes pulchre, aut alio non potes.
S. Es ne tu huic amicus? D. tanquam di omnes, qui cœlum colũt.
T. Tum tu mihi es inimicus certus: nam generi lenonio
Nunquam ullus deus tam benignus fuit, qui fuerit propitius.
S. Hoc age, opúſne'ſt hac tibi empta? D. ſi tibi uæniſſe'ſt opus,
Mihi quoq; empta eſt: ſi tibi ſubiti nihil eſt, tantunde'ſt mihi.
S. Indica, fac pretium. D. tua merx eſt, tua indicatio eſt.
T. Aequom hic curat. S. uin' bene emere? D. uin' tu pulchre uendere?
T. Ego ſcio hercle utrunq; uelle. D. age, indica prognariter.
S. Prius dico, hanc mancupio nemo tibi dabit. iam ſcis? D. ſcio,
Indica. minimo daturus qui ſis, quî duci queat?
T. Tace, nimis tu quidem hercle homo ſtultus es pueriliter.
D. Quid ita? T. quia enim te ex puella prius percontari uolo,
Quæ ad rẽ referũt. D. atqui hercle tu me monuiſti haud male.
Vide ut ego ille doctus leno penè in foueam décidi,
Niſi adeſſes. quãtũ eſt adhibere hominẽ amicũ, ubi quid geras?
T. Quo genere, aut qua in patria ſit nata, aut quibus parentibus:
(Ne temere hanc emiſſe dicas ſuaſu, atq; impulſu meo:)

Niſi

Niſi moleſtũ eſt. percõtari hanc paucis hic uolt. S. maxume,
Suo arbitratu. T. quid ſtas? abi tute, atq; ipſe itidem roga,
Vt tibi percontari liceat, quæ uelis, & ſi mihi
Dixit dare poteſtatem eius: ſed ego te malo tamen
Eum adire, ut ne contemnat te ille. D. ſatis rectè mones.
Hoſpes, uolo ego hanc percontari. S. à terra ad cœlum quid lubet.
D. Iube dum ea accedat huc ad me. S. i ſanè, ac morem illi gere.
Percontare, exquire quiduis. T. age age nunc tu impera, uide
Vt ingrediare auſpicato. D. liquidum eſt auſpicium. T. tace,
Concede ſis, iam illam ego adducam. D. age ut rem eſſe in noſtram putas.
T. Sequere me. adduco hanc, ſi quid uis ex hac percontarier.
D. Enim uolo te adeſſe. T. haud poſſũ quin huic operã dẽ hoſpiti
Quoi herus iuſsit. quid hic, ſi non uolt me adeſſe unà? S. imò i modo.
T. Do ego tibi operam. S. tibi ibidẽ das, ubi tu tuũ amicũ adiuuas.
Exquire. T. heus tu aduigila. P. ſatis eſt dictum: quanquam ego ſerua ſum,
Scio ego officiũ meum, ut quæ roget, uera, ut accepi, eloquar.
T. Virgo, hic homo probus eſt. P. credo. T. non diu apud hunc ſeruies.
P. Ita pol ſpero, ſi parentes facient officium ſuum.
D. Nolo ego te mirari ſi nos ex te percontabimur
Aut patriam tuã, aut parentes. P. cur ego id mirer mi homo?
Seruitus mihi interdixit, nequid mirer malum meum.
T. Dij iſtam perdam, ut cata eſt & callida? ut habet cor?
Quàm dicit, quod opus eſt? D. quod nomen eſt tibi? T. nunc enim
Metuo ne peccet. P. Lucridi nomen in patria fuit.
T. Nomen atq; omen quantiuis eſt pretij. quin tu hanc emis?
Nimis paueham ne peccaret: expedit. D. ſi te emam,
Mihi quoque Lucridem confido fore te. T. ſi hanc emeris,
Nunquam hercle hunc menſem uertentem credo ſeruibit tibi.

Ita

D. Ita uelim quidē hercle. T. optata ut conueniant, operā addito.
Nihil adhuc peccauit etiam. D. ubi tu nata es? P. ut mihi
Mater dixit, in culina, in angulo ad læuam manum.

T. Hæc erit tibi fauſta meretrix, nata eſt in calido loco,
Vbi rerum omnium bonarum copia eſt ſæpiſſume.
Tactus eſt leno, qui rogaret, ubi nata eſſet, diceret.
Lepide luſit. D. at ego patriam te rogo quæ ſit tua.

P. Quæ mihi ſit, niſi hæc ubi nunc ſum? D. at ego illam quæro, quæ fuit.

P. Omen ego pro nihilo eſſe ducto, quod fuit, quando fuit:
Tanquam hominem quando animam efflauit, quid eum quæras qui fuit?

T. Ita me di bene ament, ſapienter, atq; equidem miſeret tamen.

D. Sed tamē uirgo quæ patria eſt tua? age, mihi actûtum expedi.
Quid taces? P. dico equidem patriam. quandoquidem hic ſeruio, hæc patria'ſt.

T. Iam de iſtoc rogare omitte: non uides nolle eam loqui,
Ne ſuarum ſe miſeriarum in memoriam inducas? D. quid eſt?
Captuſne eſt pater? P. non captus: ſed quod habuit, id perdidit.

T. Hæc erit bono genere nata: nihil ſcit, niſi uerum loqui.

D. Quis fuit? dic nomē. P. quid illum miſerum memorē, qui fuit?
Nunc & illum miſerum, & me miſerā æquom eſt nominarier.

D. Quoiuſmodi is in populo habitu'ſt? P. nemo qſquā acceptior:
Serui, liberiq; amabant. T. hominem miſerum prædicas:
Quom ipſe propè perditus eſt, & beneuolenteis perdidit.

D. Emā opinor. T. etiam opinor. D. ſummo genere eſſe arbitror.

T. Diuitias tu ex iſtac facies. D. di ita faxint. T. eme modo.

P. Iam hoc tibi dico, actûtum ecaſtor meus ubi pater me ſciet
Veniſſe huc, aderit, & me abſentem redimet. T. quid nunc? D. quid eſt?

T. Audin' quid ait? P. nam etſi res ſunt fractæ, amici ſunt tamen.

D. Ne ſic plora, libera eris actûtum, ſi crebrò cades.
Vin' mea eſſe? P. dum quidem ne nimis diu tua ſim, uolo.

T. Satin' ut meminit libertatis, hæc tibi grandeis bolos dabit?

Age,

Age, ſi quid agis, ego ad hunc redeo. ſequere, reduco hãc tibi.
D. Adoleſcens uin' uendere iſtanc? S. magis lubet, quàm perdere.
D. Tum tu pauca in uerba confer, quid datur? tanti indica.
S. Faciam ita, ut te uelle uideam, ut emas: habe tibi cẽtum mnis.
D. Nimiu' ſt. S. octoginta. D. nimiu' ſt. S. nummus abeſſe hinc non poteſt,
Quod nunc dicam. D. quid id eſt ergo? eloquere actũtum, atque indica.
S. Tuo periculo ſexaginta hæc datur argenti mnis.
D. Toxile quid ago? T. di deæq; te agitant irati, ſcelus,
Qui hanc non properes deſtinare. D. habebo. T. heu prædatus probe.
Abi, argentum effer huc: non ædepol tricentis mnis
Cara' ſt, feciſti lucri. S. heus tu, etiam pro ueſtimentis
Decem accedant mnæ. D. abſcedent enim, non accedent. T. tace ſis, non tu illum uides
Quærere anſam, infectũ ut faciat? abiſne atq; argentũ petis?
D. Heus tu ſerua iſtum. T. quin tu is intro? D. abeo, atque argentum affero.

TOXILVS. SAGARISTIO, ſerui.
PERSA, uirgo.

T. AEdepol dediſti uirgo operam laudabilem,
Probã & ſapientem, & ſobriam. P. SI QVID bonis
Boni fit, eſſe idem & graue & gratum ſolet.
T. Audin' tu Perſa? ubi argentum ab hoc acceperis,
Simulato quaſi eas prorſum in nauem. S. ne doce.
T. Per angiportum rurſum te ad me recipito
Illâc per ortum. S. quod futurum eſt, prædicas.
T. At ne cum argento protinam permutes domum:
Moneo te. S. quod te dignu' ſt, me dignum eſſe uis.
T. Tace, parce uoci. præda progreditur foras.

DORPALVS. TOXILVS. SAGARISTIO.

D. PRobati hic argenti ſunt ſexaginta mnæ,
ſunt Duobus nummis minus eſt. S. quid ei nummi* ſciunt?

Grunn-

D. *Crumenam hanc emere aut facere, ut remigret domum.*
S. *Ne non ſat eſſes leno, id metuebas miſer,*
Impure, auare, ne crumenam amitteres.
T. *Sine quæſo quandò leno' ſt, nihil mirum facit*
Lucro faciundo. D. ego auſpicaui in hunc diem.
Nihil mihi tam parui' ſt, quin me id pigeat perdere.
Age accipe hoc ſis. nunquid me uis cæterum?
S. *Hanc in collum, niſi piget, noſtrum impone.*
D. *Fiat. T. quid tam properas? S. ita negotiu' ſt:*
Mandata æque ſunt, uolo deferre epiſtolas.
Geminum autem fratrem ſeruire audiui hic meum:
Eum ego ut requiram, atq; ut redimam, pergere uolo.
T. *Atq; ædepol tu me commonuiſti, haud male*
Videor uidiſſe hic forma perſimilem tui,
Eadem ſtatura. S. quippe qui frater ſiet.
D. *Quid attinet nos ſcire? S. auſculta ergo ut ſcias.*
Vaniloquidorus uirginiſuendonides
Nugipololoquides argentiexterebronides
Te digniloquides, nummorum expalponides.
Quod ſemel arripides, nunquam poſtea eripides.
D. *Heu hercle nomen multis modis ſcriptu' ſt tuum.*
S. *Ita ſunt Perſarum mores, longa nomina*
Contortuplicata habemus. nunquid cæterum
Voltis? D. uale. S. & uos: nam animus in naui' ſt meus.
D. *Cras ires potius, hodie hic cœnares. uale.*

TOXILVS. DORPALVS. SATVRIO. PERSA.

T. *POſtquam illic abijt, dicere hic quiduis licet.*
Næ hic tibi dies illuxit lucrificabilis:
Nam non emiſti hanc, uerùm feciſti lucrum.
D. *Ille quidem iam ſcit quid negotij geſſerit,*
Qui mihi furtiuam meo periculo uendidit.
Argentum accepit: abijt. quî nunc ego ſcio
An iam aſſeratur hæc manu? quò illum ſequar?
In Perſas? nugas. T. credidi gratum fore

Beneficium meum apud te. D. imò equidem gratiam
Tibi Toxile habeo: nam ſenſi te ſedulo
Mihi dare bonam operam. T. tibin' ego? imò ſerui.
D. Atat ſum oblitus intus dudum edicere,
Quæ uolui edicta: adſerua hanc. T. ſalua' ſi hæc quidem.
P. Pater nunc ceſſat. T. quid ſi admoneam? P. tempus eſt.
Heus Saturio, exi: nunc eſt illa occaſio,
Inimicum ulciſci. S. ecce me, nunquid moror?
T. Age illuc abſcede procul è conſpectu, tace.
Vbi cum lenone me uidebis colloqui,
Tum turbam facito. S. DICTVM ſapienti ſat eſt.

DORPALVS, leno. TOXILVS, ſeruos.

D. TRanſcidi loris omneis aduenieus domi,
Ita mihi ſupellex ſquallet, atque ædes meæ.
T. Redis tu tandem? D. redeo. T. ne ego hodie tibi
Bonam uitam feci? D. fateor habere gratiam.
T. Num quippiam aliud me uis? D. ut bene ſit tibi.
T. Pol iſtuc quidem iam ego omne uſurpabo domi.
Nam iam inclinabo me cum liberta tua.

SATVRIO. DORPALVS. PERSA.

S. NIſi ego hominem illum perdo. D. perij. S. atq; optume
Eccum ipſum ante ædeis. P. ſalue multum mi pater.
S. Salue mea gnata. D. Perſa me peſſundedit.
P. Pater hic meus eſt. D. hem quid, pater? perij oppidò.
Quid ego igitur ceſſo infelix lamentarier
Mnas ſexaginta? S. ego pol te faciam ſcelus,
Te quoq; etiam ipſum ut lamenteris. D. óccidi.
S. Age, ambula in ius leno. D. quid? me in ius uocas?
S. Illic dicam apud prætorem: ſed ego in ius uoco.
D. Nónne anteſtaris? S. tuán' ego cauſſa carnufex
Quoiquam mortali libero aureis atteram,
Qui hic commercaris ciueis homines liberos?
D. Sine dicam. S. nolo. D. audi. S. ſum ſurdus: ambula,
Sequere hâc. D. ſceleſta fides eſt uirginaria.

Seque-

S. Sequere hâc mea gnata me uſque ad prætorem. P. ſequor.

ACTVS QVINTVS.

TOXILVS. SAGARISTIO, LEMNESCELENE.

T. Hoſtibus uictis, ciuibus ſaluis, re placita, pacibus
Perfectis, bello extincto, re bene geſta, exercitu
Integro & præſidijs, cum bene nos iuuiſti Iuppiter,
Dijq; alij omnes cœlipotentes, eas uobis habeo
Grates atq; ago, quia probe ſum ultus inimicum meum.
Nunc ob eam rem inter meos participes prædam diuidam,
Et participabo. ite foras: hic ego uolo ante oſtium
Et ianuam meos participes accipere bene.
Statuite hic lectulos, ponite hic quæ adſolent. hic ſtatui uolo
Primum aquilam mihi, unde ego omneis hilaros, ludenteis, læti
ficantes faciam,
Vt fiant quorum opera hæc mihi facilia factu facta ſunt,
Quæ uolui effieri. NAM IMPROBVS EST homo, qui
beneficium
Scit ſumere, & reddere neſcit. L. Toxile mi cur ego
Sine te ſum? T. cur autem tu ſine me es? L. agedũ ergo accede
Ad me atq; amplectere ſis. T. ego uerò. oh nihil magis dulce'ſt.
L. Sed amabo oculus meus, quin in lectis nos actûtum
Commodamus? omnia quæ tu uis, ea cupio. T. mutua
Fiunt à me. age age ergo tu Sagariſtio accumbe in ſummo.
S. Ego nihil hic habeo, cedò partem quam pepegi. T. tempori.
S. Mihi iſtuc tempori, ſero'ſt. T. age accumbe, hunc diem
Suauem meum natalem inter nos agitemus amœnum.
Date illi aquam manibus, apponite menſam. do hanc tibi
Florentem florenti: tu hic eris dictatrix nobis. age
Puere à ſummò ſeptenis cyathis committe hos ludos,
Moueamus: propera. Pæcnium tarde cyathos mihi das:
Cedò ſanè, bene mihi, uobis, meæ amicæ, optatus hic mihi
Dies datus hodie'ſt ab dis, quia te liberam licet
Me amplecti. L. tua factũ opera. bene omnibus nobis: hæ meæ

Manus, tuæ poculum donant, ut amantem amanti decet.

T. Cedò. L. accipe. T. bene ei qui inuidet mihi, & ei qui hoc gau dio gaudet.

DORPALVS. TOXILVS. SAGARISTIO. LEMNESCELENE. PAECNIVM.

D. QVi ſunt, qui fuerunt, quiq; futuri ſunt poſthac, ego
Solus omnibus antideo facilè miſerrumus hominum
Vt uiuam. perij, interij: peſſumus hic mihi dies
Hodie illuxit, corruptor, ita me Toxilus perfabricauit, atq;
Meam rem diuexauit. uehiculum argenti miſer
Eieci, amiſi: neq; quamobrem eieci, habeo: qui Perſam
Illum, atq; omnes Perſas, atq; etiam omnes perſonas male
Dij omnes perdant, ita miſerum Toxilus me hic conſtituit.
Qui ei fidem non habui argenti, eo mihi eas machinas
Molitu' ſt: quem pol ego ut nō in cruciatum atq; in compedeis
Cogam, ſi uiuam, ſi quidem huc unquam herus eius redierit.
Quod ſpero, ſed quid ego aſpicio? hoc uide. quæ hæc fabula' ſt?
Pol hic quidem potant: aggrediar. Toxile bone uir
Salueto, & tu quoq; bona liberta. T. Dorpalus hic quidem eſt.
S. Quin iube adire. T. adi, ſi lubet: agite, applaudamus. Dorpale
Homo lepidiſſume ſalue plurimum: locus hic tuus eſt,
Hic accumbe. ferte aquam pedibus. præbén' tu puere?
D. Næ ſi me uno digito attigeris, te ad terram affligam ſcelus.
P. At ego tibi hoc continuo cyatho oculum excutiam tuum.
D. Quid ais tu crux, ſtimulorum tritor? quo modo me hodie
Verſauiſti? ut me in trichas conieciſti? quo modo
De Perſa manus addita' ſt? T. iurgiū auferas hinc ſi ſapias.
D. At bona liberta hæc ſciſti? ea me cælaſti? L. ſtultitia' ſt,
SI QVOI BENE ESSE LICET, cum præuorti litibus.
Poſterius iſta hæc te magis par agere' ſt. D. uritur
Cor mihi. T. da illi cantharum. extingue ignem, ſi cor uritur:
Caput ne ardeſcat. D. ludos me facitis, intellego.
T. Vin' cinædum nouom tibi dari Pæcnium? quin lude, ut ſoles:
Quandò liber locus eſt hic. hui babæ? quàm baſilice

Te intuliſti, & facete. P. decet me facetũ eſſe, & hunc irridere
Lenonem libido' ſt, quandò dignu' ſt. T. perge ut cœperas.

P. Hoc leno tibi. D. peri, perculit me prope. P. hem ſerua rurſum.

D. Delude ut lubet, herus dum hinc abeſt. P. uidén' ut dictis tuis
Pareo? ſed quin tu meis contrà dictis ſeruis item,
Atq; hoc quod tibi ſuadeo facis? D. quid eſt id? P. reſtim tibi
Cape craſſam, ac ſuſpende te. D. caue ſis me attingas: ne tibi
Hoc ſcipione malum magnum dem. P. te condono, utere.

T. Iam iam Pæcnium da pauſam. D. ego pol uos eradicabo.

P. At te ille qui ſupra nos habitat, qui tibi male uolt,
Maléq; faciet dum uiuis. non hi dicunt, uerùm ego.

T. Age circumfer. mulſum bibite uſque plenis cantharis.
Iamdiu factum eſt, poſtquam bibimus: nimis ſicci ſumus.

D. Di faciant, ut id bibatis, quod uos numquam tranſeat.

T. Nequeo leno, quin tibi ſaltem ſtaticulum dem, quem Hegea
Faciebat: uide uerò ſi tibi ſatis placet. P. uolo
Reddere quoq;, Diodorus quem olim faciebat in Ionia.

D. Malum ego dabo uobis, niſi abitis. T. etiam mutis impudens?
Iam ego tibi, ſi me irritaßis, Perſam adducam denuo.

D. Iã taceo, atq; tu Perſa hercle es, q me uſq; admutilaſti ad cutẽ.

T. Tace ſtulte, hic eius geminus eſt frater. D. hiccine' ſt?

T. Ac geminiſſumus. D. di deæq; & te, & geminum fratrem excrucient.

S. Qui te perdidit, ei maledicas potius: iam ego nihil
Merui. D. at enim quod ille meruit, tibi id obſit uolo.

T. Agite ſultis, hunc ludificemus, niſi indignu' ſt. S. non opu' ſt.

L. At me haud par eſt. T. credo: quia nõ inconciliat, cum te emo.

L. Attamen. T. non tamen: caue ergo ſis malo, & tu ſequere me.

L. Te mihi dicto audientẽ eſſe addecet. T. nã hercle ſi abſq; me
Fores & meo præſidio, hic faceret te proſtibulam propediem.
Sed ita pars libertinorum eſt: niſi patrono qui aduorſus eſt,
Nec ſatis liber uidetur, nec frugi, nec honeſtus ſatis,
Ni illi officit, ni ei naledixit, ni ingratus repertus eſt.

L. Pol benefacta tua me hortantur, tuo imperio paream.

T. *Ego ſum tibi patronus planè, qui huic pro te argentum dedi.*
Hic eſt, hunc uolo ludificari. L. meo ego in loco ſedulo
Curabo. D. certo illi homines mihi neſcio quid mali conſulũt,
Quod faciant. S. heus uos. T. quid ais? S. hiccine Dorpalus eſt
Leno, qui hic liberas uirgines mercatur? hiccine' ſt, qui fuit
Quondam fortis? D. quæ hæc res eſt? hei colaphum icit, malũ uobis
Dabo. T. at tibi nos dedimus, dabimusq́; etiam magis. D. hei nates
Peruellit. P. licet: iãdiu enim ſæpe expunctæ ſunt. D. loquere
Tu etiam fruſtum pueri. L. patrone ámabo i intrò ad cœnam.
D. *Mea ignauia tu nunc me irrides? L. quia næ uolo bene*
Vt tibi ſit. D. nolo mihi bene eſſe. L. ne ſit. T. quid igitur,
Sexcenti nummi quid agunt? quas turbas danunt? D. male
Diſperij, ſciunt referre probe inimico gratiam.
T. *Satis ſumpſimus ſupplicij iam. D. fateor, uobis do manus.*
T. *Et pòſt dabis ſub furcis: abi igitur hinc intrò in crucem.*
D. *An ne hic parũ feci? T. tum hiſce habent cõueniſſe te Toxilum.*
Spectatores bene ualete: leno perijt: plaudite.

ANNOTATIONES IN PERSAS.

Lippo oculo ſimilis.) Explicatur ab Eraſmo ueluti adagium.

Tribunus uapularis.) Belle confecta uox, ſicuti militaris tribunus præeſt militibus, ſic uapularis uirgis.

Titani.) caſus patrius eſt à Titanus Titani.

Baſilice eleutheria agito.) Eleutheria feſta erant Græca quæ celebrabantur in honorem Iouis Eleutherij, quẽ & σωτῆρα, id eſt, liberatorem uocabant. Celebrabantur hæc in Syracuſis, Tarenti, apud Plateenſes, & in Caria. In quibus nec heris in ſeruos, & magiſtratui in maleficos animaduertere licebat, unde à libertate ἐλευθέρια dicta.

Colliphia.) Panis genus erat, non ſubcinericij, ſed cum garelæo, id eſt, è garo oleaceo toſtum.

πόθεν ornamenta.) Græcum aduerbium ſignificat unde, uide Budæum in dictione Choragus.

Sorracum.) plauſtri genus eſt, ut quibuſdã placet Campaniæ.

Vbi quid credideris.) uide annot. in Pandect. Budæi.

Litibus neque trochis.) Trochi notæ erant quibus adigebantur malefici aut debitores ad confitenda aut ſcelera aut debita.

M. ACTII PLAVTI

RVDENS.

DRAMATIS PERSONAE.

ARCTVRVS, *prologus.*
SCEPARIO, *ſeruos.*
PLEVSIDIPPVS, *adoleſcens.*
DAEMONES, *ſenex.*
PALAESTRA, *mulier.*
AMPELISCA, *mulier.*
SACERDOS, *anus.*
PISCATORES.
TRACHALIO, *ſeruos.*
LABRAX, *leno.*
CHARMIDES, *paraſitus.*
LORARII.
GRIPPVS, *piſcator.*

ARGVMENTVM.

Reti piſcator de mari extraxit uidulum,
Vbi erant herilis filiæ crepundia,
Dominum ad lenonem quæ ſurrepta uenerat.
Ea in clientelam ſuſcepta imprudens patris
Naufragio eiecta deuenit. cognoſcitur.
Suoq; amico Pleuſidippo iungitur.

ALIVD ARGVMENTVM.

Daemones Athenienſis exul à patria Cyrenas uenit. ei fuerat Palæſtra filia ſurrepta paruula: quam de prædone mercatus Labrax leno cum Ampeliſca puella altera Cyrenas uenit. Palæſtram ut uidit adoleſcens Pleuſidippus, amare occipit. cũ lenone paciſcitur, eã ſibi tradi XXV minis, datq; arraboñe. Leno interim ſuaſus à Charmide Siculo, puellas ſecum in Siciliam auehat: fore enim ut ex ipſis ſit magnum facturus lucrum, fingit ſe uotum ſolutu-

rum Veneri, eoq́; Pleuſidippum ad prãdium uocat: noctuq́;
mulieres & bona in nauim deportat clanculum. in altum
prouehitur. illico tempeſtas oboritur. in ſcopulos naufra-
gium facit. mulieres cum ſcapha ad terram iactantur: in
Veneris phanum ſe recipiunt. quò aduęniens leno & ipſe
eiectus mari, ſuas agnoſcit ac repoſcit mulierculas. ſed il-
læ Dæmonis auxilio incolumes pręſtãtur. Trachalio Pleu
ſidippi ſeruus rem omnem nuntiaturus cucurrit hero. ſed
dum it, forte uidet Gripum Dæmonis ſeruulum rete uidu-
lum trahere, in quo lenonis infuerant pecuniæ, Paleſtręq́;
uirginis crepundia. Trachalio ut conſpexit uidulum, retis
rudentem prehendit, à quo rudens Comœdia nomen ha-
bet. rixantur ſimul. conueniunt tandem in Dæmonem ar
bitrum, is aperto uidulo agnoſcit ex crepundijs filiam. Le
noni igitur datur, quod illius eſt, excepto talenti dimidio,
quod promiſſum Gripo pro ſe retinuit ſenex, Gripuſq́;
ob id libertate donatur, Pleuſidippoq́; Palæſtra nubit.

ARCTVRVS Prologus.

QVi gentes omnes, mariaq́; & terras mouet,
Eius ſum ciuis ciuitate cœlitum,
Ita ut uidetis: ſum ſplẽdẽs ſtella, cãdida
Signum quod ſemper tempore exoritur ſuo:
Hic atque in cœlo nomẽ ARCTVRO *eſt mihi.*
Noctu ſum in cœlo clarus atque interdius:
Et inter mortales ambulo & inter deos,
Et alia ſigna de cœlo ad terram occidunt.
Qui eſt imperator diuûm atq; hominum Iuppiter,
Is nos per genteis, alium in alia diſparat:
Qui facta hominum, qui mores, pietatem, & fidem
Noſcamus, ut quenque adiuuet opulentia.
Qui falſas liteis falſis teſtimonijs
Petunt, quiq́; in iure abiurant pecuniam:
Eorum, referimus nomina exſcripta ad Iouem.

Quotidie ille ſcit, quis hic ſibi quærat malum,
Qui hic litem adipiſci poſtulant periurio.
Mali res falſas qui impetrant apud iudicem,
Iterum ille eam rem iudicatam iudicat:
Maiore mulcta mulctat, quàm litem auferunt.
Bonos in alijs tabulis exſcriptos habet.
Atque hoc in animum ſcelesti inducunt ſuum:
Iouem placare ſe poſſe omnibus hoſtijs:
Et operam & ſumptum perdunt: atque id ideò
Fit, quia nihil ei acceptum eſt à periurijs.
SVPPLICII FACILIVS pius à dis ſupplicans,
Quàm qui ſceleſtus eſt, inueniet ueniam ſibi.
Idcirco moneo uos ego hæc qui eſtis boni,
Quiq; ætatem agitis cum pietate & cum fide:
Retinete porrò poſt factum ut lætemini.
Nunc huc qua cauſſa ueni, argumentum eloquar.
Primum dum huic eſſe nomen urbi DIPHILVS
CYRENAS uoluit, illic habitat Dæmones
In agro atque uilla proxuma propter mare,
Senex, qui Athenis huc exul uenit, haud malus:
Neque is adeò propter malitiam patria caret:
Sed dum alios ſeruat, ſe impediuit: interim
Rem bene paratam comitate perdidit.
Huic olim filiola uirgo perijt paruola,
Eam de prædone uir mercatu'st peſſumus:
Is eam huc Cyrenas leno aduexit uirginem.
Adoleſcens quidam ciuis huius Atticos
Eam uidit ire è ludo fidicinio domum:
Amare occœpit, ad lenonem deuenit.
Minis triginta ſibi puellam deſtinat:
Datq; arrabonem, & iureiurando alligat.
Is leno, ut ſe æquom eſt, flocci non fecit fidem,
Neque quod iuratus adoleſcenti dixerat.
Ei erat lenoni hoſpes paternus Siculus, ſenex,

Scelestus, Agrigentinus, urbis proditor.
Is illius laudare inſit formam uirginis,
Et aliarum itidem, quæ eius erant mulierculæ.
Inſit lenoni ſuadere, ut ſecum ſimul
Eat in Siciliam: ibi eſſe homines uoluptarios
Dicit. poteſſe ibi eum breui fieri diuitem,
Ibi eſſe quæſtum maxumum meretricibus.
Perſuadet. nauis clanculum conducitur.
Quicquid erat, noctu in nauim comportat domo
Leno. adoleſcenti, qui puellam ab eo emerat,
Ait ſeſe Veneri uelle uotum ſoluere.
Id hic est phanum Veneris, & eò ad prandium
Vocauit adoleſcentem hunc. ipſe hinc illico
Conſcendit nauem, atque auehit meretriculas.
Adoleſcenti alij narrant, ut res geſta ſit,
Lenonemq́; abyſſe. ad portum adoleſcens uenit:
Illorum nauis longe in altum abſceſſerat.
Ego quandò uideo uirginem aſportarier,
Tetuli ei auxilium, & lenoni exitium ſimul:
Increpui hybernum, & fluctus moui maritumos.
Nam ARCTVRVS *ſignum ſum omnium quàm acerrumum:*
Vehemens ſum exoriens, cum òccido uehementior.
Nunc ambo in ſaxo, leno atque hoſpes is, ſimul
Sedent eiecti: nauis confracta est ijs.
Illa autem uirgo, atque altera lenonis itidem
Ancilla, timidæ deſiluerunt in ſcapham.
Nunc eas ab ſaxo fluctus ad terram ferunt
Ad uillam illius, exul ubi habitat ſenex
Quoius deturbauit uentus tectum, & tegulas.
Et ſeruos illic est eius, qui egreditur foras.
Adoleſcens huc iam aduenict, quem uidebitis,
Qui illam mercatu'st de lenone uirginem.
Valete, ut hoſtes uoſtri diffidant ſibi.

ACTVS

ACTVS PRIMVS.

SCEPARIO, *ſeruos.*

PRoh di immortaleis, tempeſtatem quoiuſmodi
Neptunnus nobis nocte hac miſit proxuma,
Detexit uenus uillam. quid uerbis opu'ſt?
Non uenus fuit, uerùm Alcumenæ Euripidi:
Ita omnes de tecto deturbauit tegulas:
Illuſtriores fecit, feneſtrasq́; indidit.

PLEVSIDIPPVS, *adoleſcens.* DAEMONES, *ſenex.*
SCEPARIO, *ſeruos.*

P. *ET uos à uoſtris abduxi negotijs,*
Neque id proceſſit, quà uos duxi gratia,
Neque quiui lenonem ad portum prehendere.
Sed mea deſidia ſpem deſerere nolui:
Eo uos amici detinui diutius.
Nunc huc ad Veneris phanum uenio uiſere,
Vbi rem diuinam ſe facturum dixerat.
D. *Si ſapiam, hoc, quod me mactat, concinnem lutum.*
S. *Prope me hic neſcio quis loquitur.* D. *heus Scepario.*
S. *Qui nominat me?* D. *qui pro te argentum dedit.*
S. *Quaſi me tuum eſſe ſeruom dicas Dæmones?*
D. *Luto uſus multo multam terram confode:*
Villam integundam intellego totam mihi:
Nam nunc pellucet ea, quàm cribrum crebrius.
P. *Pater ſalueto, amboq́; adeò.* D. *ſaluos ſies.*
S. *Sed utrum tu uirne, an fœmina es, qui illum patrem*
Voces? P. *uir ſum equidem.* D. *quære uir porrò patrem.*
Filiolam ego unam habui, eamq́; unam perdidi,
Virile ſexus nunquam ullum habui. P. *at di dabunt.*
S. *Tibi quidem hercle, quiſquis es, magnum malum,*
Qui oratione hic nos occupatos occupes.
P. *Iſticcine uos habitatis?* S. *quid tu id quæritas?*
An quo furatum mox uenias, ueſtigas loca?
P. PECVLIOSVM *eſſe decet ſeruom & improbum,*

Quem

Quem hero præſente prætereat oratio,
Aut qui inclementer dicat homini libero.
S. Et impudicum, & impudentem hominem addecet
Moleſtum ultro aduenire ad alienam domum,
Quoi debeatur nihil. D. tace Scepario,
Quid opus eſt adoleſcens? P. iſti infortunium,
Qui præfeſtinet, ubi herus adſit, præloqui.
Sed niſi moleſtu'ſt, paucis percontarier
Volo ego ex te. D. dabitur opera, atque in negotio.
S. Quin tu in paludem is, exagitasq́; harundines,
Qui pertegamus uillam, dum ſudu'ſt? D. tace:
Tu ſiquid opus eſt, dice. P. dic quod te rogo,
Ecquem tu his hominem criſpum, incanum uideris,
Malum, periurum, palpatorem? D. plurimos:
Nam ego propter eiuſmodi uiros uiuo miſer.
P. Hic dico, in phanum Veneris qui mulierculas
Duas ſecum adduxit, quiq́; adornaret ſibi,
Vt rem diuinam faciat, aut hodie, aut heri.
D. Non hercle adoleſcens, iam hos dies compluſculos
Quenquam iſtic uidi ſacruficare: neque poteſt
Clam me eſſe, ſiqui ſacruficant: ſemper petunt
Aquam hic, aut ignem, aut uaſcula, aut cultrum, aut ueru,
Aut aulam extarem, aut aliquid, quid uerbis opu'ſt?
Veneri paraui uaſa, & puteum, non mihi,
Nunc interuallum iam hos dies multos fuit.
P. Vt uerba perhibes, me periiſſe prædicas.
D. Mea quidem hercle cauſſa ſaluos ſis licet.
S. Heus tu qui phana Veneris cauſſa circuis,
Iubere meliu'ſt prandium ornari domi.
Fortaſſe enim tu huc es uocatus ad prandium:
Ille qui te uocauit, nullus uenit. P. admodum.
S. Nullu'ſt periclum te hinc ire impranſum domum:
Cererem te melius, quàm Venerem ſectarier:
Amorem hæc curat, triticum curat Ceres.

Deludi-

P. Deludificauit me ille homo indignis modis.
D. Proh dij immortales, quid illuc eſt Scepario
Hominum ſecundum littus? S. ut eſt mea opinio,
Propter uiam illi ſunt uocati ad prandium.
D. Qui? S. quia poſt cœnam credo lauarunt, heri
Contracta nauis in mari eſt illis. D. ita eſt.
At hercle nobis uilla in terra & tegulæ.
S. Hui homunculi quanti eſtis eiecti? ut natant?
P. Vbi ſunt homines obſecro? D. hâc ad dexteram, uiden'
Secundum littus? P. uideo. uos me ſequimini.
Vtinam ſit is, quem ego quæro, uir ſacerrumus.
Valete. S. ſi non moneas, noſmet meminimus.
Sed ô Palæmon ſancte Neptunni comes,
Qui quidem hercule illi ſocius eſſe dixeris,
Quod facinus uideo? D. quid uides? S. mulierculas
Video ſedenteis in ſcapha ſolas duas:
Vt afflictamur miseræ? euge euge perbene
Ab ſaxo abuortit fluctus ad littus ſcapham:
Neque gubernator uſquam illis eſſe potuit.
Non uidiſſe undas me maiores cenſeo.
Saluæ ſunt, ſi illos fluctus deuitauerint.
Nunc nunc periculu'ſt, eiecit alteram:
At in uado'ſt, iam facile enabit: euge pax.
Videſne alteram illam ut fluctus eiecit foras?
Surrexit, horſum ſe capeſſit: ſalua res,
Deſiluit. hæc autem altera in terram è ſcapha,
Vt præ timore in genua in undas concidit?
Salua'ſt, euaſit ex aqua, iam in littore eſt.
Sed dextrouorſum aduorſa in malam crucem.
Hem errabit illæc hodie. D. quid id refert tua?
S. Si ad ſaxum quod capeſſit, ea deorſum cadit,
Errationis fecerit compendium.
D. Si tu de illarum cœnaturus ſupparis,
Illas curandum cenſeo Sceparie.

Si apud

Si apud me eſurus es, mihi dari operam uolo.

S. Bonum æquomq́; oras. D. ſequere me hâc ergo. S. ſequor.

PALAESTRA, mulier.

NIMIO POL hominum fortunæ minus miſeræ memorantur,
Quàm reapſe experiundo ijs datur acerbum: hoc deo complacitum eſt?
Me hoc ornatu ornatam in incertas regiones timidam, eiectam
Errare? hanccine ego partem capio ob pietatem præcipuam?
Nam hoc mihi haud laboris eſt, laborem hunc potiri, ſi erga parentem
Aut deos me impiaui. ſed id ſi parte curaui, ut cauerem:
Tum hoc mihi indecore, inique, immodeſte datis di. nam quid habebunt
Sibi igitur impij poſthac, ſi ad hunc modum innoxijs eſt
Honor apud uos? nam me ſi ſciam feciſſe aut parem iſceleſte,
Minus mei miſererer. ſed herile ſcelus me ſolicitat,
Eius me impietas male habet, nauem atque omnia perdidit in mari:
Hæc bonorum eius ſunt reliquiæ: etiam quæ ſimul uecta mecum
In ſcapha'ſt, excidit: ego nunc ſola ſum: quæ mihi ſi foret ſalua ſaltem,
Labor leuior eſſet hic mihi eius opera. nũc quam ſpem, aut opẽ,
Aut conſilij quid capeſſam, ita hic ſolis locis compotita?
Hic ſaxa ſunt, hic mare ſonat: nec quiſquam homo uenit mihi obuiam.
Hoc quod induta ſum, ſummæ opes oppidò: nec cibo, nec loco tecta quo ſim,
Scio. quæ mihi eſt ſpes, qua uiuere uelim? nec loci ſum gnara,
Nec diu hic fui: ſaltem aliquem uelim, qui ex his locis mihi uiam,
Aut ſemitam monſtret: ita nunc hâc, an illâc eam, ſum incerta
Conſilij: nec prope uſquam hic quidem cultum agrum conſpicor: algor, error,
Pauor, me omnia tenent. hæc parẽtes mei haud uos ſcitis miſeri,
Me nunc miſeram eſſe, uti ſum. libera ego fui prognata

Maxu-

Maxume: nequicquam fui, nunc qui minus ſeruio, quàm ſerua
Nata: neq; quicquam unquam ijs profui, qui me ſibi eduxerunt.

AMPELISCA, PALAESTRA, mulieres.

A. Quid mihi melius eſt? quid magis in rem eſt meam, quàm corpore
Vitam ſecludam? ita male uiuo, ita multæ in pectore
Sunt curæ exanimales: dein' uitæ haud parco, ſpem perdidi.
Omnia iam circumcurſaui, atque in latebris omnibus
Perreptaui quærere conſeruam, uoce, oculis, auribus,
Vt peruestigarem: neque eam uſquam inuenio, neque quò eam,
Neq; quâ quærã conſultu'ſt: neq; quem rogem quenquam interea
Inuenio, neque magis ſolæ terræ ſunt, quam hæc loca
Atque hæ regiones. neque ſi uiuit, uiuam nunquam, eam
Quin inueniam, deſiſtam. P. quænam uox mihi propè hic ſonat?
A. Pertimui, quis hic loquitur propè? P. Spes bona obſecro ſubuenita mihi.
A. Mulier eſt, muliebris uox mihi ad aures uenit. P. exime
Hoc miſeram metu. A. certo uox muliebris aureis tetigit meas.
P. Num Ampeliſca eſt obſecro? A. ten' Palæſtra audio? P. quin uoco, ut me audiat,
Nomine illam ſuo? Ampeliſca? A. hem quis eſt? P. ego Palæſtra. A. dic ubi es.
P. Pol ego nunc in malis plurimis. A. ſocia ſum: nec minor
Pars mea'ſt, quàm tua. ſed uidere expecto te. P. mihi es æmula.
A. Conſequamur gradu uocem, ubi es? P. ecce me, adi contrà. A. fit ſedulo.
P. Cedò manum. A. accipe. P. dic, uiuisne obſecro? A. tu facis me quidem
Vt uiuere nunc uelim, quando mihi te licet tangere. (mea:
Vt uix mihi credo, ego hoc te tenere obſecro, amplectere ſpes
Vt me omnium iam laborum leuas? P. occupas præloqui,
Quæ mea eſt potius oratio. nunc abire hinc nos decet.
A. Quò amabo ibimus? P. littus hoc perſequamur. A. ſequor quò lubet. ſiccine hic

Cum uuida ueſte graſſabimur? hoc quod eſt, id neceſſarium eſt perpeti.
Sed quid hoc obſecro eſt? P. quid? A. uidē'n amabo phanum, uidéſne hoc? P. ubi eſt?
A. Ad dexteram uideo decorum locum dis uiderier.
P. Haud longe abeſſe oportet homines hinc, ita hic lepidu'ſt locus.
Eſt deus: ueneror: ut nos ex hac ærumna eximat miſeras,
Inopeis, ærumnoſas, aut aliquo auxilio ut adiuuet.

SACERDOS, & eædem mulieres.

S. QVi ſunt, qui à patrona preces mea expetentes ſunt? nam uox me
Precantum huc foras excitauit: bonam atque obſequentem deam, atque haud grauatam
Patronā exequomur, benignamq; multum. P. iubemus te ſaluere
Mater. S. ſaluete puellæ. ſed unde ire uos cū uuida ueſte dicam
Obſecro tam mœſtiter ueſtitas? P. illico nos hic imus
Haud longule ex hoc loco, uerum longe hinc abeſt unde uectæ
Sumus. S. nempe equo ligneo per uias cæruleas eſtis uectæ.
P. Admodū. S. ergo uos æquius erat candidatas uenire hoſtiataſq;:
Ad hoc phanum ad iſtunc modum non ueniri ſolet. P. quæ nunc eiectæ
E mari ſumus ambæ, obſecro unde nos hoſtias agere uoluiſti huc?
Nunc tibi amplectimur genua egentes opum, quæ in locis neſcijs
Neſcia ſpe ſumus, ut tuo recipias tecto, ſerueſq; nos:
Miſeriarumq; ambarum te obſecramus uti miſereat:
Quibus nec locus ullus, nec ſpes parata eſt, neq; hoc amplius q̃
Quod uides, nobis qcqua'ſt. S. manus mihi date, exurgite ambæ
A genibus, miſericordior nulla eſt me fœminarum.
Sed hæ pauperes ſunt, inopeſq; puellæ. egomet uix colo uitam,
Veneri cibo meo ſeruio. A. Veneris phanum obſecro hoc eſt?
S. Fateor: ego huius ſacerdos clueo. uerùm quicquid fuerit,
Comiter fiet à me, quo non copia ualebit. ite hâc mecum.
P. Amice benigneq; honorem mater noſtrum habes. S. oportet.

ACTVS

ACTVS SECVNDVS.

PISCATORES.

OMNIBVS MODIS *qui pauperes ſunt, homines miſeri uiuom,*
Præſertim quibus nec quæſtus eſt, nec artẽ didicêre ullã.
Neceßitate quicquid eſt domi, id ſat eſt habendum.
Nos iam de ornatu propemodum ut locupletes ſimus, ſcitis.
Hi ſchœni enim atq; hæ harundines ſunt nobis quæſtu & cultu.
Ex urbe ad mare huc prodimus pabulatum pro exercitio
Gymnaſtico, & Palæſtrico: hos habemus, echinos, lopadas,
Oſtreas, balanos captamus, conchas, marinam urticam,
Muſculos, plaguſias, ſtriatas: poſt id hamatilem piſcatum
Et ſaxatilem aggredimur, captamus cibum è mari. ſi euentus
Non uenit, neque quicquam captum eſt piſcium ſalſi, lautiq;:
Domum redimus clanculum, dormimus incœnati.
Atque ut nunc ualide fluctuat mare, nulla nobis ſpes eſt,
Niſi quod concharum capſimus, incœnati ſumus. profecto
Nũc Venerẽ hãc ueneremur bonã, ut nos lepide adiuuerit hodie.

TRACHALIO *ſeruus, & ijdem.*

T. *ANimo aduorſaui ſedulo, ne herum uſquam præterirem.*
Nam cum modò exibat foras, ad portum ſe aiebat ire,
Me huc obuiam iußit ſibi uenire ad Veneris phanum.
Sed quos percomer, commode eos quos uideo aſtare, adibo.
Saluete fures maritumi, conchitæ atque hamiotæ,
Famelica hominum natio, quid agitis? ut peritis?
P. *Vt piſcatorem æquom eſt, fame, ſitiq;, ſpeq;.*
T. *Ecquem uos adoleſcentem ingenuum huc ire, dum hic aſtatis,*
Strenua facie, rubicundum, mediocri ſtatura, fortem,
Qui treis duceret chlamydatos cum machærijs, uidiſtis?
P. *Nullum iſtac facie, ut prædicas, ueniſſe huc ſcimus.* T. *ecquem*
Recaluom, ac ſilonem ſenem ſtatutum, uentrioſum,
Tortis ſupercilijs, contracta fronte, fraudulentum,
Deûm odium, atq; hominũ, malum, mali uitij probriq; plenum,
Qui mulierculas duceret duas ſecum ſatis uenuſtas?

P. Cum iſtiuſmodi uirtutibus, operiſq; natus qui ſit,
Eum ad carnuficem eſt æquius, quàm ad Venerem commeâre.
T. At ſi uidiſtis, dicite. P. huc profecto nullus uenit.
Vale. T. ualete. credidi: factum eſt, quod ſuſpicabar.
Data uerba hero ſunt, leno abijt ſceleſtus exulatum:
In nauem aſcendit, mulieres auexit. hariolus ſum.
Is huc herum etiam ad prandium uocauit, ſceleris ſemen.
Nunquid mihi meliu'ſt quàm illico hic opperiar herum dum ueniat?
Eadem, hanc ſacerdotem Veneriam, ſi quid amplius ſcit,
Si uidero, exquiſiuero, faciet me certiorem.

AMPELISCA, mulier. TRACHALIO, ſeruus.

A. INtellego: hanc, quæ proxima eſt, uillam pulſare iuſsiſti,
Atque aquam* rogare. T. quoius ad aureis uox mihi aduolauit?
A. Obſecro quis hic loquitur? T. quem ego uideo? éſtne hæc Ampeliſca,
Quæ foras è phano egreditur? A. éſtne hic Trachalio, quem conſpicio,
Calator Pleuſidippi? T. ea eſt. A. is eſt. Trachalio ſalue.
T. Salue Ampeliſca. A. quid agis tu? T. ætatem haud malam male.
A. Melius ominare, uerùm omnes ſapientes decet conferre,
Et fabulari. ſed Pleuſidippus tuus herus ubi ámabo eſt?
T. Eia uero, quaſi non ſit intus. A. neque pol eſt, neque ullus
Huc quidē uenit. T. non uenit? A. uera prædicas. T. nō eſt meum
Ampeliſca. ſed quàm mox coctum eſt prandium? A. quod obſecro te?
T. Nempe rem diuinam facitis hic? A. quid ſomnias ámabo?
T. Certe huc Labrax leno Pleuſidippum ad prandium uocauit
Herum meum herus ueſter. A. pol haud miranda facta dicis:
Si deos decepit, & homines, lenonum more fecit.
T. Non rem diuinam facitis hic uos, neq; herus? A. hariolare.
T. Quid tu agis hic igitur? A. ex malis multis, metuq; ſummo,
Capitaliq; ex periculo, orbas auxilijq; opumq;

Rece-

Recepit huc ad ſe hæc ſacerdos Veneria me & Palæſtram.

T. An hic Palæſtra'ſt obſecro, heri mei amica? A. certò. T. ineſt
Lepos in nuntio tuo magnus mea Ampeliſca. ſed iſtuc periculum
Perlubet quod fuerit uobis, ſcire.

A. Confracta mi Trachalio eſt hac nocte nauis nobis.

T. Quid, nauis? quæ iſtæc fabulā eſt? A. non audiuiſti amabo
Quo pacto leno clanculum nos hinc auferre uoluit
In Siciliam, & quicquid domi fuit impoſuit in nauim?
Ea nunc perierunt omnia. T. ô Neptunne lepide ſalue,
Nec te alcator ullus eſt ſapientior: profecto
Nimis lepide iecisti bolum, periurum perdidiſti.
Sed nunc ubi eſt leno Labrax? A. perit potando, opinor:
Neptunnus magnis poculis hac nocte eum inuitauit.
Credo hercle annando ei datum, quod biberet. T. ut ego amo te
Mea Ampeliſca? ut dulcis es? ut mihi mulſa dicta dicis.
Sed tu & Palæſtra quo modo ſaluæ eſtis? A. ſcibis faxo.
E naui timidæ ambæ in ſcapham inſiluimus, quia uidemus
Ad ſaxa nauem ferrier, properans exolui reſtim:
Dum illi timent, nos cum ſcapha tempeſtas dextrouorſum
Differt. ab illis itaque nos uentisq; fluctibusq;
Iactatæ exemplis plurimis miſeræ, perpetuam noctem
Vix hodie ad littus pertulit nos uentus exanimatas.

T. Noui: Neptunnus ita ſolet, quamuis faſtidioſus
Aedilis eſt, ſi quæ improbæ ſunt merces, iactat omneis.

A. Væ capiti, atque ætati tuæ. T. tuo mea Ampeliſca.
Sciui lenonem facere ego hoc quod fecit, ſæpe dixi.
Capillum promittam optimu'ſt, occipiamq; hariolari.

A. Cauiſtis ergo tu atque herus, ne abiret, cum ſcibatis?

T. Quid faceret? A. ſi illam amabat, rogas quid faceret? aut ſeruaret,
Dies noctesq; in cuſtodia eſſet ſemper: uerum ecaſtor
Vt multi fecit, ita probe curauit Pleuſidippus.

T. Cur tu iſtuc dicis? A. res palàm eſt. T. ſcin' tu? etiā qui it lauatum
In balineas, ibi cum ſedulo ſua ueſtimenta ſeruat,

Tamen ſurripiuntur: quippe qui, quem illorum obſeruet, falſu'ſt:
Fur facile quem obſeruat, uidet: cuſtos, qui fur ſit, neſcit.
Sed duce me ad illam. ubi eſt? A. i ſanè in Veneris phanum huc intrò:
Sedentem flentemq; opprimes. T. ut iam iſtuc mihi moleſtu'ſt.
Sed quid flet? A. ego dicam tibi. hoc ſeſe illa excruciat animi,
Quia leno ademit ciſtulam ei, quam habebat, ubiq; habebat
Quî ſuos parenteis noſcere poſſet: ueretur ne perierit.
T. Vbi nam ea fuit ciſtellula? A. ibidem in naui concluſit ipſe
In uidulum, ne copia eſſet eius. T. ô facinus impudicum,
Quam liberam eſſe oporteat, ſeruire poſtulare.
A. Nunc eam cum naui ſcilicet abiiſſe peſſum in altum:
Et aurum & argentum fuit lenonis ibidem: credo
Aliquem immerſiſſe ſe, atque eum excepiſſe: id miſera mœſta'ſt,
Sibi eorum ueniſſe inopiam. T. iam iſtoc magis uſus facto'ſt:
Næ eam intrò, conſolerq; eam, ne ſe ſic excruciet animi.
Nam multa præter ſpem, ſcio multis bona eueniſſe.
A. At ego etiam qui ſperauerint, ſpem decepiſſe multos.
T. ERGO ANIMVS æquos optumum eſt ærumnæ condimentum.
Ego eo intrò, niſi quid uis. A. eas. ego, quod mihi imperauit
Sacerdos, id faciam. atque aquam hinc de proxumo rogabo.
Nam extemplo illos, ut uerbis ſuis peterem, daturos dixit.
Neque digniorem cenſeo uidiſſe anum me quenquam,
Quoi deos, atque homines cenſeam benefacere magis decere
Vt lepide, ut liberaliter, ut honeſte, atque haud grauate
Timidas, egenteis, uuidas, eiectas, exanimatas
Accepit ad ſeſe, haud ſecus quàm ſi ex ſe ſimus natæ.
Vt eapſe ſuccincta nobis aquam calefactat, ut lauemus?
Nũc me moror. ibo, atq; rogabo hinc aquam unde mihi imperauit.
Heus ecquis in uilla'ſt? ecquis recludit? ecquis prodit?

SCEPARIO, ſeruos. AMPELISCA, mulier.

S. QVis eſt qui tam proterue foribus facit iniuriam?
A. Ego ſum. S. hem quid hoc boni eſt? heu ædepol lepida mulier.

Salue

A. Salue adoleſcens. S. tu multum ſalueto adoleſcentula.
A. Ad uos uenio. S. accipiam hoſpitio, ſi mox ueneris, item
Vt affectam amplectar. A. nam nunc nihil eſt, quî te maneam.
S. Sed quid ais mea lepida hilara? A. ah nimium familiariter
Me attrectas. S. proh di immortales, Veneris effigia hæc quidem eſt.
Vt in ocellis hilaritudo? eia corpus quoiuſmodi
Subuolturium? illud quidem ſubaquilum uolui dicere.
Vel papillæ quoiuſmodi? tum quæ indoles in ſuauio eſt?
A. Non ego ſum polluta pago: potin' ut me abſtineas manum?
S. Non licet te ſic placide bellam belle tangere?
A. Otium ubi erit, tum tibi operam ludo, & deliciæ dabo.
Nũc quamobrẽ huc ſum miſſa ámabo, uel tu mihi aias, uel neges.
S. Quid nunc uis? A. ſapientior nata quid uelim, indicium facit.
S. Hic quoque ſapienter natus, quid uelim, indicium facit.
A. Hic ſacerdos Veneris hinc me petere aquam iußit à uobis.
S. At ego baſilicus ſum: quem niſi oras, guttam non feres.
Noſtro illum puteum periculo, & ferramentis fodimus.
Niſi multis blanditijs à me gutta non ferri poteſt.
A. Cur tu aquam grauare ámabo, quam hoſtis hoſti commodat?
S. Cur tu operam grauare mihi quam ciuis ciui commodat?
A. Imò etiam tibi mea uoluptas, quæ uóles faciam omnia.
S. Euge ſaluos ſum, hæc iam me ſuam uoluptatem uocat.
Dabitur tibi aqua: nequicquam ames: cedò mihi urnam. A. cape.
Propera ámabo efferre. S. manta, iam hic ero uoluptas mea.
A. Quid ſacerdoti meæ dicam, hic demoratam tam diu?
Vt etiam nunc miſera timeo, ubi oculis intueor mare?
Sed quid ego miſera uideo procul in littore meum herum
Lenonem, Sicilienſemq́; hoſpitem, quos perijſſe ambos
Cenſebam in mari? iam illud plus mali nobis uiuit, quàm ratæ.
Sed quid ego ceſſo fugere in phanum, ac dicere hæc Palæſtræ,
In aram ut confugiamus, prius quàm huc ſceleſtus leno ueniat.
Noſq́; hic opprimat? confugiam hinc, res ita ſuppetit, ſubito.

SCEPARIO, ſeruos.

PRoh di immortales in aqua nunquam credidi
Voluptatem ineſſe tantam? ut hanc traxi lubens?
Nimio minus altus puteus uiſus eſt, quàm prius.
Vt ſine labore extraxi hanc præfeſtine ſatis?
Vt nequam ſum, pro te qui hodie amare incœperim?
Hem tibi aquam, mea tu belliata: hem ſic uolo
Te ferre honeſte, ut ego fero, ut placeas mihi.
Sed ubi tu es delicata? cape aquam hanc ſicubi es.
Amat hercle me, ut ego opinor: delituit mala.
Vbi tu es? etiámne hanc urnam acceptura es? ubi nam es?
Commodule melius, tandem uerò ſerio:
Etiam acceptura es urnam hanc? ubi tu es gemium?
Nuſquam hercle. urnam iam ego hanc in media ſiſtam uia.
Sed autem, quid ſi hanc hinc abſtulerit quiſpiam
Sacram urnam Veneris? mihi exhibeat negotium.
Metuo hercle ne illa mulier mihi inſidias locet,
Vt comprehendar cum ſacra urna Veneria.
Nempe optumo me iure in uinclis enicet
Magiſtratus, ſi quis me hanc habere uiderit:
Nam hæc litterata'ſt, ab ſe cantat quoia ſit.
Iam hercle euocabo hinc hanc ſacerdotem foras,
Vt hanc accipiat: nam accedam iam huc ad fores.
Heus ſic tolloni gratia? cape hanc urnam tibi:
Mulier cula, hanc neſcio quæ huc ad me detulit.
In proferunda repperi negotium:
Siquidem mihi ultrò his aggerunda etiam eſt aqua.

LABRAX, leno. CHARMIDES, paraſitus.

L. QVI HOMO HOMINEM ſeſe miſerum & mendicum uolet,
Neptunno credat ſeſe, atque ætatem ſuam.
Nam ſi quis cum illo quid rei commiſcuit,
Ad hoc exemplum amittit ornatum, domum.
Aedepol liberta lepida es, quæ nunquam pedem

Voluiſti in nauim mecum hercle unà imponere.
Sed ubi ille meus eſt hoſpes, qui me perdidit?
Atque eccum incedit. C. quò (malùm) properas Labrax?
Nam equidem te nequeo conſequi tam ſtrenue.
L. Vtinam ego te prius, quàm oculis uidiſſem meis,
Malo cruciatu in Siciliam præbiteres,
Quem propter hoc mihi obtigit miſero mali.
Vtinam cum in ædeis meas te adduxi primulum,
In carcere illo potius cubuiſſem die.
Deosq; immortales quæſo, dum uiuas, uti
Omnes tui ſimiles hoſpites habeas tibi.
Malam fortunam in ædeis te adduxi meas.
Quid mihi ſceleſto tibi erat auſcultatio?
Quídue hinc abitio? quídue in nauim inſcenſio?
Vbi perdidi etiam plus boni, quàm mihi fuit.
C. Pol minime miror nauis ſi fracta'ſt ibi,
Scelus te, & ſceleſte parta quæ uexit bona.
L. Peſſum dediſti me blandimentis tuis.
C. Sceleſtiorem cœnam cœnaui tuam
Quàm quæ Thyeſtæ quondam anteposita ab Atreo.
L. Perij, animo male fit, contine quæſo caput.
C. Pulmonem ædepol nimis uelim uomitu uomas.
L. Heu Palæſtra atque Ampeliſca ubi eſtis nunc miſeræ?
C. Piſcibus in alto credo præbent pabulum.
L. Mendicitatem mihi obtuliſti opera tua,
Dum tuis auſculto magnidicis mendacijs.
C. Bonam'eſt quòd habeas gratiam merito mihi,
Qui te ex inſulſo ſalſum feci opera mea.
L. Quin tu hinc is à me in maxumam malam crucem?
C. Da quas res tecum in naui agebam commodum.
L. Heu quis uiuit me alter mortalis miſerior?
C. Ego multo tanto miſerior, quàm tu Labrax.
L. Qui? C. quia ego indignus ſum, tu dignus qui ſies.
L. O ſcirpe ſcirpe, laudo fortunas tuas,

Qui ſemper ſeruas gloriam aritudinis.
Equidem meam uelitationem exerceo.
Nam omnia coruſca præ tremore fabulor.
C. Aedepol Neptunne es balneator frigidus,
Cum ueſtimentis abs te poſtquam abi, algeo,
Ne thermopolium quidem ullum inſtructum hodie:
Ita ſalſam præbet potionem & frigidam.
Vt fortunati ſunt fabri ferrarij,
Qui apud carbones aßident? ſemper calent.
L. Vtinam fortuna nunc ego anthracina uterer,
Vt poſtquam exiuiſſem ex aqua, arerem tamen.
C. Quid ſi aliquò ad ludos me pro manduca locem?
L. Quapropter? C. quia pol clare crepito dentibus.
Sed nunc iure optumo me lauiſſe arbitror.
L. Qui? C. quia auſus fuerim tecum in nauim aſcendere,
Qui à fundamento mihi uſque mouiſti mare.
L. Tibi autem auſcultaui, tu promittebas mihi
Illic eſſe quæſtum maxumum meretricibus:
Ibi me corruere poſſe aiebas diuitias.
C. Iam poſtulabas te impurata belua,
Totam Siciliam deuoraturum inſulam.
L. Quænam balæna meum uorauit uidulum,
Aurum, atque argentum ubi omne compactum fuit?
C. Eadem illa credo, quæ meum marſupium,
Quod plenum argenti fuit, in ſacciperio.
L. Heu ſum redactus ad hanc uſque unam tuniculam,
Et ad hoc miſellum pallium: peri oppidò.
C. Vel conſociare mihi quidem tecum licet:
Aequas habemus parteis. L. ſaltem ſi mihi
Mulierculæ eſſent ſaluæ, ſpes aliquæ forent.
Nunc ſi me adoleſcens Pleuſidippus uiderit,
A quo arrabonem pro Palæſtra acceperam,
Iam ſe exhibebit hic mihi negotium.
C. Quid ſtulte ploras? tibi quidem ædepol copia'ſt,

Dum lingua uiuet, qui rem ſoluas omnibus.

SCEPARIO. CHARMIDES. LABRAX.

S. *Quid illud obſecro negoti, quòd duæ mulierculæ*
Hic in phano Veneris ſignum flentes amplexæ tenent,
Neſcio quē metuētes miſeræ: nocte hac uerò proxuma
Se iactatas atq; eiectas, hodie eſſe aiunt è mari?
L. *Obſecro hercle adoleſcēs, ubi iſtæ ſunt, quas memoras mulieres?*
S. *Hic in phano Veneris. L. quot ſunt? S. totidem quot ego & tu ſumus.*
L. *Nempe meæ. S. nempe iſtuc neſcio. L. qua ſunt facie? S. ſcitula.*
Vel ego amare utramuis poſſum, ſi probe adpotus ſiem.
L. *Nempe puellæ? S. nempe moleſtus es, uiſe ſi lubet. L. meas*
Oportet intus eſſe hic mulieres mi Charmides.
C. *Iuppiter te perdat, & ſi ſunt, & ſi non, ſunt tamen.*
L. *Introrumpam iam huc in Veneris phanum. C. in barathrum mauelim:*
Obſecro hoſpes, da mihi aliquid loci, ubi condormiſcam parū.
S. *Iſtic ubi uis condormiſce: nemo prohibet, publicum eſt.*
C. *At uides me ornatus ut ſim ueſtimentis uuidis.*
Recipe me in tectum, da mihi ueſtimenti aliquid aridi,
Dum mea areſcunt, in aliquo referam gratiam tibi.
S. *Tegillum eho illud mihi unum areſcit: id ſi uis, dabo.*
Eodem amictus, tectus eodem eſſe ſoleo, ſi pluit:
Tu iſtæc mihi dato, exareſcāt faxo. C. eho an te pœnitet
In mari quod elaui, ne hic in terra quoque eluam?
S. *Eluas tu, an exungare ſiccus. uerum interim tibi*
Ego hodie nunquam quicquam credam, niſi accepto pignore.
Tu uel ſuda, uel peri algu. C. uel tu ægrota, uel uale.
S. *Barbarum hoſpitem mihi in ædeis nihil moror, ſat litium eſt.*
C. *Iamne abis? uenalis illic ductitauit, quiſquis eſt,*
Non eſt miſericors. ſed quid ego hic aſto infelix uuidus?
Quin abeo hinc in Veneris phanum, ut edormiſcam hanc crapulam,
Quam potaui præter animi quam libuit ſententiam?

Quaſi uinis Græcis Neptunnus nobis ſuffudit mare.
Itaque aluom prodiſperauit nobis ſalſis poculis.
Quid opu' ſt uerbis? ſi inuitare nobis pauliſper pergeret,
Ibidem obdormiſcemus: nunc uix uiuos amiſit domum.
Nunc lenonem quid agit intus uiſam conuiuam meum.

ACTVS TERTIVS.

DAEMONES, ſenex.

MIris modis di ludos faciunt hominibus,
Mirisq; exemplis: nam omnia in ſomnis danunt:
Ne dormientes quidem ſinunt quieſcere:
Velut ego hac nocte, quæ præceſsit proxuma,
Mirum atq; inſcitum ſomniaui ſomnium.
Ad hirundininum nidum uiſa eſt ſimia
Aſcenſionem ut faceret, admolirier:
Neque eas eripere quibat inde. poſt ibi
Videbatur ad me ſimia adgredirier:
Rogare ſcalas ut darem utendas ſibi.
Ego ad hoc exemplum ſimiæ reſpondeo,
Natas ex Philomena atq; ex Progne eſſe hirundines.
Ago cum illa, nequid noceat meis popularibus:
Atque illæc animo iam fieri ferocior
Videtur, ultro mihi malum minitarier:
In ius uocat me. ibi ego, neſcio quo nam modo,
Iratus uideor mediam arripere ſimiam:
Concludo in uincla beſtiam nequiſſumam.
Nunc quam ad rem dicam hoc attinere ſomnium,
Nunquam hodie quiui ad conie cturam euadere.
Sed quidnam in Veneris phano clamoris oritur?

TRACHALIO, ſeruos. DAEMONES, ſenex.

T. PRoh Cyrenenſes populares, uoſtram ego imploro fidem,
Agricolæ, accolæ, propinqui, qui eſtis his regionibus:
Ferte opem inopiæ, atq; exemplum peſſumu peſſundate.
Vindicate: ne impiorum potior ſit pollentia,

Quàm

Quàm innocentum, qui ſe ſcelere fieri nolunt nobiles.
Statuite exemplum impudenti, date pudori præmium.
Facite hic lege potius liceat, quàm ui, uicto uiuere.
Currite huc in Veneris phanum: uoſtram iterum imploro fidē,
Qui prope hic adeſtis, quiq́; auditis clamorem meum,
Ferte ſuppetias, qui Veneri, Veneriæq́; antiſtitæ
More antiquo in tutelam ſuum commiſerunt caput:
Prætorquete iniuriæ prius collum, q̃ ad uos perueniat.

D. Quid iſtuc negotij eſt? T. per ego hæc genua te obteſtor ſenex
Quiſquis es. D. quin tu ergo omitte genua, & qd ſit mihi ex-
Et qui tu es primū. T. teq́; oro, & quæſo, ſi ſperas tibi (pedi,
Hoc anno multum futurum ſirpe & laſerpitium,
Eamq́; euenturam exagogam ſaluam & ſoſpitem,
Atque ab lippitudine uſque ſiccitas ut ſit tibi.

D. Sanun' es? T. ſeu tibi confidis fore multam magudarim,
Vt te ne pigeat dare operam mihi quod te orabo ſenex.

D. At ego te per crura & talos, tergumq́; obteſtor tuum,
Vt tibi uberem ulmeam eſſe ſperes uirgidemiam, & tibi hoc
anno euenturam uberem meſſem mali,
Vt mihi iſtuc dicas negotij quid ſit, quod tumultues.

T. Quî lubet maledicere? equidem tibi bona exoptaui omnia.

D. Bene equidem tibi dico, qui te digna ut eueniant precor,
Obſecro hoc, reuortere ergo: quid negotij eſt? T. mulieres
Duæ innocentes intus hic ſunt tui indigentes auxilij,
Quibus aduorſum ius, legesq́; inſignite iniuria
Facta eſt, fitq́; in Veneris phano: tum ſacerdos Veneria
Indigne afflictatur. D. quis homo eſt tanta confidentia,
Qui ſacerdotem audeat uiolare? ſed eæ mulieres
Quæ ſunt? aut quid ijs iniqui fit? T. ſi das operam, eloquar:
Veneris ſignum ſunt amplexæ, nunc eas deripere uolt,
Eas ambas eſſe oportet. D. quis hic eſt, qui tam parui deos
Pendit? T. fraudis, ſceleris, parricidij, periurij
Plenus, legiruga, impudens, impurus, inuerecundiſſumus.
Verbo uno abſoluam, leno' ſt: quid illum porro prædicem?

Aede-

D. Aedepol hominem infortunio prædicas donabilem.

T. Qui ſacerdotis ſceleſtus fauceis interpreſſerit.

D. At magno cum malo ſuo fecit hercle. ite iſtinc foras

Turbalio, Sparax: ubi eſtis? T. i obſecro intrò, ſubueni.

D. Iterū autem imperabo, ſequimini hâc. T. age, nunc iam illi iube

Oculos elidere itidem, ut ſæpius faciunt coqui.

D. Proripite hominem pedibus huc itidem, quaſi occiſam ſuem.

T. Audio tumultum: opinor leno pugnis plectitur.

Nimis uelim homini improbiſſimo malas edentauerint.

Sed ecce ipſæ egrediuntur timidæ è phano mulieres.

PALAESTRA. TRACHALIO. AMPELISCA.

P. NVnc demū' ſt cum omnium copiarum atque opum, auxilij, præſidij

Viduitas nos tenet: nec quoia eſt, quæ ſalutem afferat,

Nec quam in partem ingredi perſequamur, ſcire poſſumus.

In metu nunc ſumus ambæ maxumo, tanta importunitas,

Tantaq; iniuria facta in nos eſt modò hic intus ab noſtro herò,

Qui ſacrā ſceleſtus ſacerdotē anum præceps reppulit, propulit

Perquam indignis modis, nosq; ab ſigno intumo eripere uoluit.

Sed nunc, ut ſeſe ferunt res, fortunæq; noſtræ, mori

Par eſt. NEQVE EST MELIVS morte in malis rebus miſeris.

T. Quid eſt? quæ illæc oratio' ſt? ceſſo conſolari ego

Has? heus Palæſtra. P. qui uocat? T. Ampeliſca. A. obſecro quis eſt

Qui uocat? P. quis is eſt qui nominat? T. ſi reſpexis, ſcies.

P. O ſalutis meæ ſpes. T. tace, ac bono aīo es. me uide. P. ſi modò

Id liceat, uiſne opprimat? T. quæ uis. P. uim mihi afferam, ipſa adigit.

T. Ah deſine, nimis inepta es. P. deſiſte dictis nunc iam

Miſeram me cōſolari, niſi quid re præſidium apparas

Trachalio: acta hæc res eſt: certu' ſt moriri, quàm hunc pati

Lenonem in me graſſari. ſed muliebri animo ſum tamen.

Vt miſeræ in mentem mihi mortis metus membra occupat?

T. Aedepol hoc acerbum: bonum animum habete. P. nam obſecro

Vnde

Vnde animus mihi inueniatur? T. ne inquam timete, aſsidite
Hic in hac ara. A. quid iſta ara plus prodeſſe nobis poteſt,
Quàm ſignũ in phano hic intus Veneris, quod amplexæ modò,
Vnde abreptæ per uim miſeræ? T. ſedete hic modo, ego hinc ta (men
Vos tutabor: arã habete hanc uobis pro caſtris, mœnia
Hinc ego defenſabo præſidio Veneris: & malitiæ
Lenonis contrà incedam. A. tibi auſcultamus, & Venus
Alma ambæ te obſecramus aram amplexantes hanc tuam
Lachrumantes, genibus nixæ, in cuſtodiam nos ut tuam
Recipias, & tutêre. illos ſceleſtos, qui tuum
Fecerunt phanum parui, & auſi ſunt uiolare nos,
Vt hanc tua pace, aram amplexæ miſeræ ambæ ſumus,
Opera Neptunni eiectos, perditos hoſteis habeas.
Neue iccirco nobis uitio uortas, ſi quippiam
Minus, quàm decet lautũ arbitrare. T. æquom has petere intellego,
Decet abs te id impetrari, ignoſcere his te cõuenit.
Metus has, id faciant, ſubigit: te ex concha natã eſſe autumãt.
Caue tu harum conchas ſpernas. ſed optume eccum exit
Senex, patronus mihiq; & uobis.

DAEMONES. TRACHALIO.
LABRAX. LORARII.

D. EXi è phano, natũm quantũ eſt hominum, ſacrilegiſſume.
Vos in aram abite ſeſſum. ſed ubi ſunt? T. huc reſpice:
Optume, iſtuc uolueramus: iube modò accedat propè
Legirupionẽ hunc hic nobiſcum dis facere poſtulas?
D. Pugnum in os impinge. L. iniqua hæc patior cum pretio tuo.
D. At etiam minitatur audax. L. ius meum ereptum eſt mihi.
Meas ancillas mihi inuito eripis, de ſenatu Cyrenenſi quanuis opulentus.
T. Si tuas eſſe oportet, niue eas eſſe oportet liberas, neu te in carcerem compingi eſt æquom, ætatemq; ibi
Te uſque habitare, donec totum carcerem contriueris.
L. Non hodie iſti auſpicaui rei, ut cum furcifero fabuler.

Te ego appello. D. cum iſtoc primum, qui te nouit diſputa.
L. Tecũ ago. T. atqui mecum agendu' ſt. ſuntne illæ ancillæ tuæ?
L. Sunt. T. agẽdum ergo, tange utrãuis digitulo, minimo modo.
L. Quid ſi attigero? T. extẽplo hercle ego te follem pugillatoriũ
Faciam, & pendentem incurſabo pugnis periuriſſume.
L. Mihi non liceat ancillas meas Veneris de ara abducere?
D. Est lex apud nos. L. quid mihi cum uoſtris legibus
Commercij eſt? equidem iſtas iam ambas educam foras.
Tu ſenex ſi iſtas ambas, huc arido argento' ſt opus.
D. Hæ aũt Veneri complacuerũt. LA. habeat, ſi argentum dabit.
D. Do tibi argentum, nunc adeò, ut ſcias meam ſententiam.
Occipito modo illis afferre uim ioculo pauſillulum:
Ita hinc ego te ornatum amittam, tu ipſus te ut non noueris.
Vos adeo, ubi ego innuero, ſi non ei caput exoculaſsitis,
Quaſi murteta iuncis, item ego uos uirgis circũmuinciam.
LA. Vi agis mecum. D. etiam uim improperas flagitij flagrantia?
Tun' trifurcifer mihi audes inclementer dicere?
LA. Fateor, ego trifurcifer ſum, tu es homo apprime probus.
T. Nunc quidem haſce oportet eſſe liberas. LA. quid liberas?
T. Atq; heras tuas quidem hercle, atq; ex germana Græcia:
Nam altera hæc eſt nata Athenis ſynceriſſumis teſtibus.
D. Quid ego ex te audio? T. hanc Athenis eſſe natam liberam.
D. Mea popularis obſecro hæc eſt. T. non tu Cyrenenſis es?
D. Imò Athenis natus, altusq;, educatusq; Atticis.
T. Obſecro defende ciues tuas ſenex. D. ô filia mea,
Cum ego hanc uideo, mearum abſens miſeriarum commones,
Trima quæ periјt mihi: iam tanta eſſet, ſi uiuit, ſcio.
LA. Argentum pro iſtiſce ambabus quoiæ erant domino dedi.
Quid mea refert Athenis hæ natæ, an Thebæ ſient,
Dum mihi recte ſeruitutem ſeruiant? D. itáne impudens?
Tune hic fallis uirginaleis liberos parentibus,
Subiectos habebis, atque indigno quæſtu conteres?
Nam huic alteræ patria quæ ſit profecto neſcio:
Niſi ſcio probiorem hanc eſſe, quam te impuratiſſume.

Tuæ

LA. Tuæ iſtæ ſunt? D. contende ergo, interſit tergo utri.
Ni offerrumentas habebis plureis in tergo tuo,
Quàm ulla nauis longa clauos, tum ego ero mendaciſſumus.
Poſtea aſpicito meum, quandò ego tuum inſpectauero,
Ni erit tam ſyncerum, ut quiuis dicat ampullarius
Optumum eſſe opere faciundo corium, & ſynceriſſumum.
Quid cauſſæ eſt, quin uirgis te uſq; ad ſaturitatem ſauciem?
Quid illas ſpectas? quas ſi attigeris, oculos tibi eripiam.
LA. At quin, quia uetas, utranq; iam mecum abducam ſimul.
D. Quid facies? LA. Volcanũ adducã, is Veneris aduerſariu' ſt.
D. Quò illic it? LA. heus ecquis hic eſt? heus. D. ſi attigeris oſtiũ,
Iam hercle tibi meſſis in ore fiet mergis pugnis probe.
LA. Nullum habemus ignem, ficis uictitamus aridis.
D. Ego dabo ignem, ſi quidem conflandi in capite tuo copia' ſt.
LA. Ibo hercle aliquò ignem quæritatum. D. quid cum ueneris?
LA. Ignem magnum hic faciam. D. quin ut manũ exuras tibi?
LA. Imò haſce ambas hic in ara uiuas comburam. D. id uolo:
Nam hercle te barba continuo arripiam, & in ignẽ conijciam,
Teq; ambuſtulatum obijciam magnis auibus pabulum.
Cum coniecturam egomet mecum facio, hæc illa eſt ſimia,
Quæ has hirundines ex nido uolt eripere ingratijs:
Quod ego in ſomnijs ſomniaui. T. ſcin' quid, te cũ oro ſenex?
Vt illas ſerues, uim defendas, dum ego herum adduco meum.
D. Quære herum, atq; adduce. T. at hic ne. D. maxumo malo ſuo,
Si attigerit, ſiue occeptaſſit. T. cura. D. curatum eſt, abi.
Hunc quoq; aſſeruato ipſum, ne quò abeat: nam promiſimus
Carnufici aut talentum magnum, aut iſtunc hodie ſiſtere.

DAEMONES. LABRAX. LORARII.

D. VTrum tu leno cum malo lubentius
Quieſcis, an ſic ſine malo, ſi copia eſt?
LA. Ego quæ tu loquere, flocci non facio ſenex.
Meas quidem, te inuito, & Venere, & ſummo Ioue,
De ara capillo iam deripiam. D. tange dum.
LA. Tangam hercle uerò. D. agedum ergo accedas huc modo.

Iube

LA. Iube dum recedere iſtos ambo illuc modo.
D. Imò ad te accedent. LA. non hercle egomet cenſeo.
D. Quid ages ſi propius accedent? LA. ego receſſero.
Verùm ſi ſenex unquam te in urbe offendero,
Nunquam hercle quiſquam me lenonem dixerit,
Si non te ludos peſſumos dimiſero.
D. Facito iſtuc quod minitaris. ſed nunc interim
Si illas attigeris, dabitur tibi magnum malum.
LA. Quàm magnum uerò? D. quantum lenoni ſat eſt.
LA. Minacias ego iſtas flocci non facio tuas.
Equidem eas te inuito ambas rapiam. D. tange dum.
LA. Tangam hercle uerò. D. tanges? at ſcin' quomodo?
I dum turbalio curriculo affer duas clauas. LA. clauas? D. ſed probas.
Propera cito, ego te hodie faxo recte acceptum, ut dignus es.
LA. Heu heu ſceleſtus galeam in naui perdidi,
Nunc mihi oportuna hic eſſet, ſalua ſi foret.
Licet ſaltem iſtas mihi appellare? D. non licet.
Hem optume ædepol eccum clauator aduenit.
LA. Illud quidem ædepol tinnimentum eſt auribus.
D. Age, accipe illinc alteram clauam Sparax,
Age alter iſtinc, alter hinc aßiſtite,
Aßiſtite ambo. ſic audite nunc iam:
Si hercle illic illas hodie digito tetigerit
Inuitas, niſi tunc illum uos exoculaßitis
Vſque adeò, donec quà domum abeat, neſciat:
Periſtis ambo. ſi appellabit quampiam:
Vos reſponditote iſtinc iſtarum uicem.
Sin ipſus hinc abire uolet, quantum potes,
Extemplo amplectitote crura fuſtibus.
LA. Etiam me abire hinc non ſinent? D. dixi ſatis:
Et ubi ille ſeruos cum hero ſuo huc aduenerit,
Qui herum accerſiuit, itote éxtemplo domum.
Curate hæc ſultis magna diligentia.

Heu

LA. Heu hercle ne iſtic phana mutamur cito?
Hoc Herculis eſt iam phanum, Veneris quod fuit:
Ita duo deſtituit ſigna hic cum clauis ſenex.
Non hercle, quò hinc nunc gentium aufugiam, ſcio:
Ita mihi utrunq; ſæuit & terra & mare.
Palæſtra? LO. quid uis? LA. apage controuerſia eſt:
Hæc equidem Palæſtra, quæ reſpondit, non mea eſt.
Heus Ampeliſca? LO. caueſis infortunio
Vt poteſt. LA. ignaui homines ſatis recte monent.
Sed uobis dico, heus uos, num nam moleſtia eſt,
Me adire ad illas propius? LO. nihil nobis quidem.
LA. Nunquid moleſtum mihi erit? LO. nihil, ſi caueris.
LA. Quid eſt quod caueam? LO. hehem à craſſo infortunio.
LA. Quæſo hercle, abire ut liceat. LO. abeas, ſi uelis.
LA. Bene ergo hercle factum, habeo uobis gratiam.
Non? accedam propius, illic aſtare ilico.
Aedepol proueni nequiter multis modis:
Certu' ſt haſce hodie uſque obſidione uincere.

PLEVSIDIPPVS. TRACHALIO. LABRAX. LORARII. CHARMIDES.

P. MEámne ille amicam leno ui ac uiolentia
De ara deripere Veneris uoluit? T. admodum.
P. Quin occidiſtis éxtemplo? T. gladius non erat.
P. Caperes aut fuſtem, aut lapidem. T. quid ego quaſi canem
Hominem inſectarer lapidibus nequiſſumum?
Nunc pol ego perij: Pleuſidippus eccum adeſt,
Conuerret iam hic me totum cum puluiſculo.
P. Etiámne in ara tunc ſedebant mulieres,
Quom ad me profectus ire? T. ibidem nunc ſedent.
P. Quis illas nunc illic ſeruat? T. neſcio qui ſenex
Vicinus Veneris, is dedit operam optumam.
Is nunc cum ſeruis ſeruat, ego mandaueram.
P. Duc me ad lenonem recta. ubi illic eſt homo?
LA. Salue. P. ſalutem nihil moror tuam, opta ocyus.

Tamen ſurripiuntur: quippe qui, quem illorum obſeruet, falſu'ſt.
Fur facile quem obſeruat, uidet: cuſtos, qui fur ſit, neſcit.
Sed duce me ad illam. ubi eſt? A. i ſanè in Veneris phanum huc intrò:
Sedentem flentemq; opprimes. T. ut iam iſtuc mihi moleſtu'ſt.
Sed quid flet? A. ego dicam tibi. hoc ſeſe illa excruciat animi,
Quia leno ademit ciſtulam ei, quam habebat, ubiq; habebat
Quî ſuos parenteis noſcere poſſet: ueretur ne perierit.
T. Vbi, nam ea fuit ciſtellula? A. ibidem in naui concluſit ipſe
In uidulum, ne copia eſſet eius. T. ô facinus impudicum,
Quam liberam eſſe oporteat, ſeruire poſtulare.
A. Nunc eam cum naui ſcilicet abiiſſe peſſum in altum:
Et aurum & argentum fuit lenonis ibidem: credo
Aliquem immerſiſſe ſe, atque eum excepiſſe: id miſera mœſta'ſt,
Sibi eorum ueniſſe inopiam. T. iam iſtoc magis uſus facto'ſt:
Næ eam intrò, conſolerq; eam, ne ſe ſic excruciet animi.
Nam multa præter ſpem, ſcio multis bona eueniſſe.
A. At ego etiam qui ſperauerint, ſpem decepiſſe multos.
T. ERGO ANIMVS æquos optumum eſt ærumnæ condimentum.
Ego eo intrò, niſi quid uis. A. eas. ego, quod mihi imperauit
Sacerdos, id faciam. atque aquam hinc de proxumo rogabo.
Nam extemplo illos, ut uerbis ſuis peterem, daturos dixit.
Neque digniorem cenſeo uidiſſe anum me quenquam,
Quoi deos, atque homines cenſeam benefacere magis decere
Vt lepide, ut liberaliter, ut honeſte, atque haud grauate
Timidas, egenteis, uuidas, eiectas, exanimatas
Accepit ad ſeſe, haud ſecus quàm ſi ex ſe ſimus natæ.
Vt eapſe ſuccincta nobis aquam calefactat, ut lauemus?
Nũc me moror. ibo, atq; rogabo hinc aquam unde mihi imperauit.
Heus ecquis in uilla'ſt? ecquis recludit? ecquis prodit?

SCEPARIO, ſeruos. AMPELISCA, mulier.

S. QVis eſt qui tam proterue foribus facit iniuriam?
A. Ego ſum. S. hem quid hoc boni eſt? heu ædepol lepida mulier.

Salue

A. Salue adoleſcens. S. tu multum ſalueto adoleſcentula.
A. Ad uos uenio. S. accipiam hoſpitio, ſi mox ueneris, item
Vt affectam amplectar. A. nam nunc nihil eſt, quî te maneam.
S. Sed quid ais mea lepida hilara? A. ah nimium familiariter
Me attrectas. S. proh di immortales, Veneris effigia hæc quidem eſt.
Vt in ocellis hilaritudo? eia corpus quoiuſmodi
Subuolturium? illud quidem ſubaquilum uolui dicere.
Vel papillæ quoiuſmodi? tum quæ indoles in ſuauio eſt?
A. Non ego ſum polluta pago: potin' ut me abſtineas manum?
S. Non licet te ſic placide bellam belle tangere?
A. Otium ubi erit, tum tibi operam ludo, & deliciæ dabo.
Nũc quamobrẽ huc ſum miſſa ámabo, uel tu mihi aias, uel neges.
S. Quid nunc uis? A. ſapientior nata quid uelim, indicium facit.
S. Hic quoque ſapienter natus, quid uelim, indicium facit.
A. Hic ſacerdos Veneris hinc me petere aquam iuſſit à uobis.
S. At ego baſilicus ſum: quem niſi oras, guttam non feres.
Noſtro illum puteum periculo, & ferramentis fodimus.
Niſi multis blanditijs à me gutta non ferri poteſt.
A. Cur tu aquam grauare ámabo, quam hoſtis hoſti commodat?
S. Cur tu operam grauare mihi quam ciuis ciui commodat?
A. Imò etiam tibi mea uoluptas, quæ uóles faciam omnia.
S. Euge ſaluos ſum, hæc iam me ſuam uoluptatem uocat.
Dabitur tibi aqua: nequicquam ames: cedò mihi urnam. A. cape.
Propera ámabo efferre. S. mana, iam hic ero uoluptas mea.
A. Quid ſacerdoti meæ dicam, hic demoratam tam diu?
Vt etiam nunc miſera timeo, ubi oculis intueor mare?
Sed quid ego miſera uideo procul in littore meum herum
Lenonem, Sicilienſemq; hoſpitem, quos perijſſe ambos
Cenſebam in mari? iam illud plus mali nobis uiuit, quàm ratæ.
Sed quid ego ceſſo fugere in phanum, ac dicere hæc Palæſtræ,
In aram ut confugiamus, prius quàm huc ſceleſtus leno ueniat.
Noſq; hic opprimat? confugiam hinc, res ita ſuppetit, ſubito.

SCEPARIO, ſeruos.

PRoh di immortales in aqua nunquam credidi
Voluptatem ineſſe tantam? ut hanc traxi lubens?
Nimio minus altus puteus uiſus eſt, quàm prius.
Vt ſine labore extraxi hanc præfeſtine ſatis?
Vt nequam ſum, pro te qui hodie amare incœperim?
Hem tibi aquam, mea tu belliata: hem ſic uolo
Te ferre honeſte, ut ego fero, ut placeas mihi.
Sed ubi tu es delicata? cape aquam hanc ſicubi es.
Amat hercle me, ut ego opinor: delituit mala.
Vbi tu es? etiámne hanc urnam acceptura es? ubi nam es?
Commodule melius, tandem uerò ſerio:
Etiam acceptura es urnam hanc? ubi tu es gemium?
Nuſquam hercle. urnam iam ego hanc in media ſiſtam uia.
Sed autem, quid ſi hanc hinc abſtulerit quiſpiam
Sacram urnam Veneris? mihi exhibeat negotium.
Metuo hercle ne illa mulier mihi inſidias locet,
Vt comprehendar cum ſacra urna Veneria.
Nempe optumo me iure in uinclis enicet
Magiſtratus, ſi quis me hanc habere uiderit:
Nam hæc litterata 'ſt, ab ſe cantat quoia ſit.
Iam hercle euocabo hinc hanc ſacerdotem foras,
Vt hanc accipiat: nam accedam iam huc ad fores.
Heus ſic tolloni gratia? cape hanc urnam tibi:
Muliercula, hanc neſcio quæ huc ad me detulit.
In proferunda repperi negotium:
Siquidem mihi ultrò his aggerunda etiam eſt aqua.

LABRAX, leno. CHARMIDES, paraſitus.

L. QVI HOMO HOMINEM ſeſe miſerum & mendicum uolet,
Neptunno credat ſeſe, atque ætatem ſuam.
Nam ſi quis cum illo quid rei commiſcuit,
Ad hoc exemplum amittit ornatum, domum.
Aedepol liberta lepida es, quæ nunquam pedem

Voluiſti

Voluiſti in nauim mecum hercle unà imponere.
Sed ubi ille meus eſt hoſpes, qui me perdidit?
Atque eccum incedit. C. quò (malùm) properas Labrax?
Nam equidem te nequeo conſequi tam ſtrenue.
L. Vtinam ego te prius, quàm oculis uidiſſem meis,
Malo cruciatu in Siciliam præbiteres,
Quem propter hoc mihi obtigit miſero mali.
Vtinam cum in ædeis meas te adduxi primulum,
In carcere illo potius cubuiſſem die.
Deosq; immortales quæſo, dum uiuas, uti
Omnes tui ſimiles hoſpites habeas tibi.
Malam fortunam in ædeis te adduxi meas.
Quid mihi ſceleſto tibi erat auſcultatio?
Quidue hinc abitio? quídue in nauim inſcenſio?
Vbi perdidi etiam plus boni, quàm mihi fuit.
C. Pol minime miror nauis ſi fracta'ſt ibi,
Scelus te, & ſceleſte parta quæ uexit bona.
L. Peſſum dediſti me blandimentis tuis.
C. Sceleſtiorem cœnam cœnaui tuam
Quàm quæ Thyeſtæ quondam anteposita ab Atreo.
L. Perij, animo male fit, contine quæſo caput.
C. Pulmonem ædepol nimis uelim uomitu uomas.
L. Heu Palæſtra atque Ampeliſca ubi eſtis nunc miſeræ?
C. Piſcibus in alto credo præbent pabulum.
L. Mendicitatem mihi obtuliſti opera tua,
Dum tuis auſculto magnidicis mendacijs.
C. Bonam eſt quòd habeas gratiam merito mihi,
Qui te ex inſulſo ſalſum feci opera mea.
L. Quin tu hinc is à me in maxumam malam crucem?
C. Da quas res tecum in naui agebam commodum.
L. Heu quis uiuit me alter mortalis miſerior?
C. Ego multo tanto miſerior, quàm tu Labrax.
L. Qui? C. quia ego indignus ſum, tu dignus qui ſies.
L. O ſcirpe ſcirpe, laudo fortunas tuas,

Qui ſemper ſeruas gloriam aritudinis.
Equidem meam uelitationem exerceo.
Nam omnia coruſca præ tremore fabulor.
C. Aedepol Neptunne es balneator frigidus,
Cum ueſtimentis abs te poſtquam abi, algeo,
Ne thermopolium quidem ullum inſtructum hodie:
Ita ſalſam præbet potionem & frigidam.
Vt fortunati ſunt fabri ferrarij,
Qui apud carbones aſsident? ſemper calent.
L. Vtinam fortuna nunc ego anthracina uterer,
Vt poſtquam exiuiſſem ex aqua, ar erem tamen.
C. Quid ſi aliquò ad ludos me pro manduca locem?
L. Quapropter? C. quia pol clare crepito dentibus.
Sed nunc iure optumo me lauiſſe arbitror.
L. Qui? C. quia auſus fuerim tecum in nauim aſcendere,
Qui à fundamento mihi uſque mouiſti mare.
L. Tibi autem auſcultaui, tu promittebas mihi
Illic eſſe quæſtum maxumum meretricibus:
Ibi me corruere poſſe aiebas diuitias.
C. Iam poſtulabas te impurata belua,
Totam Siciliam deuoraturum inſulam.
L. Quænam balæna meum uorauit uidulum,
Aurum, atque argentum ubi omne compactum fuit?
C. Eadem illa credo, quæ meum marſupium,
Quod plenum argenti fuit, in ſacciperio.
L. Heu ſum redactus ad hanc uſque unam tuniculam,
Et ad hoc miſellum pallium: peri oppidò.
C. Vel conſociare mihi quidem tecum licet:
Aequas habemus parteis. L. ſaltem ſi mihi
Mulierculæ eſſent ſaluæ, ſpes aliquæ forent.
Nunc ſi me adoleſcens Pleuſidippus uiderit,
A quo arrabonem pro Palæſtra acceperam,
Iam ſe exhibebit hic mihi negotium.
C. Quid ſtulte ploras? tibi quidem ædepol copia'ſt,

Dum

Dum lingua uiuet, qui rem ſoluas omnibus.

SCEPARIO. CHARMIDES. LABRAX.

S. Quid illud obſecro negoti, quòd duæ mulierculæ
Hic in phano Veneris ſignum flentes amplexæ tenent,
Neſcio quẽ metuẽtes miſeræ: nocte hac uerò proxuma
Se iactatas atq; eiectas, hodie eſſe aium è mari?

L. Obſecro hercle adoleſcẽs, ubi iſtæ ſunt, quas memoras mulieres?

S. Hic in phano Veneris. L. quot ſunt? S. totidem quot ego & tu ſumus.

L. Nempe meæ. S. nempe iſtuc neſcio. L. qua ſunt facie? S. ſcitula.
Vel ego amare utramuis poſſum, ſi probe adpotus ſiem.

L. Nempe puellæ? S. nempe moleſtus es, uiſe ſi lubet. L. meas
Oportet intus eſſe hic mulieres mi Charmides.

C. Iuppiter te perdat, & ſi ſunt, & ſi non, ſunt tamen.

L. Introrumpam iam huc in Veneris phanum. C. in barathrum mauelim:
Obſecro hoſpes, da mihi aliquid loci, ubi condormiſcam parũ.

S. Iſtic ubi uis condormiſce: nemo prohibet, publicum eſt.

C. At uides me ornatus ut ſim ueſtimentis uuidis.
Recipe me in tectum, da mihi ueſtimenti aliquid aridi,
Dum mea areſcunt, in aliquo referam gratiam tibi.

S. Tegillum ehò illud mihi unum areſcit: id ſi uis, dabo.
Eodem amictus, tectus eodem eſſe ſoleo, ſi pluit:
Tu iſtæc mihi dato, exareſcãt faxo. C. ehò an te pœnitet
In mari quod delaui, ne hic in terra quoque eluam?

S. Eluas tu, an exungare ſiccus. uerum interim tibi
Ego hodie nunquam quicquam credam, niſi accepto pignore.
Tu uel ſuda, uel peri algu. C. uel tu ægrota, uel uale.

S. Barbarum hoſpitem mihi in ædeis nihil moror, ſat litium eſt.

C. Iámne abis? uenalis illic ductitauit, quiſquis eſt,
Non eſt miſericors. ſed quid ego hic aſto infelix uuidus?
Quin abeo hinc in Veneris phanum, ut edormiſcam hanc crapulam,
Quam potaui præter animi quam libuit ſententiam?

Quaſi uinis Græcis Neptunnus nobis ſuffudit mare.
Itaque aluom prodiſperauit nobis ſalſis poculis.
Quid opu' ſt uerbis? ſi inuitare nobis pauliſper pergeret,
Ibidem obdormiſcemus: nunc uix uiuos amiſit domum.
Nunc lenonem quid agit intus uiſam conuiuam meum.

ACTVS TERTIVS.

DAEMONES, ſenex.

MIris modis di ludos faciunt hominibus,
Miriſq; exemplis: nam omnia in ſomnis danunt:
Ne dormientes quidem ſinunt quieſcere:
Velut ego hac nocte, quæ præceſsit proxuma,
Mirum atq; inſcitum ſomniaui ſomnium.
Ad hirundininum ni dum uiſa eſt ſimia
Aſcenſionem ut faceret, admolirier:
Neque eas eripere quibat inde. poſt ibi
Videbatur ad me ſimia adgredirier:
Rogare ſcalas ut darem utendas ſibi.
Ego ad hoc exemplum ſimiæ reſpondeo,
Natas ex Philomena atq; ex Progne eſſe hirundines.
Ago cum illa, nequid noceat meis popularibus:
Atque illæc animo iam fieri ferocior
Videtur, ultrò mihi malum minitarier:
In ius uocat me. ibi ego, neſcio quo nam modo,
Iratus uideor mediam arripere ſimiam:
Concludo in uincla beſtiam nequiſſumam.
Nunc quam ad rem dicam hoc attinere ſomnium,
Nunquam hodie quiui ad coniecturam euadere.
Sed quidnam in Veneris phano clamoris oritur?

TRACHALIO, ſeruos. DAEMONES, ſenex.

T. PRoh Cyrenenſes populares, uoſtram ego imploro fidem,
Agricolæ, accolæ, propinqui, qui eſtis his regionibus:
Ferte opem inopiæ, atq; exemplum peſſ umũ peſſundate.
Vindicate: ne impiorum potior ſit pollentia,

Quàm

Quàm innocentum, qui ſe ſcelere fieri nolunt nobiles.
Statuite exemplum impudenti, date pudori præmium.
Facite hic lege potius liceat, quàm ui, uicto uiuere.
Currite huc in Veneris phanum: uoſtram iterum imploro fidē,
Qui prope hic adeſtis, quiq́; auditis clamorem meum,
Ferte ſuppetias, qui Veneri, Veneriæq́; antiſtitæ
More antiquo in tutelam ſuum commiſerunt caput:
Prætorquete iniuriæ prius collum, q̄ ad uos peruenit.
D. Quid iſtuc negotij eſt? T. per ego hæc genua te obteſtor ſenex
Quiſquis es. D. quin tu ergo omitte genua, & q̄d ſit mihi ex-
Et qui tu es primū. T. teq́; oro, & quæſo, ſi ſperas tibi (pedi,
Hoc anno multum futurum ſirpe & laſerpitium,
Eamq́; euenturam exagogam ſaluam & ſoſpitem,
Atque ab lippitudine uſque ſiccitas ut ſit tibi.
D. Sanun' es? T. ſeu tibi confidis fore multam magudarim,
Vt te ne pigeat dare operam mihi quod te orabo ſenex.
D. At ego te per crura & talos, tergumq́; obteſtor tuum,
Vt tibi uberem ulmeam eſſe ſperes uirgidemiam, & tibi hoc anno euenturam uberem meſſem mali,
Vt mihi iſtuc dicas negotij quid ſit, quod tumultues.
T. Qui lubet maledicere? equidem tibi bona exoptaui omnia.
D. Bene equidem tibi dico, qui te digna ut eueniant precor,
Obſecro hoc, reuortere ergo: quid negotij eſt? T. mulieres
Duæ innocentes intus hic ſunt tui indigentes auxilij,
Quibus aduorſum ius, legesq́; inſignite iniuria
Facta eſt, fitq́; in Veneris phano: tum ſacerdos Veneria
Indigne afflictatur. D. quis homo eſt tanta confidentia,
Qui ſacerdotem audeat uiolare? ſed eæ mulieres
Quæ ſunt? aut quid ijs iniqui fit? T. ſi das operam, eloquar:
Veneris ſignum ſunt amplexæ, nunc eas deripere uolt,
Eas ambas eſſe oportet. D. quis hic eſt, qui tam parui deos
Pendit? T. fraudis, ſceleris, parricidij, periurij
Plenus, legiruga, impudens, impurus, inuerecundiſſimus.
Verbo uno abſoluam, leno' ſt: quid illum porro prædicem?

Acde-

D. Aedepol hominem infortunio prædicas donabilem.
T. Qui ſacerdotis ſceleſtus fauceis interpreſſerit.
D. At magno cum malo ſuo fecit hercle. ite iſtinc foras
Turbalio, Sparax: ubi eſtis? T. i obſecro intrò, ſubueni.
D. Iterũ autem imperabo, ſequimini hâc. T. age, nunc iam illi iube
Oculos elidere itidem, ut ſæpius faciunt coqui.
D. Proripite hominem pedibus huc itidem, quaſi occiſam ſuem.
T. Audio tumultum: opinor leno pugnis plectitur.
Nimis uelim homini improbiſſimo malas edentauerint.
Sed ecce ipſæ egrediuntur timidæ è phano mulieres.

PALAESTRA. TRACHALIO. AMPELISCA.

P. NVnc demu' ſt cum omnium copiarum atque opum, auxilij, præſidij
Viduitas nos tenet: nec quoia eſt, quæ ſalutem afferat,
Nec quam in partem ingredi perſequamur, ſcire poſſumus.
In metu nunc ſumus ambæ maxumo, tanta importunitas,
Tantaq́; iniuria facta in nos eſt modò hic intus ab noſtro hero,
Qui ſacrã ſceleſtus ſacerdotẽ anum præceps reppulit, propulit
Perquam indignis modis, nosq́; ab ſigno intumo eripere uoluit.
Sed nunc, ut ſeſe ferunt res, fortunæq́; noſtræ, mori
Par eſt. NEQVE EST MELIVS morte in malis rebus miſeris.
T. Quid eſt? quæ illæc oratio'ſt? ceſſo conſolari ego
Has? heus Palæſtra. P. qui uocat? T. Ampeliſca. A. obſecro quis eſt
Qui uocat? P. quis is eſt qui nominat? T. ſi reſpexis, ſcies.
P. O ſalutis meæ ſpes. T. tace, ac bono aĩo es. me uide. P. ſi modò
Id liceat, uiſne opprimat? T. quæ uis. P. uim mihi afferam, ipſa adigit.
T. Ah deſine, nimis inepta es. P. deſiſte dictis nunc iam
Miſeram me cõſolari, niſi quid re præſidium apparas
Trachalio: acta hæc res eſt: certu' ſt moriri, quàm hunc pati
Lenonem in me graſſari. ſed muliebri animo ſum tamen.
Vt miſeræ in mentem mihi mortis metus membra occupat?
T. Aedepol hoc acerbum: bonum animum habete. P. nam obſecro

Vnde

Vnde animus mihi inueniatur? T. ne inquam timete, aſſidite
Hic in hac ara. A. quid iſta ara plus prodeſſe nobis poteſt,
Quàm ſignũ in phano hic intus Veneris, quod amplexæ modò,
Vnde abreptæ per uim miſeræ? T. ſedete hic modo, ego hinc ta
Vos tutabor: arã habete hanc uobis pro caſtris, mœnia (men
Hinc ego defenſabo præſidio Veneris: & malitiæ
Lenonis contrà incedam. A. tibi auſcultamus, & Venus
Alma ambæ te obſecramus aram amplexantes hanc tuam
Lachrumantes, genibus nixæ, in cuſtodiam nos ut tuam
Recipias, & tutère. illos ſceleſtos, qui tuum
Fecerunt phanum parui, & auſi ſunt uiolare nos,
Vt hanc tua pace, aram amplexæ miſeræ ambæ ſumus,
Opera Neptunni eiectos, perditos hoſteis habeas.
Neue iccirco nobis uitio uortas, ſi quippiam
Minus, quàm decet lautũ arbitrare. T. æquom has petere intellego,
Decet abs te id impetrari, ignoſcere his te cõuenit.
Metus has, id faciant, ſubigit: te ex concha natã eſſe autumãt.
Caue tu harum conchas ſpernas. ſed optume eccum exit
Senex, patronus mihiq; & uobis.

DAEMONES. TRACHALIO.
LABRAX. LORARII.

D. EXi è phano, natûm quantũ eſt hominum, ſacrilegiſſume.
Vos in aram abite ſeſſum. ſed ubi ſunt? T. huc reſpice:
Optume, iſtuc uolueramus: iube modò accedat propè
Legirupionẽ hunc hic nobiſcum dis facere poſtulas?
D. Pugnum in os impinge. L. iniqua hæc patior cum pretio tuo.
D. At etiam minitatur audax. L. ius meum ereptum eſt mihi.
Meas ancillas mihi inuito eripis, de ſenatu Cyrenenſi quanuis opulentus.
T. Si tuas eſſe oportet, niue eas eſſe oportet liberas, neu te in carcerem compingi eſt æquom, ætatemq; ibi
Te uſque habitare, donec totum carcerem contriueris.
L. Non hodie iſti auſpicaui rei, ut cum furcifero fabuler.

Te ego

Te ego appello. D. cum iſtoc primum, qui te nouit diſputa.
L. Tecũ ago. T. atqui mecum agendu' ſt. ſuntne illæ ancillæ tuæ?
L. Sunt. T. agẽdum ergo, tange utrãuis digitulo, minimo modo.
L. Quid ſi attigero? T. extẽplo hercle ego te follem pugillatoriũ
Faciam, & pendentem incurſabo pugnis periuriſſume.
L. Mihi non liceat ancillas meas Veneris de ara abducere?
D. Eſt lex apud nos. L. quid mihi cum uoſtris legibus
Commercij eſt? equidem iſtas iam ambas educam foras.
Tu ſenex ſi iſtas ambas, huc arido argento' ſt opus.
D. Hæ aũt Veneri complacuerũt. LA. habeat, ſi argentum dabit.
D. Do tibi argentum, nunc adeò, ut ſcias meam ſententiam.
Occipito modo illis afferre uim ioculo pauſillulum:
Ita hinc ego te ornatum amittam, tu ipſus te ut non noueris.
Vos adeo, ubi ego innuero, ſi non ei caput exoculaſsitis,
Quaſi murteta iuncis, item ego uos uirgis circumuinciam.
LA. Vi agis mecum. D. etiam uim improperas flagitij flagrantia?
Tún' trifurcifer mihi audes inclementer dicere?
LA. Fateor, ego trifurcifer ſum, tu es homo apprime probus.
T. Nunc quidem haſce oportet eſſe liberas. LA. quid liberas?
T. Atq; heras tuas quidem hercle, atq; ex germana Græcia:
Nam altera hæc eſt nata Athenis ſynceriſſumis teſtibus.
D. Quid ego ex te audio? T. hanc Athenis eſſe natam liberam.
D. Mea popularis obſecro hæc eſt. T. non tu Cyrenenſis es?
D. Imò Athenis natus, altuſq;, educatuſq; Atticis.
T. Obſecro defende ciues tuas ſenex. D. ô filia mea,
Cum ego hanc uideo, mearum abſens miſeriarum commones,
Trima quæ perijt mihi: iam tanta eſſet, ſi uiuit, ſcio.
LA. Argentum pro iſtiſce ambabus quoiæ erant domino dedi.
Quid mea refert Athenis hæ natæ, an Thebæ ſient,
Dum mihi recte ſeruitutem ſeruiant? D. itáne impudens?
Túne hic fallis uirginalcis liberos parentibus,
Subiectos habebis, atque indigno quæſtu conteres?
Nam huic alteræ patria quæ ſit profecto neſcio:
Niſi ſcio probiorem hanc eſſe, quam te impuratiſſume.

LA. Tuæ iſtæ ſunt? D. contende ergo, interſit tergo utri.
Ni offerrumentas habebis plureis in tergo tuo,
Quàm ulla nauis longa clauos, tum ego ero mendaciſſumus.
Poſtea aſpicito meum, quandò ego tuum inſpectauero,
Ni erit tam ſyncerum, ut quiuis dicat ampullarius
Optumum eſſe opere faciundo corium, & ſynceriſſumum.
Quid cauſſæ eſt, quin uirgis te uſq; ad ſaturitatem ſauciem?
Quid illas ſpectas? quas ſi attigeris, oculos tibi eripiam.
LA. At quin, quia uetas, utranq; iam mecum abducam ſimul.
D. Quid facies? LA. Volcanũ adducã, is Veneris aduerſariu' ſt.
D. Quò illic it? LA. heus ecquis hic eſt? heus. D. ſi attigeris oſtiũ,
Iam hercle tibi meſsis in ore fiet mergis pugnis probe.
LA. Nullum habemus ignem, ficis uictitamus aridis.
D. Ego dabo ignem, ſi quidem conflandi in capite tuo copia' ſt.
LA. Ibo hercle aliquò ignem quæritatum. D. quid cum ueneris?
LA. Ignem magnum hic faciam. D. quin ut manũ exuras tibi?
LA. Imò haſce ambas hic in ara uiuas comburam. D. id uolo:
Nam hercle te barba continuo arripiam, & in ignẽ conijciam,
Teq; ambuſtulatum obijciam magnis auibus pabulum.
Cum coniecturam egomet mecum facio, hæc illa eſt ſimia,
Quæ has hirundines ex nido uolt eripere ingratijs:
Quod ego in ſomnijs ſomniaui. T. ſcin' quid, te cũ oro ſenex?
Vt illas ſerues, uim defendas, dum ego herum adduco meum.
D. Quære herum, atq; adduce. T. at hic ne. D. maxumo malo ſuo,
Si attigerit, ſiue occeptaſsit. T. cura. D. curatum eſt, abi.
Hunc quoq; aſſeruato ipſum, ne quò abeat: nam promiſimus
Carnufici aut talentum magnum, aut iſtunc hodie ſiſtere.

DAEMONES. LABRAX. LORARII.

D. VTrum tu leno cum malo lubentius
Quieſcis, an ſic ſine malo, ſi copia eſt?
LA. Ego quæ tu loquere, flocci non facio ſenex.
Meas quidem, te inuito, & Venere, & ſummo Ioue,
De ara capillo iam deripiam. D. tange dum.
LA. Tangam hercle uerò. D. agedum ergo accedas huc modo.

Iube

LA. Heu hercle ne iſtic phana mutamur cito?
Hoc Herculis eſt iam phanum, Veneris quod fuit:
Ita duo deſtituit ſigna hic cum clauis ſenex.
Non hercle, quò hinc nunc gemium aufugiam, ſcio:
Ita mihi utrunq; ſæuit & terra & mare.
Palæſtra? LO. quid uis? LA. apage controuerſia eſt:
Hæc equidem Palæſtra, quæ reſpondit, non mea eſt.
Heus Ampeliſca? LO. caueſis infortunio
Vt poteſt. LA. ignaui homines ſatis recte monent.
Sed uobis dico, heus uos, num nam moleſtia eſt,
Me adire ad illas propius? LO. nihil nobis quidem.
LA. Nunquid moleſtum mihi erit? LO. nihil, ſi caueris.
LA. Quid eſt quod caueam? LO. hehem à craſſo infortunio.
LA. Quæſo hercle, abire ut liceat. LO. abeas, ſi uelis.
LA. Bene ergo hercle factum, habeo uobis gratiam.
Non? accedam propius, illic aſtare ilico.
Aedepol proueni nequiter multis modis:
Certū ſi haſce hodie uſque obſidione uincere.

PLEVSIDIPPVS. TRACHALIO. LABRAX. LORARII. CHARMIDES.

P. ME'amne ille amicam leno ui ac uiolentia
De ara deripere Veneris uoluit? T. admodum.
P. Quin occidiſtis extemplo? T. gladius non erat.
P. Caperes aut fuſtem, aut lapidem. T. quid ego quaſi canem
Hominem inſectarer lapidibus nequiſſumum?
Nunc pol ego perij: Pleuſidippus eccum adeſt,
Conuerret iam hic me totum cum puluiſculo.
P. Etiámne in ara tunc ſedebant mulieres,
Quom ad me profectus ire? T. ibidem nunc ſedent.
P. Quis illas nunc illic ſeruat? T. neſcio qui ſenex
Vicinus Veneris, is dedit operam optumam.
Is nunc cum ſeruis ſeruat, ego mandaueram.
P. Duc me ad lenonem rectà. ubi illic eſt homo?
LA. Salue. P. ſalutem nihil moror tuam, opta ocyus.

Rapite hunc.obtorto collo mauis,an trahi?
Vtrum uis opta,dum licet.LA.neutrum uolo.
P. Abi ſanè ad littus curriculo Trachalio:
Iube illos in urbem ire obuiam ad portum mihi,
Quos mecum duxi,qui hunc ad carnuficem traherent.
Pòſt huc redito,atq; agitate hic cuſtodiam.
Ego hunc ſceleſtum in ius rapiam exulem.
Age ambula in ius.LA.quid ego deliqui?P.rogas?
Quin arrabonem à me accepiſti ob mulierem:
Et eam hinc abduxiſti. LA.non auexi.P.cur negas?
LA. Quia pol prouexi,auehere non quiui miſer.
Equidem tibi me dixeram præſto fore
Apud Veneris phanum.quid multa?ſumne ibi?
P. In iure cauſam dicito,hic uerbum ſat eſt,
Sequere.LA.obſecro te ſubueni mi Charmides,
Rapior obtorto collo.C.quis me nominat?
LA. Viden' me ut rapior?C.uideo,atq; inſpecto lubens.
LA. Non ſubuenire mihi audes?C.quis homo te rapit?
LA. Adoleſcens Pleuſidippus.C. ut nactus es,abi
Bono animo:melius eſt te in neruom corripere:
Tibi obtigit quod plurimi exoptant ſibi.
LA. Quid id eſt?C.ut id quod quærant,inueniant ſibi.
LA. Sequere obſecro pariter.C.ſuades tu qualis es,
In neruom rapere,eo me obſecras ut te ſequar?
Etiam retentas?LA.perij.C.uerum ſic uelim.
P. Tu mea Palæſtra & Ampeliſca ibidem ilico
Manete,dum huc redeo.LO.equidem ſuadeo
Vt ad nos abeant potius,dum recipis.P.placet,
Benefacitis.LA.fures mihi eſtis.LO.quid?P.rape.
LA. Oro,obſecro Palæſtra.P.ſequere carnufex.
LA. Hoſpes.C.non ſum hoſpes,repudio hoſpitium tuum.
LA. Siccine me ſpernis?C.ſic ago,ſemel bibo.
LA. Di te infelicitent.C.iſti capiti dicito.
Credo alium in aliam beluam hominem uortier:

Illic

Illic in columbam credo leno uortitur:
Nam in columbari collum haud multo poſt erit.
In neruo mille hodie nidamenta congeret.
Verumtamen ibo, ei aduocatus ut ſiem:
Siquidem mea opera citius addici poteſt.

ACTVS QVARTVS.

DAEMONES, ſenex.

BEnefactum, & uolupe eſt mihi hodie his mulierculis
Tetuliſſe auxilium: iam clientas repperi,
Atque ambas forma ſcitula, atque ætatula.
Sed uxor ſceleſta me omnibus ſeruat modis,
Ne quid ſignificem quippiam mulierculis.
Sed Gripus ſeruos noſter quid rerum gerat
Miror, de nocte qui abijt piſcatum ad mare:
Pol magis ſapuiſſet, ſi dormiuiſſet domi,
Iam nunc & operam ludos facit, & retia,
Vt tempeſtas eſt nunc, atq; ut noctu fuit.
In digitis hodie perco quidquid ceperit,
Ita fluctuare uideo uehementer mare.
Sed ad prandium uxor me uocat, redeo domum.
Iam meas opplebit aures ſua uaniloquentia.

GRIPVS, piſcator.

NEptunno has ago meo patrono gratias, qui ſalſis
Locis incolit piſculentis, cũ me ex ſuis locis ornatum
Pulchre expediuit, templis reducem, plurima præda
Salute horriæ in mari fluctuoſo, piſcatu nouo me Conuſtum
Vberi compotiuit. miro modo, atq; incredibili hinc piſcatus
Mihi lepide euenit: neq; piſcium ullam unciam pondo hodie
Cepi, niſi hoc quod nunc fero in rete. nam ut de nocte multa,
Impigreq; exurrexi, lucrum præpoſui ſopori & quieti:
Tempeſtate ſæua experiri expetiui: paupertatem heri qui
Et meam ſimul tolerarẽ: opera haud fui parcus, NIMIS HOMO
Nihil eſt, qui piger eſt, nimiſq; id genus odi ego male. uigilare

Decet hominem, qui uolt ſua tempori conficere officia.
Non enim illum expectare oportet, dum herus ſe ad ſuum ſuſcitet officium.
Nam qui dormiunt lubenter, ſine lucro & cum malo quieſcũt.
Nã ego nũc mihi, q impiger fui, repperi ut piger, ſi uelim, ſim.
Hoc ego in mari, quicquid hic ineſt, repperi: quicquid eſt, graue quidem.
Theſaurum hic ego ineſſe reor, nec mihi cõſcius eſt ullus homo.
Nunc hæc tibi occaſio Gripe obtigit, ut liberet extemplo
Prætor te. nunc ſic faciam, ſicut conſilium eſt, ad herũ ut ueniã,
Docte, atq; aſtute ego illi pauxillatim pollicitabor
Pro capite argentum, ut ſim liber, ac me emittat manu iam. ubi liber
Igitur domum inſtruam, agrum, ædes, mancipia: nauibus inde
Magnis mercaturam faciam, apud reges rex perhibebor.
Poſt animi cauſſa mihi nauem faciã, atq; imitabor Stratonicũ,
Oppida circumuectabor. ubi nobilitas mea erit clara,
Oppidum magnum cõmunibo, ei ego urbi Gripo indã nomen,
Monimentum meæ famæ, & facinoris, ibiq; regnum magnum
Inſtituam, magnas res hic agito in mentem inſtruere. nunc hũc
Vidulum cõdam. ſed hic rex cum aceto pranſurus eſt atq; ſale.

TRACHALIO, ſeruos. GRIPVS, piſcator.

T. HEus mane. G. quid maneam? T. dum hanc tibi rudentem quam trahis, complico.
G. Mitte modo. T. at pol ego te adiuuabo. nam QVOD BENEFIT bonis,
Haud perit. G. turbida tempeſtas heri fuit, nihil habeo
Adoleſcens piſcium, ne tu mihi eſſe poſtules.
Non uides me referre uuidum rete ſine ſquammoſo pecu?
T. Non ædepol piſcis expeto, ſermonis tui ſum indigens.
G. Enicas iam me odio, quiſquis es. T. non ſinam ego abire te,
Mane. G. caueſis malo, quid tu (malum) nam me retrahis?
T. Audi. G. non audio. T. at pol quin audies poſt. G. quin loquere
Quid uis. T. ehò modò eſt operæpretium, quod tibi ego uolo

Nar

Narrare. G. eloquere, quid id eſt? T. uide, nuſpiam conſequitur prope.

G. Ecquid eſt, quod mea referat? T. ſcilicet: ſed bonis cõſilijs chò
Quid in te mihi eſt? G. quid negotij eſt? modò dic. T. dicam, tace, ſi fidem
Modò das mihi te non fore infidum. G. do fidem, tibi fidus ero,
Quiſquis es. T. audin'? furtum ego uidi, qui faciebat: nouerã
Dominum id quoi fiebat. porrò ad furem egomet deuenio,
Feroq; ei conditionem hoc pacto: Ego iſtuc furtum ſcio
Quoi factum eſt: nunc mihi ſi uis dare dimidium, indicium
Domino non faciam. is mihi nihil etiam reſpondit. quid inde
Aequom eſt dari mihi? dimidium? uolo ut dicas. G. imò etiam
Amplius: nam ſi non dat, domino dicundum cenſeo.

T. Tuo conſilio faciam. nunc aduorte animum: nanq; hoc omne attinet ad te. G. quid eſt?

T. Vidulum iſtum quoius eſt, noui ego hominem iampridem. G. quid eſt?

T. Et quo pacto perijt. G. at ego quo pacto inuentu' ſt ſcio:
qui Et qui inuenit hominẽ noui: & dominus quoi nunc eſt, ſcio.
Nihilo pol pluris tua hoc, quàm quanti illud refert mea.
Ego noui illum quoius nunc eſt: tu illum quoius ante hac fuit.
Hunc homo feret à me nemo, ne tute ſperes potius.

T. Non ferat, ſi dominus ueniat? G. dñs huic nemo, ne fruſtra es:
Niſi ego nemo natu' ſt, hunc qui cepi in uenatu meo.

T. Itane uero? G. ecquem eſſe dices in mari piſcem meum,
Quos capio? ſi quidem cepi, mei ſunt, habeo pro meis,
Nec manu aſſeruntur, neq; illinc partem quiſquam poſtulat:
In foro palàm omnes uendo pro meis uenalibus.
Mare quidẽ commune certo' ſt omnibus eſſe. T. aſſentio.
Qui minus hunc communẽ quæſo mihi eſſe oportet uidulum?
In mari inuentu' ſt, commune eſt. G. ne impudenter impudẽs.
Nam ſi iſtuc ſit, quod memoras, piſcatores perierint.
Quippe cum extemplo in macellum piſces prolati ſient,
Nemo emat, ſuam quiſq; partem piſcium poſcat ſibi.

Dicat in mari communi captos. T. quid ais impudens?
Auſus etiam comparare uidulum cum piſcibus?
Eadem tandem res uidetur? G. in manu non eſt mea,
Vbi demiſi retem, atq; hamũ, quicquid hæſit, extraho.
Quod rete, atq; hami mei nacti ſunt, meum potiſſumu' ſt.
T. Imò hercle haud eſt ſiquidem quod uas cepiſti. G. philoſophe.
T. Sed tu nunquam piſcatorem uidiſti ueneſice
Vidulum piſcem cepiſſe, aut protuliſſe ullum in forum.
Non enim tu hic quidem occupabis omneis quæſtus, quos uoles.
Venatorem & piſcatorem te eſſe impure poſtulas.
Vel te mihi monſtrare oportet, piſcis qui ſit uidulus,
Vel quod in mari non natum eſt, neq; habet ſquamas, ne feras.
G. Quî tu nunquã audiuiſti eſſe antehac uidulũ piſcem? T. ſcelus,
Nullus eſt. G. imò eſt profecto, ego qui ſum piſcator, ſcio:
Verùm raro capitur, nullus minus ſæpe ad terram uenit.
T. Nil agis: dare uerba ſperas mihi te poſſe furcifer.
Quo colore eſt? G. hoc colore capiuntur pauxilluli.
Sunt alij puniceo colore magni, item atri. T. ſcio.
Tu hercle, opinor, te in uidulum piſcium conuertes, niſi caues.
Fiet tibi puniceum corium, poſtea atrum denuo.
G. Quod ſcelus hodie hoc inueni? T. uerba facimus, it dies.
Vide ſis quoius arbitratu rem nos facere uis?
G. Viduli arbitratu? T. ita enimuero ſtultus es. G. ſalue Tales.
T. Tu iſtunc hodie non feres, niſi das ſequeſtrum, aut arbitrum,
Quoius hæc res arbitratu fiat. G. quæſo ſanus es?
T. Elleboroſus ſum. G. at ergo ceritus, hunc non mittam tamen.
T. Verbũ adde etiam unũ, iam in cerebro colaphos abſtrudã tuo.
G. Ego iam te hic itidem, quaſi penicillus nouos ſolet exugere,
Ni hunc amittis, exugebo quicquid humoris tibi' ſt.
Tange, affligam te ad terram itidem, ut piſcem ſoleo polypũ.
T. Vis pugnare: quid opu' ſt? quin tu potius prædam diuide.
G. Hinc tu niſi malum fruiſci nihil potes. T. niſi poſtulas,
Abeo ego hinc. G. at ego hinc offlectam nauem. T. ne quò abeas, mane:

Si tu proreta iſti naui es, ego gubernator ero.
G. Mitte rudentem ſceleſte. T. mittam, omitte uidulum.
G. Nunquam hercle hinc hodie ramenta fies fortunatior.
T. Non probare pernegando mihi potes, niſi pars datur,
Aut ad arbitrum reditur, aut ſequeſtro ponitur.
G. Quémne ego excepi in mari? T. at ego quem inſpectaui è littore.
G. Mea opera, labore, & rete & horia. T. num quid minus,
Si ueniat nunc dominus, quoius eſt, ego qui inſpectaui procul
Te hunc habere, fur ſum, quàm tu nihilo minus maſtigia?
Quo argumento ſocius non ſum, & fur ſum, fac dū ex te ſciam.
G. Neſcio, neque ego iſtas noſtras leges urbanas ſcio:
Niſi quia hunc meum eſſe dico. T. & ego item eſſe aio meum.
G. mane:
Iam repperi rem quo pacto nec fur, nec ſocius ſies.
T. Quo pacto? G. ſine me hinc abire, tu abi tacitus tuam uiam:
Nec tu me quoiquam indicaſſis, neq; ego tibi quicquam dabo.
Tu taceto, ego muſsitabo: hoc optumum, atque æquiſſumum eſt.
T. Ehò quid conditionis audes ferre? G. iam dudum fero,
Vt abeas, rudentem amittas, mihi moleſtus ne ſies.
T. Mane, dum refero conditionem. G. te obſecro aufer modo.
T. Ecquem in his locis nouiſti? G. oportet uicinos meos.
T. Vbi tu hic habitas? G. porrò illic longe uſque in campis ultimis.
T. Vin' qui in hac uilla habitat, eius arbitratu fiat hoc?
G. Pauliſper remitte reſtem, dum concedo, & conſulo.
T. Fiat. G. euge ſalua res eſt, præda hæc perpetua eſt mea.
Ad meum herum arbitrum uocat me hic intra præſepeis meas.
Nunquam hercle hodie abiudicabit ab ſuo triobolum:
Næ iſte haud ſcit quam conditionem tulerit: ibo ad arbitrum.
T. Quid igitur? G. quanquam iſtuc eſſe ius meum certe ſcio,
Fiat iſtuc potius, quàm nunc pugnem tecum. T. nunc places.
G. Quāquam ad ignotum arbitrum me appellis, ſi adhibebit fidem
Etſi eſt ignotus, notus: ſi non, ignotiſſumus eſt.

DAEMONES. MVLIERES. PALAESTRA. AMPELISCA. TRACHALIO. GRIPVS.

D. CVpio ædepol, quanquam uobis quæ uoltis mulieres,
Metuo propter uos, ne uxor mea me extrudat ædibus,
Quæ me pellices adduxiſſe dicet ante oculos ſuos:
Vos cõfugite in aram potius, quàm ego. M. perimus miſeræ.
D. Ego uos ſaluas ſiſtam, ne timete. ſed quid uos foras
Proſequimini? quoniam ego adſum, faciet nemo iniuriam.
Ite inquam domum ámabo, nunciam ex præſidio præſidis.
G. O præſes ſalue. D. ſalue Gripe, quid fit? T. tuúſne hic ſeruos eſt?
G. Haud pudet? T. nihil ago tecum. G. ergo abi hinc ſis. T. quæſo reſponde ſenex,
Tuus hic ſeruos eſt? D. meus eſt. T. hem iſtuc optume, quandò tuus eſt,
Iterum ſaluto te. D. & ego te. túne es qui haud multo prius
Abiſti hinc herum accerſitũ? T. ego is ſum. D. quid nũc uis tibi?
T. Nempe hic tuus eſt? D. meus eſt. T. iſtuc optime quãdò tuu' ſt.
D. Quid negoti' ſt? T. uir ſceleſtus illic eſt. D. quid fecit tibi
Vir ſceleſtus? T. homini iſti talos ſuffringi uolo.
D. Quid eſt? qua de re nunc litigatis inter uos? T. eloquar.
G. Imo ego eloquar. T. ego opinor rem faceſſo. G. ſi quidem
Si pudicus, hinc faceſſas. D. Gripe animum aduorte, ac tace:
Vt iſtic prius dicat. audi, loquere tu. G. alienon' prius,
Quàm tuo dabis orationem? D. ut nequiter comprimitur?
T. Ita ut occœpi dicere, illum quem dudum lenonem
Extruſiſti, hic eius uidulum eccillum.
G. Non habeo. T. negas quod oculis uideo? G. at ne uideas uelim.
Habeo, non habeo. quid tu me curas, quid rerum geram?
T. Quo modo habeas, nihil id refert, iure ánne iniuria?
G. Ni iſtum cepi, nulla cauſſa eſt, quin me condones cruci.
Si in mari reti apprehendi, quì tuum potiu' ſt, quàm meum?
T. Verba dat. G. hoc modo res geſta eſt, ut ego dico. D. qd tu ais?
T. Quod primarius uir dicat, comprime hunc ſis, ſi tuus eſt.
G. Quid, tu mihi idem uis fieri, quod herus conſueuit tibi?
Si ille te comprimere ſolitus, hic noſter nos non ſolet.
D. Verbo illo modo ille uicit. quid nunc tu uis? dic mihi.

Equi-

T. Equidem neque ego partem poſco mihi iſtinc de iſtoc uidulo,
Neque meum hodie eſſe unquam dixi: ſed iſtic ineſt ciſtula
Huius mulieris, dudum fuiſſe quam dixi liberam.
D. Nempe tu hanc dicis, quam eſſe aiebas dudum popularẽ meam?
T. Admodum: & ea, quæ olim parua geſtauit crepundia,
Iſtic in ciſtula inſunt quæ iſtic ineſt in uidulo.
Hoc neque iſti uſus eſt: & illi miſeræ ſuppetias feret,
Si id dederit, ſuos quî parentes quærat. D. faciam ut det, tace.
G. Nihil hercle ego ſum iſti daturus. T. nihil peto, niſi ciſtulam,
Et crepundia. G. quid ſi autem ea ſunt aurea? T. quid iſtĩc tua?
Aurum auro expendetur, argentum argento exæquabimus.
G. Facias aurum ut uideam, pòſt ego faciam ut uideas ciſtulam.
D. Caue malo, ac tace: tu perge ut occœpiſti, dicere.
T. Vnum te obſecro, ut te huius commiſerescat mulieris,
Siquidem hic lenonis eius eſt uidulus, quem ſuſpicor:
Hic niſi de opinione, certum nihil dico. G. uidén'?
Sceleſtus is aucupatur. T. ſine me, ut occœpi, loqui.
Si ſceleſti illius eſt hic quoius dico uidulus,
Hæ poterunt nouiſſe, oſtendere his iube. G. ain' oſtendere?
D. Haud iniquum dicit Gripe, ut oſtendatur uidulus.
G. Imò hercle inſignite inique. D. quî dum? G. quia ſi oſtendero,
Continuo hunc nouiſſe dicent ſcilicet. T. ſcelerum caput,
Vt tute es, item cenſes omneis eſſe? periuri caput.
G. Omnia iſtæc ego facile patior, dum hic hinc à me ſentiat.
Atqui nunc abs te ſtat uerum hinc tibi teſtimonium.
Gripe aduorte animum, tu paucis expedi. G. quid poſtulas?
T. Dixi equidem: ſed ſi parum intellexti, dicam denuo.
Haſce ambas, ut dudum dixi, ita eſſe oportet liberas.
Hæc Athenis parua fuit uirgo ſurrepta. G. dic mihi
Quid ad uidulum pertinet, ſeruæ ſint iſtæ, an liberæ?
T. Omnia iterum uis memorari ſcelus, ut defiat dies.
D. Abſtine maledictis: & mihi, quod rogaui, dilue.
T. Ciſtellam iſtic ineſſe oportet caudeam in iſto uidulo,
Vbi ſunt ſigna, qui parentes noſcere hæc poſſit ſuos,

Quibus cum parua perijt Athenis, ſicut dixi prius.

G. Iuppiter te diq; omnes perdant, quid ais uenefice?
Quid? iſtæ mutæ ſunt, quæ pro ſe fari non queant?

T. Eo tacent, QVOD TACITA BONA'ſt mulier ſemper, quàm loquens.

G. Tu pol pro portione nec uir nec mulier mihi es,

T. Quî dum? G. quia enim neque loquens es, neque tacens unquàm bonus.

T. Quæſo en unquam hodie licebit mihi loqui? D. ſi præter hac
Tu uerbum faxis hodie, ego tibi comminuam caput.

T. Vt id occœpi dicere, eam ſenex te quæſo ciſtulam
Vt iubeas hunc reddere illis: ob eam ſi quid poſtulat,
Sibi mercedis dabitur, aliud quicquid ibi eſt, habeat ſibi.

G. Nunc demum iſtuc dicis, quoniam ius meum eſſe intelligis,
Dudum dimidiam petebas partem. T. imò etiam nunc peto.

G. Vidi petere miluom, etiam cum nihil auferret tamen.

D. Non ego te comprimere poſſum ſine malo. G. ſi iſtic tacet,
Ego tacebo: ſi iſte loquitur, ſine me mea pro parte loqui.

D. Cedò modo mihi uidulum iſtum Gripe. G. concredam tibi,
Ac ſi iſtorum ſit nihil, ut mihi reddas. D. reddetur. G. tene.
Audi nunc iam Palæſtra atque Ampeliſca hoc, quod loquor:
Eſt'ne hic uidulus ubi ciſtellam tuam ineſſe aiebas? P. is eſt.

G. Perij hercle ego miſer: prius quàm planè aſpexit, illico
Eum eſſe dixit. D. faciam ego hanc rem: nam tibi ciſtulam
Iſticcine eſſe oportet caudeam in iſto uidulo.

P. Vbi ego dicam quicquid inerit nominatim, tu mihi
Nullum oſtenderis: ſi falſa dicam, fruſtra dixero.
Vos tamen iſtæc, quicquid iſtic inerit, uobis habebitis.
Sed ſi erunt uera, tũ obſecro te ut mea mihi reddãtur. G. placet.
Ius oras merũ, meo quidẽ animo. D. ac meo hercle. G. dic mihi,
Quid ſi iſta aut ſuperſtitioſa, aut hariola eſt: atque omnia,
Quicquid inſit, uera dicet: anne habebit hariola?

D. Non feret, niſi uera dicet, nequicquam hariolabitur.

P. Solue uidulum ergo: ut quicquid ſit, uerũ quamprimum faciam.

D. Bene hoc habet. G. ſolutum eſt. ah peri, uideo ciſtellam. D. hæccine eſt?
P. Iſtæc eſt. ô mi parentes, hic uos concluſos gero:
Huc opesq́; ſpesq́; uoſtrum cognoſcendûm condidi.
G. Tum tibi hercle deos iratos eſſe oportet, quiſquis es,
Quæ parentis tam in anguſtum tuos locum compegeris.
D. Gripe accede huc, tua res agitur, tu puella iſtinc procul
Dicito quid inſit: & qua facie, memorato omnia.
Si hercle tantillum peccaſsis, quod poſtea poſtules
Te ad uerum conuorti, nugas mulier magnas egeris.
G. Ius bonum oras. T. ædepol haud te orat: nam tu iniurius.
D. Loquere nunc iam puella. Gripe animum aduorte: ac tace.
P. Sunt crepundia. D. ecca uideo. G. perij in primo prælio.
D. Mane, ne oſtenderis. qua facie ſunt? reſponde ordine.
P. Enſiculu'ſt aureolus primum litteratus. D. dice dum,
In eo enſiculo litterarum quid eſt? P. mei nomen patris.
Pòſt altrinſecus eſt ſecuricula ancipes, item aurea
Litterata: ibi matris nomen in ſecuricula'ſt. D. mane:
Dic, in enſiculo quod nomen eſt paternum? P. Dæmones.
D. Di immortales, ubi loci ſunt ſpes meæ? G. imò ædepol meæ.
D. Pergite obſecro continuo placide. G. aut ite in malam crucem.
D. Eloquere matris nomen hic in ſecuricula quid ſiet.
P. Dædalis. D. di me ſeruatum cupiunt. G. at me perditum.
D. Filiam meam eſſe hanc oportet Gripe. G. ſit per me quidem.
Quin te di omnes perdant, qui me hodie oculis uidiſti tuis,
Meq́; adeò ſceleſtum, qui non circumſpexi centies
Prius, ne quis inſpectaret, quàm rete extraxi ex aqua.
P. Pòſt eſt ſicula argenteola, & duæ connexæ maniculæ,
Et ſucula. G. quin tu i dierecta cum ſucula & porculis.
P. Et bulla aurea eſt, pater quam dedit mihi natali die.
D. Ea profectò eſt: contineri quin complectar, non queo.
Filia ſalue mea, ego is ſum, qui te produxi pater,
Ego ſum Dæmones, & mater tua ecca hic intus Dædalis.
P. Salue mi pater inſperate. D. ſalue: ut te amplector libens?

Volupe'ſt

T. Volupe'ſt, cum iſtuc pietate uoſtra uobis contigit.
D. Cape dum hunc, ſi potes, fer intrò uidulum, age Trachalio.
T. Ecce Gripi ſcelera, cum iſtæc res male euenit, tibi
Gripe gratulor. D. age, eamus mea gnata ad matrem tuam,
Quæ ex te poterit argumentis hanc rem magis exquirere,
Quæ te magis tractauit, magisq; ſigna pernouit tua.
T. Eamus intrò omnes, quando operam promiſcuam damus.
P. Sequere me Ampeliſca. A. cum te di amant, uoluptati eſt mihi.
G. Súmne ego ſceleſtus, qui illuc hodie excepi uidulum?
Aut cum excepi, qui non alicubi in ſolo abſtruſi loco?
Credebam pol turbulentam prædam euenturam mihi,
Quia illa mihi turbulenta tempeſtate euenerat.
Credo ædepol ineſſe auri & argenti largiter.
Quid meliu'ſt, quàm ut hinc intrò abeam, & me ſuſpendam clanculum:
Saltem tantiſper dum abſcedat hæc à me ægrimonia?

DAEMONES, ſenex.

PRoh di immortales, quis me eſt fortunatior,
Qui ex improuiſo filiam inueni meam?
Satin', ſi quoi homini di eſſe benefactum uolunt,
Aliquo illud pacto obtingit optatum pijs?
Ego quod hodie neque ſperaui, neque credidi,
Ex improuiſo filiam inueni tamen,
Et eam de genere ſummo adoleſcenti dabo
Ingenuo, Athenienſi, & cognato meo.
Ego eum adeò accerſi huc ad me quàmprimum uolo,
Iuſsiq; exire huc ſeruom eius, ut ad forum
Iret. nondum egreſſum eſſe eum id miror: tamen
Accedam opinor ad fores. quid conſpicor?
Vxor complexa collo retinet filiam.
Nimis inepta atque odioſa eius eſt amatio.

DAEMONES. TRACHALIO, ſeruos.

D. ALiquando oſculando melius eſt uxor pauſam fieri:
Atq; adorna, ut rem diuinã faciam, cũ intrò aduenero.

Lari-

Laribus familiaribus, quom auxerunt noſtram familiam.
Sunt domi agni, & porci ſacres. ſed quid iſtum remoramini
Mulieres Trachalionem? atque optume eccum exit foras.
T. Vbi ubi erit, tamen inueſtigabo, & mecum ad te adducam ſimul
Pleuſidippum. D. eloquere ut hæc res obtigit de filia:
Rogato, ut relinquat alias res, & huc ueniat. T. licet.
D. Dicito daturum meam illi filiam uxorem. T. licet.
D. Et patrem eius me nouiſſe, & mihi eſſe cognatum. T. licet.
D. Sed propera. T. licet. D. iã hic fac ſis, cœna ut curetur. T. licet.
D. Omnia ilicet. T. licet. ſed ſcin' quid eſt, quod te uolo?
Quod promiſiſti ut memineris hodie, ut ſim liber. D. licet.
T. Fac ut tu exores Pleuſidippum ut me emittat. D. licet.
T. Et tua filia facito oret, facile exorabit. D. licet.
T. Atque ut Ampeliſca mihi nubat, ubi ego ſim liber. D. licet.
T. Atque ut mihi gratum beneficium factis experiar. D. licet.
T. Omnia ilicet. D. licet. tibi rurſum refero gratiam.
Sed propera ire in urbem actutum, & recipe te huc rurſum. T. licet.
Iam hic ero: tu interibi adorna cæterum quod opu'ſt. D. licet.
T. Hercules iſtum infelicitet cum ſua licentia:
Ita meas repleuit aures, quicquid memorabam, licet.

GRIPVS, piſcator. DAEMONES, ſenex.

G. QVàm mox licet te compellare Dæmones?
D. Quid eſt negotij Gripe? G. de illo uidulo:
Si ſapias, ſapias, habeas quod di boni danunt.
D. Aequom uidetur tibi ut ego alienum quod eſt,
Meum eſſe dicam? G. quodne ego inueni in mari?
D. Tanto melius illi obtigit, qui perdidit.
Tuum eſſe nihilo magis oportet uidulum.
G. Iſto tu pauper es, quom nimis ſancte pius.
D. O Gripe Gripe, in ætate HOMINVM plurimæ
Fiunt tranſennæ, ubi decipiuntur dolis:
Atque ædepol in eas plerunque eſca imponitur:
Quam ſi quis auidus poſcit eſcam auariter,

Decipitur in tranſenna auaritia ſua.
Ilic qui conſulte, docte, atque aſtute cauet,
Diutine uti bene licet partum bene.

G. Mihi iſtæc uidetur præda prædatum irier,
Vt cum maiore dote abeat quàm aduenerit.

D. Egóne, ut quod ad me allatum eſſe alienum ſciam,
Cælem? minime iſtuc faciet noſter Dæmones.
SEMPER CAVERE, hoc dictum ſapientiſſumum eſt:
Ne conſcij ſim ipſi maleficij ſui.
Ego mihi quom luſi, nil moror ullum lucrum.

G. Spectaui ego pridem, Comicos ad iſtunc modum
Sapienter dicta dicere, atque ijs plaudier,
Quom illos ſapienteis mores monſtrabant populo:
Sed quom inde ſuam quiſque ibant diuorſi domum,
Nullus erat illo pacto ut illi iuſſerant.

D. Abi intrò, ne moleſtus, linguæ tempera:
Ego tibi daturus nihil ſum, ne tu fruſtra ſis.

G. At ego deos quæſo, ut quicquid in illo uidulo'ſt,
Si aurum, ſi argentum eſt, omne id ut fiat cinis.

D. Illuc eſt, quod nos nequam ſeruis utimur.
Nam illic cum ſeruo ſi quo congreſſus foret,
Et ipſum ſeſe & illum furti adſtringeret
Dum prædam habere ſe cenſeret interim:
Præda ipſus eſſet, præda prædam duceret.
Nunc hinc intrò ibo, & ſacruficabo: pòſt ibi
Videbo nobis cœnam continuò coqui.

ACTVS QVINTVS.

PLEVSIDIPPVS, adoleſcens. TRACHALIO, ſeruos.

P. ITerum mi iſtæc omnia itera mi anime, mi Trachalio,
Mi liberte, mi patrone, imò potius mi pater.
Repperit patrem Palæſtra ſuum, atq; matrem? T. repperit.

P. Et popularis eſt? T. opinor. P. & mi nuptura eſt? T. ſuſpicor.

P. Cen'en' hodie deſpondebit eam mihi, quæſo? T. cenſeo.

Quid

P. Quid patri etiam gratulabor, quom illam inuenit? T. cenſeo.
P. Quid matri eius? T. cenſeo. P. quid ergo cenſes? T. quod rogas,
Cenſeo. P. dic ergo quanti cenſes? T. egone? cenſeo.
P. Adſume quidem, ne cenſionem ſemper facias. T. cenſeo.
P. Quid ſi curram? T. cenſeo. P. an ſic potius placide? T. cenſeo.
P. Etiámne eam aduenięns ſalutem? T. cenſeo. P. etiam patrem?
T. Cenſeo. P. pòſt, eius matrem? T. cenſeo. P. quid poſtea,
Etiámne aduenięns complectar eius patrem? T. non cenſeo.
P. Quid matrē? T. non cenſeo. P. quid eampſe illā? T. non cenſeo.
P. Peri, delectum dimiſit, nunc non cenſet, quom uolo.
T. Sanus non es, ſequere. P. duc me mi patrone quò lubet.

LABRAX, leno.

QVis me eſt mortalium miſerior qui uiuat alter hodie,
Quem modò damnauit ad recuperatores Pleuſidippus?
Abiudicata à me modò eſt Palæſtra, perditus ſum.
Nam lenones ex gaudio credo eſſe procreatos:
Ita omnes mortales, ſiquid eſt mali lenoni, gaudent.
Nunc alteram illam, quæ mea eſt, uiſam huc in Veneris phanum,
Saltem ut eam abducam, de bonis quod reſtat reliquiarum.

GRIPVS, piſcator. LABRAX, leno.

G. NVnquam ædepol hodie ad ueſperum Gripum inſpicietis uiuom,
Niſi uidulus mihi reddatur. L. perij cum mentionem
Fieri audio uſquam uiduli, quaſi palo pectus tundat.
G. Iſtic ſceleſtus liber eſt, ego qui in mari prehendi
Rete, atque excepi uidulum, tradere negatis quicquam.
L. Proh di immortales ſuo mihi hic ſermone arrexit aureis.
G. Cubitum hercle longis litteris ſignabo uſquequaq; in urbe,
Si quis perdiderit uidulum cum auro atque argento multo,
Ad Gripum ut ueniat. non feretis iſtum, ut poſtulatis.
L. Meum hercle illic homo uidulum ſcit, quis habet, ut ego opinor.
Adeundus mihi illic eſt homo. di quæſo ſubuenite.
G. Quid me intrò reuocas? hoc uolo hic ante oſtium extergere.
Nam hoc quidem pol è rubigine, non è ferro fabrefactum eſt:

Ita

Ita quam magis extergeo, rutilum atq; tenuius fit.
Nam quidem hoc uenatu'ſt, uerùm ita in manibus conſeneſcit.
L. Adoleſcens ſalue. G. di te ament cum irraſo capite. L. quid fit?
G. Ferrũ extergetur. L. ut uales? G. quid tu, nũ medicus quæſo es?
L. Imò ædepol una litera plus ſum, quàm medicus. G. tum tu
Mendicus es? L. tetigiſti acu. G. uidetur digna forma.
Sed quid tibi eſt? L. hac proxuma nocte in mari elaui: nam
Confracta eſt nauis, perdidi quicquid erat miſer ibi omne.
G. Quid perdidiſti? L. uidulum cum auro atq; argento multo.
G. Ecquid meminiſti in uidulo quid infuerit? L. quid refert,
Qui perijt? G. nihil tamen ſi non hoc, aliud fabulemur.
Quid ſi ego ſciam qui inuenerit? uolo ex te ſcire ſigna.
L. Nummi octingenti auri in marſupio primum infuerunt:
Præterea centum mnæ Philippicæ in paſceolo ſeorſus.
G. Magna hercle præda'ſt, largiter mercedis indipiſcar.
Dij omnes homines reſpiciunt, bene ego hinc prædatus ibo:
Profecto eſt huius uidulus. perge alia tu expedire.
L. Talentum argenti commodum magnum inerat in crumena.
Præterea ſinus, epichiſis, cantharus, gaulus, cyathus. G. papæ, diuitias tu quidem habuiſti luculentas.
L. MISERVM ISTVC VERBVM & peſſumum eſt, habuiſſe, & nihil habere.
G. Quid dare uelis, qui iſtæc tibi inueſtiget, indicetq;?
Eloquere propere, celeriter. L. nummos trecentos. G. tricas.
L. Quadringentos. G. tramas putidas. L. quingentos. G. caſſam glandem.
L. Sexcentos. G. curculiunculos minutos fabulare.
L. Dabo ſeptingentos. G. os calet tibi, num git frigefactas?
G. Mille dabo nummos. G. ſomnias. L. nihil addo. G. abi abi igitur. L. audi.
G. Si hercle abiero hinc, hic non ero. L. uin' centum & mille? G. dormis.
L. Eloquere quantum poſtules. G. quo nihil inuitus addas,
Talentum magnum: non poteſt triobolum hinc abeſſe.

Proin'

Proin' tu uel dias uel neges. L. quid iſtuc eſt? neceſſum uideo:
Dabitur talentum. G. accede dũ huc, Venus hæc uolo arroget te.
L. Quod tibi lubet, id mihi impera. G. tange aram hanc Veneris. L. tango.
G. Per Venerem hanc iurandum eſt tibi. L. quid iurem tibi? G. quod iubeo.
L. Præi uerbis quid uis, id quod domi eſt, nunquàm ulli ſupplicabo.
G. Tene aram hanc. L. teneo. G. deiura te mihi argentũ daturum
Eodem ipſo die, uiduli ubi ſis potitus. L. fiat.
G. Venus Cyrenenſis dea te teſtor mihi:
Si uidulum illum, ego quem in naui perdidi,
Cum auro atque argento ſaluom inueſtigauero,
Isq; in poteſtatem meam peruenerit,
Tum ego huic Gripo, dico inquito, & me tangito.
L. Tum ego huic Gripo dico Venus, ut tu me audias,
Talentum argenti magnum continuo dabo.
G. Quòd ſi fraudaßis, dic ut te in quæſtu tuo
Venus eradicet, caput atque ætatem tuam
Tecum hoc habeto tamen ubi iuraueris.
L. Illa neget uorſum ſi quid peccaſſo. Venus, ueneror te, ut omnes miſeri lenones ſient.
G. Tamen fiet, & ſi tu fidem ſeruaueris.
Tu hic opperire, iam ego faxo exibit ſenex.
Eum tu continuo uidulum repoſcito.
L. Si maxume illum mihi reddiderit uidulum,
Non ego hodie illi debeo triobolum.

GRIPVS, piſcator. DAEMONES, ſenex. LABRAX, leno.

G. SEquere hâc. ubi iſtic leno? & heus tu, hem tibi hic habet uidulum.
D. Habeo, & fateor eſſe apud me: & ſi tuus eſt, habeas tibi
Omnia: ut quicquid infuere, ita ſalua ſiſtemur tibi.
Tene ſi tuu'ſt. L. ô di immortales meu'ſt. ſalue uidule.
D. Tuúsne eſt? L. rogitas? ſi quidem hercle Iouis fuit, meu'ſt.

D. Omnia inſunt ſalua, una iſtinc ciſtellá exceptá eſt modò
Cum crepundijs, quibuſcum hodie filiam inueni meam.
L. Quam? D. quæ fuit Palæſtra, ea filia inuenta'ſt mea.
L. Bene me hercle factum eſt: quom iſtæc res tibi ex ſententia
Pulchrè euenit, gaudeo. D. iſtuc facile non credo tibi.
L. Imò hercle ut ſcias gaudere me, mihi triobolum
Ob eam ne duis condono te. D. benigne ædepol facis.
L. Imò tu quidẽ hercle uerò. G. heus tu iam habes uidulũ? L. habeo.
G. Propera. L. quid properabo? G. reddere argentum mihi. L. neq;
Aedepol tibi do, neque quicquam debeo. G. quæ hæc factio eſt?
Non debes? L. non hercle uerò. G. num tu iuratus mihi es?
L. Iuratus ſum, & nunc iurabo, ſi quid uoluptati eſt mihi.
Iuſiurandum ſeruandæ rei, non perdundæ conditum eſt.
G. Cedo ſis mihi talentum magnum argenti periuriſſume.
D. Gripe quod tu iſtum talentum poſcis? G. iuratu'ſt dare.
L. Libet iurare, tune pontifex periurio es?
D. Qua pro re argentum promiſit hic tibi? G. ſi iſtum uidulum
Redegiſſem in poteſtatem eius, iuratus dare
Mihi talentum magnum argenti. L. cedo qui cum habeam iudicem,
Ni dolo malo inſtipulatus ſis, niue etiam dum ſiem
Quinq; & uiginti natus annos. G. habe cũ hoc. D. alio'ſt opus
Iam ab iſtoc auferre, haud ſciam ſi iſtunc condemnauero.
Promiſiſti huic argentum? L. fateor. D. quod ſeruo meo
Promiſſum eſt, meum eſſe oportet. ne ut leno poſtules
Te hic fide lenonia uti: non potes, ſeruanda eſt fides.
G. Iam te ratus nactum hominem, quem defraudandum dares.
Dandum huic argentum eſt probum, id ego continuo huic dabo, adeò me ut hic
Emittat manu. D. quandò ergo tibi benignus fui, atq; hæc tibi
Opera ſunt mea ſeruata. G. imò hercle mea, ne dicas tua.
D. Si ſapies, tacebis, tum te mihi benigne itidem addecet
Bene merenti beneferre gratiam. L. nempe pro tuo
Iure oras. D. mirum quin tuum ius meo periclo expetam.

Saluos

G. Saluos ſum, leno labaſcit, libertas protenditur.
D. Vidulum iſtic ille inuenit, illud mancipium meum eſt:
Ego tibi hunc porrò ſeruaui cum magna pecunia.
L. Gratiam habeo, & de talento nulla cauſſa eſt, quin feras
Quod iſti ſum iuratus. G. heus tu mihi ergo dato, ſi ſapis.
D. Tacén' an non? G. tun' meam rem ſimulas agere, tibi mutuas?
Non hercle iſtoc me interuortes. ſi aliam prædam prendero.
D. Vapulabis ſi uerbum addes iſtuc unum. G. uel hercle enica:
Non tacebo unquam alio pacto, niſi talento comprimor.
L. Tibi operam hic quidem dat. G. tacebo. D. concede hoc tu leno. L. licet.
G. Palàm age, nolo murmurillum neque ſuſurrum fieri mihi.
D. Dic mihi, quanti illam emiſti tuam alteram mulierculam
Ampeliſcam? L. mille nummos denumeraui. D. uin' tibi
Conditionem luculentam ferre me? L. ſanè uolo.
D. Diuiduum talentum faciam. L. bene facias. D. pro altera, libera
Vt ſit, dimidium tibi ſume, dimidium huic cedò. L. maxume.
D. Pro illo dimidio ego altero Gripum emittam manu.
Quem propter tu uidulum, & ego natam inueni. L. benefacis,
Gratiam habeo. G. quàm mox mihi argentum ergo redditur?
D. Res ſoluta eſt Gripe, ego habeo. G. hercle, at ego me mauolo.
D. Nihil hercle hic tibi eſt, ne tu ſperes, iuſiurandi uolo
Gratiam facias. G. perij hercle, niſi me ſuſpendo: occidi.
Nunquam hercle iterum defraudabis me quidem poſt hunc diem.
D. Hic hodie cœnato leno. L. fiet, conditio placet.
D. Sequimini intrò. ſpectatores uos quoque ad cœnam uocem,
Ni daturus nihil ſum, neque ſit quicquam pollucti domi:
Néue adeò uocatos credam uos eſſe ad cœnam foras.
Verùm ſi uoletis plauſum fabulæ huic clarum dare,
Comeſſatum omnes uenitote ad me ad annos ſedecim.
Vos hic hodie cœnatote ambo. L. fiat. D. plauſum date.

ANNOTATIONES

IN RVDENTEM.

IN PRAEFATIONEM.

EXſcripta ad forum.) Reſpicit priſcum accuſatorum morem, qui nomina reorum tabulis ſignatis deferebant ad iudices.

Diphilus.) Habebatur & hic Demophilus, non aliter ac in Aſinaria, quamobrem utrunque locum certiſſimis coniecturis ducti caſtigauimus.

SCENA I.

Alcumenæ Euripidi.) Lego ego Alcumene Euripidi, ut ſit prius nominatiui caſus, poſterius genitiuus uetuſtus. Alcumenam ſcripſit Euripides tragœdiam, in qua turbas & tumultum ſeruorum cum hero Amphitruone inſultãtium ædibus, in quibus cum Ioue & Mercurio Alcumene inerat exhibet, quos cum à foribus pellerent familiares, nec arma ſufficerent, confregerunt de tecto tegulas, ut in Amphitruone Plautus quoq; de Mercurio fingit.

SCENA II.

Aulam extarem.) In qua exta coquuntur autore Priſ.

SCENA III.

Candidatas.) Hoc eſt puras, candidis ueſtibus ornatas. Nam ut patet ex Cicerone, qui uota ſoluebant & adoraturi phana introibant, candidis ueſtibus utebantur. Quia ut inquit ille:

Caſta placent ſuperis pura cum ueſte uenite.

SCENA VI.

Hi ſchœni.) χοῖνος Græcis, & iuncum & reſtem ex iunco ſignificat, ex iuncis autem labyrinthos & naſſas piſcatores texere ſolent.

Lopades.) De genere concharum, quæ uulgo appellantur rotulæ.

Balanos.) Athenæus inter genera piſcium refert, ex Toxande.

Plaguſias.) De genere pectinum, apud Oppiani interpretem.

Striatas.) Piſces non ſunt, ſed conchulę exiguę, longis & candidis maculis diſtinctæ.

Capſimus.) Vetuſte pro cepimus.

SCE-

SCENA VII. & VIII.

Hamiotæ.) Noua fictione Græcam fecit formationem, à Latina dictione hamus.

Calator Pleuſidippi.) Miniſter, ut calones exercitui quę neceſſaria ſunt ſubminiſtrant.

Dicta mulſa.) Suauia, prouerbialis metaphora.

Quamuis faſtidioſus.) Quamuis pro perquàm ualde. Aedilis autē improbas merces & putidas foro prohibebat.

Capillum promittam.) Hariolι ſiquidem horridi impexi'q; & inornati incedebant, quo omnibus maiori eſſent miraculo.

SCENA IX.

Baſilicus.) Regius, ſuperbus, elatus, animo contemnente inferiores. Sumptum à regum ingenijs.

Manta.) Quod olim etiam frequentatiuum à manco pro manſita.

SCENA X.

Belliata.) Vulgata habent exēplaria pro bellula. Sunt qui palliata quoq; legūt, priorem magis probo lectionem.

Hæc literata eſt.) Id eſt pictura clamat cuius ſit, nempe quod non priuati hominis, ſed deo ſit conſecrata. Solent enim ut refert ex Athenęo Hermolaus in peluibus & urnis, alijs'q; uaſis omnibus, quibus in Deorum ſacrificijs utebantur inſcribi Deorum Dearum'q; imagines.

Tolloni.) Tollonem uocat Plautus eum qui aquam haurit, Græcis dicitur ἀντλήρ.

Scirpus.) Iunci genus eſt præaridum lentum'q;, & ob id ad funes torquendos aptum.

Thermopolium.) Hic non ſolum eum locum ſignificat in quo uina calida bibuntur, ſed ubi calefacientes ſeſe & lauantes potabant.

Fortuna Anthracina.) Carbonaria. Alludit autem ad templum τύχης ἀνθρακίνης quod in Bœotia extructum fuit à Dexippo tyranno, ita dictum quod fundamenta carbonibus ſtabilita erant.

Pro māduca locem.) Feſtus Pompeius Mandux uidetur declinare. Sic & Eraſmus in adag. explicans hunc locum.

Sacciperium.) Extat dictio in collectancis Suidæ, interpretatur autem hoc marſypium.

SCENA XII.

Vel peri algu.) Vetuſtè pro algore. Veteres enim declinabant algus huius algus, Priſciano teſte.

Quaſi uinis Græcis.) Credebantur uina alienigena patriis meliora, propterea quod mare eſſent experta. Horatius: Chium maris expers.

SCENA XIII.

Hyrundineum.) Ita quandoq; legebatur. Priſcianus docet denominationem ueram eſſe hyrundininum.

SCENA XIIII.

Scirpe & Laſerpitium.) Scirpe nardum quoſdam interpretatos uideo, aliis uiſum eſt eſſe Silphii hoc eſt Laſeris cauliculus. Solinus herbam odoriferam eſſe dicit. Creſcit autem ſcirpe & Laſerpitium tantummodo Cyrenis. unde à Catullo Cyrenæ dicuntur laſerpiciferæ.

Exagogam.) Merx eſt quę ex loco, in quo creſcit ab aduentitiis mercatoribus emitur & educitur.

SCENA XV.

Harum conchas.) Quoniam has legerant in littore ut donarent Veneri, cum alterius rei nulla ſuppeteret copia. Venerem ait Plautus è concha natam, nouam fingens fabulam, cum dicatur concha nauigaſſe.

Quaſi myrtea Iuncis.) Faſciculi myrtorum iunco colligati Veneri offerebantur. eſt enim arbor hæc Veneri dicata, huc reſpicit poëta.

Offerrumentas.) Offerrumentę nummi ſunt fictitii, qui in loco proborum, quiq; dedicati diuis erant. aris affigebantur, ita ab offerendo appellati.

Ampullarius.) Ampullarii qui coria ungebant coloresq; uarios illis inducebant.

Is Veneris aduerſarius eſt.) Propter adulterum Martem. Nam tum Vulcanus uxori dicitur repudium miſiſſe.

Ficis uictitamus aridis.) Aliunde deportatis, nam earum arborum nulla eſt hic copia.

Siſtere.) Ad iudicem adducere.

SCENA XVIII.

Conuerret cum puluiſculo.) Explicatur in Chiliadibus.

Nam in columbari.) Priſcianus interpretatur genus uinculi, quod collo aptatur, ſimilitudine ducta à columbis, quorum colla uidetur circuire ueluti coloratus circulus.

SCENA XX.

Imitabor Stratonicum.) Stratonicus quęſtor Philippi regis, & deinde Alexandri Magni illius filii, homo prędiues, quamobrem Græcis in prouerbium uenit, ut Latinis

Craſſus, meminit Diodorus in uita Alexandri, & Aelianus in uaria hiſtoria.

Sed hic rex cum aceto prãſurus eſt.) Serui aquam cũ aceto diluebant, quo ſiti ſedandę eſſet paratior. Frugaliter aũt prandebant, nimirum appoſito cum ſalillo pane.

SCENA XXI.

Philoſophe.) Philoſophus hic appellatur qui ſententias loquitur. & uerba ſeria facit.

Salue Thales.) Thaletem iocoſe etiã alibi appellauit hominem circumſpecte & callide & captioſe uerbis utentem, alibi etiam ſtultum Thaletem uocat.

Elleboroſus.) Non plenus elleboro, ſed multo helleboro indigens. Indigent autem helleboro, qui atrebilarĳs malis detinentur. de Cerito alibi dictum eſt.

Vt piſcem ſoleo polypũ.) Hic enim ſi manibus detineatur piſcatorem flagellis ſuis affligere ſolet, quamobrem abĳcitur propere, ut epigrammate quodam Græcorum perele ganti ſcriptum eſt.

Si tu proreta.) Vide Chiliades Eraſmicas.

Nunquã hercule hinc hodie ramẽta fies.) Vide eaſdem.

SCENA XXII.

Securicula ancipes.) Ita Priſcia. legit κατ' ἐτυμολογίαν.

Sicula.) Diminutiuum à ſica.

SCENA XXIIII.

Sũt domi agni & porci ſacres.) Qui ſint ſacres porci docet M. Varro de re ruſtica lib. 2. cap. 4. ubi Plauti locum in Menæchmis ſimul explicat.

SCENA XXVII.

Quem modo damnauit ad recuperatores.) Recuperatores erãt, qui de rebus perditis iudicabant & quæ per fraudem ablata ab aliquo fuerant curabant domino reſtituenda.

SCENA XXVIII.

Cubitum.) Alludit ad hiſtrionum conſuetudinem, qui nomina perſonarum quas agebant, grãdiuſculis literis ſignatas de brachio oſtentabant.

Cum irraſo capite.) Nã ut in Ampitruone diximus qui è naufragio ſeruati erant ſolebant caput radere, in ſignum liberationis.

In paſccolo ſcorſus.) Paſceolus genus eſt marſypĳ

è corio confecti. Paſceum enim ueteres pellem ouinam appellabant.

Præterea ſinus, epichyſis, cantharus, gaulus.) Epichyſis extat apud Athenæum, uas erat anguſto ore, è quo in crateras uinum fundere ſolebant. Gaulus autem genus cadi eſt, ſunt qui ollæ ſpeciem aſſerant, alij paſtoralia quædam uaſa, in quibus lac conſeruatur, quo modo à Callimacho uſurpatur. Græcorum lexica exponunt nauigium Phœnicium: unde gaulicæ pecuniæ dictæ, quæ inde colliguntur. Heſychius præterea docet genus eſſe uaſis, quo ſentina è naui exhauritur.

Tramas putridas.) Filamenta à trahendo. dicitur prouerbialiter de rebus nullius precij, ut & quædam alia, quæ præceſſerunt & ſubſequuntur.

Tene aram hanc.) Solent enim iurantes aram tenere, quo maior eſſet iuriſiurandi religio. Cicero pro L. Flacco. Ergo is qui ſi aram tenens iuraret, nemo crederet, per epiſtolã quod uolet iniuratus probabit? Et pro Cornelio Balbo, ait teſtes apud Græcos ad aras iurare ſolere.

M. ACTII PLAVTI

STICHVS.

DRAMATIS PERSONAE.

PANAEGYRIS, *mulier.*
PINACIVM, *mulier.*
ANTIPHO, *ſenex.*
GELASIMVS, *paraſitus.*
CROCOTIVM, *ancilla.*
DINACIVM, *puer.*
EPIGNOMVS, *adoleſcens.*
STICHVS, *ſeruos.*
PAMPHILIPPVS, *adoleſ.*
SAGARINVS, *ſeruos.*
STEPHANIVM, *ancilla.*

ARGVMENTVM.

SEnex caſtigat filias, quòd hæ uiros
Tam perſeuerent peregrinanteis pauperes
Ita ſuſtinere fratres, neque relinquere.
Contraq; uerbis delenitur commodis,

Habere

Habere ſineret, quos ſemel nactæ forent.
Viri reueniunt opibus aucti trans mare:
Suam quiſq; retinet. ac STICHO *ludus datur.*

ALIVD ARGVMENTVM.

SEnex Antipho filias duas nuptũ dederat Epignomo & Pamphilippo fratribus: qui dum mercatum abeunt, domo triennium abſunt. Pater iubet non ferre filias moram diutius. filiæ, ut moratæ cenſent expectandos uiros, adueniunt tandem fratres locupletes domum. qui cum rem bene geſſiſſent, in ſoceri reueniunt gratiam. Stichus Epignomi ſeruus itidem reueniens domum cum Stephanio ſua, atque Sagarini conſerui amaſia perpetuum in amoribus ac epulis concelebrant diem.

ACTVS PRIMVS.

PANAEGYRIS, & PINACIVM, *ſorores.*

PA. *CRedo ego miſerã fuiſſe Penelopam ſoror ſuo*
Ex ãio, quæ tãdiu uidua uiro ſuo caruit.
Nam nos eius animum de noſtris factis noſcimus,
Quarum uiri hinc abſunt, quorumq; abſentum negotijs,
Vt æquom eſt ſolicitæ noctes & dies ſoror ſumus
Semper. PI. *noſtrũ officiũ nos facere æquom eſt: neq; id magis*
Facimus, quàm nos monet pietas. ſed hic ſoror mea
Adſis dum: multa uolo tecum loqui de re uiri.
PA. *Salúæne amabo?* PI. *ſpero quidẽ, & uolo. ſed hoc ſoror, crucior,*
Patrem tuum meumq; adeò, unice qui unus ciuibus
Ex omnibus probus perhibetur, cum nunc improbi
Viri officio uti, uiris qui tantas noſtris abſentibus
Facit iniurias immerito, noſq; ab his abducere uolt.
Hæ res uitæ me ſoror ſaturant, hæ mihi diuidiæ & ſenio ſunt.
PA. *Neu lachryma ſoror, ne tuo id animo fac, quod tibi tuus pater*
Facere minatur: ſpes eſt eum melius facturum. ego
Noui illum, ioculo iſtæc dicit: neq; ille ſibi mereat

Perſarum montes, qui eſſe aurei perhibentur, ut iſtuc faciat
Quod tu metuis. tamen ſi faciat, minime iraſci decet:
Neq; id immerito eueniet. nam uiri noſtri domo ut abierunt,
Hic tertius annus. PI. ita ut memoras. PA. cũ ipſi interea uiuãt,
Valeant, ubi ſint, quid agant, neq; participãt nos, neq; redeũt.

PI. An id doles ſoror, quia illi ſuum officium non colunt,
Quom tuum facis? PA. ita pol. PI. taceſis, caueſis audiam
Ego iſtuc, caue poſthac ex te ſoror. PA. nam quid iã? PI. quia
Pol meo animo, OMNEIS SAPIENTEIS ſuum officium æquom eſt colere,
Et facere, quãobrẽ ego te hoc ſoror, tametſi es maior, moneo,
Vt tuum memineris officium, etſi illi ſint improbi,
Atq; aliter nos faciant, quàm uxores ſuas æquom eſt uiros,
Tamen pol nequid magis ſimus omnibus obnixæ opibus decet
Noſtrum officium nos meminiſſe. PA. placet, taceo. PI. at memineris
Facito. PA. nolo ego ſoror me credi eſſe immemorem uiri:
Neq; ille eos honores mihi quos habuit, perdidit.
Nam pol mihi grata, acceptáq; huius eſt benignitas.
Et me quidem huius conditionis nunc non peryt: &
Neque eſt cur ſtudeam nunc has nuptias mutarier:
Verùm poſtremo hoc in patris poteſtate eſt ſitum:
Faciundum id nobis quod parentes imperant. PI. ſcio,
Atque in cogitando mœrore angor: nam iam propémodum
Oſtendit ſuam ſententiam. PA. igitur quæramus quid opu'ſt.

ANTIPHO. PANAEGYRIS. PINACIVM, filiæ.

A. QVI MANET, ut moneatur ſemper ſeruos homo officium ſuum,
Nec uolũtate id facere meminit: ſeruos is habitu haud probus eſt.
Vos meminiſtis quot calendis petere dimenſum cibum:
Quì minus meminiſtis, quod opus ſit facto, facere in ædibus?
Iam quidem in ſuo quicq; loco ni erit mihi ſitum ſuppellectilis,
Quom ego reuortar, uos monumentis commonefaciã bubulis.

Non

Non homines habitare mecum mihi uidentur, ſed ſues.
Facite, ſultis, ut nitidæ ædes meæ ſint, quom redeam domum.
Iam ego adero, ad meam maiorem filiam inuiſo domum:
Si quis me quæret, inde uocatote, aut iam egomet hic ero.
PI. Quid agimus ſoror, ſi offirmabit pater aduorſũ nos? PA. pati
Nos oportet, quod ille faciat, quoius poteſtas plus poteſt.
A. Si manere hic ſeſe malint, potius quàm alio nubere,
Nõ faciant, quid mihi opu' ſt decurſo ætatis ſpatio, cum eis
Gerere bellũ, quom nihil, quamobrẽ faciã meruiſſe arbitror?
Minime uolo turbas. ſed hoc mihi optumum factu arbitror:
Principium ego quo pacto cum illis occipiam, id ratiocinor.
Vtrum ego perplexim laceſſam oratione ad hunc modum,
Quaſi nunquam quicq̃ in eas ſimulem, quaſi nihil audiuerim
Eas in ſe meruiſſe: an potius temptem leniter,
An minaciter? ſcio liteis fore, ego meas noui optume:
Exorando, aduorſando, ſumendam operam cenſeo.
PI. Gratiam ſi à patre petimus, ſpero ab eo impetraſſere.
Aduorſari ſine dedecore & ſcelere ſummo haud poſſumus:
Neque ego factura ſum, neq; tu ut facias, conſilium dabo.
Verum ut exoremus, noui ego noſtros, exorabili' ſt.
A. Sic faciã, aſſimulabo quaſi aliquam culpam in ſeſe admiſerint.
Perplexabiliter earum hodie perpauefaciam pectora.
Pòſt id agam igitur deinde, ut animus erit meus, pacem faciã.
Multa ſcio facienda uerba. ibo intrò. ſed aperta eſt foris.
PI. Certo enim mihi paternæ uocis ſonitus aureis accidit.
PA. Is eccaſtor eſt, ferre aduorſum hominem occupemus oſculum.
PI. Salue mi pater. A. & uos ambæ, illico agite, abſcedite.
PI. Oſculum. At. ſat eſt mihi oſculi uoſtri. PI. quî ámabo pater?
A. Quia ita meæ animæ ſalſuræ uenit. PI. aſſide hic pater.
A. Non ſedeo, iſtic uos ſedete, ego ſedero in ſubſellio.
PI. Mane puluinum. A. bene procuras, ſatis ſic fultum eſt mihi.
PI. Sine pater. A. quid opu' ſt? PI. opu' ſt. A. morem tibi geram, atque hoc ſatis eſt.
PI. NVNQVAM ENIM NIMIS curare poſſunt parentẽ ſuũ filiæ:

Quom

Mihi authores ita ſunt amici, ut uos abducam hinc domum.
PA. At enim nos, quarum res agitur, aliter authores ſumus.
Nam aut olim, niſi tibi placebant, non datas oportuit:
Aut nunc non æquom eſt abduci pater, illiſce abſentibus.
A. Vóſne ego patiar cum mendicis nuptas me uiuo uiris?
PI. Placet ille meus mihi mendicus. REX SVVS reginæ placet.
Idem animus in paupertate eſt, qui olim in diuitijs fuit.
A. Vóſne latrones & mendicos homines magnipenditis?
PA. Non me tu argento dediſti opinor nuptum, ſed uiro.
A. Quid illos expectatis qui abhinc iam abierunt triennium?
Quin uos capitis conditionem ex peſſuma primariam?
PA. STVLTITIA eſt pater uenatum ducere inuitas canes.
HOSTIS EST uxor pater, inuita quæ ad uirũ nuptũ datur.
A. Certúmne eſt, neutram uoſtrarum perſequi imperium patris?
PI. Perſequimur: nam quò dediſti nuptum, abire nolumus.
A. Bene ualete. ibo: atque amicis uoſtra conſilia eloquar.
PA. Probiores credo arbitrabunt, ſi probis narraueris.
A. Curate igitur familiarem rem, ut poteſtis optume.
PA. Nunc placet, quom recte monſtras, nunc tibi auſcultabimus.
Nunc ſoror abeamus intrò. PI. imò interuiſam prius domum.
PA. Si à uiro tibi forte ueniet nuntius, facito ut ſciam.
Neque ego te cælabo, neque tu me cælaſsis quod ſcies.
Ehò Crocotium, paraſitum Gelaſimum huc arceſsito,
Tecum adduce: nam illum ecaſtor mittere ad portum uolo,
Si quæ forte ex Aſia nauis heri, aut hodie uenerit:
Nam dies totos apud portum ſeruos unus aſsidet.
Sed tamen uolo interuiſi. propera actûtum, atq; huc redi.

ACTVS SECVNDVS.

GELASIMVS, paraſitus. CROCOTIVM, ancilla.

FAmem fuiſſe ſuſpicor matrem mihi:
Nam poſtquam natus ſum, ſatur nunquam fui.
Sed quam ego matri meæ refero inuitiſsumus,
Ea mihi nunquam retulit mater gratiam.

Nam

Nam me illa in aluo menſes geſtauit decem.
At ego illam in aluo geſto plus annos decem.
Atque illa puerum me geſtauit paruolom,
Quo minus laboris illam cepiſſe exiſtumo.
At ego non pauxillulam in utero geſto famem,
Verùm hercle multo maxumam, & grauiſſumam.
Vteri dolores mihi oboriuntur quotidie:
Sed matrem parere nequeo, neſcio quomodo.
Audiui ſæpe hoc uulgo à multis dicier,
Solere elephantum grauidam perpetuos decem
Eſſe annos: eius ex ſemine hæc certo eſt fames:
Nam iam complures annos utero hæret meo.
Nunc ſi ridiculum hic hominem quæret quiſpiam,
Venalis ego ſum cum ornamentis, omnibus
Inanimentis ſupplementum quærito.
Gelaſimo nomen mihi indidit paruo pater:
Propter paupertatem hoc adeò nomen repperi:
Quia iam inde à pauſillo puero ridiculus fui,
Eò quia paupertas fecit ridiculus forem.
NAM ILLA OMNES artes perdocet, ubi quem attigit.
Per annonam caram dixit me natum pater,
Propterea credo nunc hic eſurio acrius.
Sed generi noſtro hæc reddita eſt benignitas.
Nulli negare ſoleo, ſiquis me eſum uocat.
Oratio una interijt hominum peſſume,
Atq; optuma hercle meo animo & ſcitiſſuma,
Qua ante utebamur. ueni illò ad cœnam, ſic face:
Promitte uerò: ne grauare, eſt commodum:
Volo inquam fieri: non amittam, quin eas.
Nunc repperer unt ei uerbo uicarium,
Nihili quidem hercle uerbum, ac uiliſſumum:
Vocem te ad cœnam, niſi egomet cœnem foris.
*̶ Ni Ei hercle ego uerbo lumbos defractos uelim,
me. Ni * ue replcuerit, ſi cœnaſſit domo.

Hæ

Hæc uerba ſubigunt nunc me ut mores barbaros
Diſcam,atq; ut faciam præconis compendium.
Itaq; auctionem prædicem ipſe,ut ueniam.
C. Hic ille eſt paraſitus,quem accerſitum miſſa ſum:
Quæ loquitur auſcultabo,prius quàm colloquar.
G. Sed curioſi ſunt hic quamplures mali,
ALIENAS RES QVI curant ſtudio maxumo,
Quibus ipſis nulla eſt res,quam procurent,ſua.
Ei quando quem auctionem facturum ſciunt,
Adeunt:perquirunt quicquid ſiet cauſſæ illico,
Alienum æs cogat,an pararit prandium.
Vxorin' ſit reddenda dos deuortio.
Eos omneis tametſi hercle haud indignos iudico,
Qui multum miſeri ſint,laborent,nihil moror:
Dicam auctionis cauſſam,ut animo gaudeant.
NAM CVRIOSVS NEMO EST, quin ſit maleuolus.
Ipſe egomet quamobrem non auctionem prædicem?
Damna euenerunt maxuma miſero mihi,
Ita me mancupia miſerum affecerunt male.
Potationes plurimæ demortuæ.
Quot adeò cœnæ,quas defleui,mortuæ?
Quot potiones mulſi?quot autem prandia,
Quæ inter continuum perdidi triennium?
Præ mœrore adeò miſer,atq; ægritudine
Conſenui,penè ſum fame ipſa emortuus.
RIDICVLVS æque nullus eſt,quàm dum eſurit.
Nunc auctionem facere,decretum eſt mihi.
Foras neceſſum eſt quicquid habeo uendere.
Agite ſi uoltis,præda erit præſentium.
Iocos ridiculos uendo,agite licemini,
Qui cœna poſcit?ecqui poſcit prandio?
Hercules te amabit,prandio?cœna tibi?
Ehem adnuiſtin'? nemo meliores dabit.
Nullos meliores eſſe paraſitos ſinam,

Vel unctiones Græcas, ſudatorias,
Vel alias malas, malacas, ampullarias
Cauillationes, aſſentatiunculas,
Ac periuratiunculas paraſiticas,
Rubiginoſam ſtrigilem, ampullamq́; rubidam,
Paraſitum inanem, quò recondas reliquias.
Hæc ueniſſe mihi iam eſt opus, quantum poteſt,
Vt decumam partem ex uoto Herculi polluceam.

C. Ecaſtor auctionem facit haud magni pretij:
Adhæſit homini ad infimum uentrem fames.
Adibo hominem. G quis hæc eſt, quæ aduorſum it mihi?
Epignomi ancilla hæc quidem eſt Crocotium.

C. Gelaſime ſalue. G. non eſt id nomen mihi.

C. Certo mecaſtor id fuit nomen tibi.

G. Fuit, deſertum, uerùm id uſu perdidi.
Nunc Microtrogros nomine ex uero uocor.

C. Ecaſtor riſi te hodie multum. G. quando, aut quo in loco?

C. Hic cum auctionem prædicabas. G. peſſuma,
Ehòn' audiuiſti? C. te quidem digniſſumam.

G. Quo nunc is? C. ad te. G. quid uenis? C. Panægyris
Mea hera rogare iuſsit te opere maxumo
Vt mecum ſimitu ires ad ſeſe nunc domum.

* G. Ego illò me hercule uero eo, quantum poteſt:
quod Iámne exta cocta ſunt, * quotannis fecerat?
tar- C. Illa quidem nullum ſacruficabit. G. quomodo?
mis. Quid igitur me uolt? C. tritici modios te decem
Rogare opinor uolt. G. méne, ut ab ſeſe petam?

C. Imò hercle ut abs te mutuum nobis dares.

G. Negato eſſe quod dem, nec mihi, nec mutuum,
Neq; aliud quicquam, niſi hoc quod habeo pallium,
Præter unam linguam quoque etiam uenditariam.

C. Heu nulla tibi lingua eſt, quæ quidem dicat, dabo?

G. Veterem reliqui: eccam illam: quæ dicat, cedò.

C. Malum tibi di dent. G. hæc eadem dicit tibi.

Quid

C. Quid nunc? iturus, an non? G. abi ſanè domum.
Iam illò uenturum dicito. propera, atque abi.
Demiror quid illæc me ad ſe accerſi iuſſerit,
Quæ nunquam iuſſit me ad ſe accerſi ante hunc diem,
Poſtquam uir abijt eius. miror quid ſiet.
Niſi ut periculum fiat, uiſam quid uelit.
Sed eccum Dinacium eius puerum. at hoc uide
Satin' ut facete, atq; ex pictura hic aſtitit.
Næ iſte ædepol uinum poculo pauxillulo
Sæpe exantlauit ſubmetrum ſcitiſſume.

DINACIVM, puer. GELASIMVS, paraſitus.

D. MErcurius, Iouis qui nuntius perhibetur, ſuo nunq̃ æque Patri nuntium lepidum attulit, quàm ego nunc meæ heræ nuntiabo.
Itaq; onuſtum pectus porto lætitia lubentiáq;:
Neq; lubet niſi glorioſe quicquam proloqui. profecto
Amœnitates omnium Venerum & uenuſtatum affero:
Nimisq; ſuperat mihi atq; abundat pectus meum lætitia.
Propterea Dinacium hortare pedes, honeſta dicta factis.
Nunc poteſtas tibi adipiſcendi eſt gloriã, laudem, decus. egenti
Heræ ſubueni, benefacta maiorum tuorum exauge,
Quæ miſera expectatione Epignomi uiri eſt aduentu.
Proinde, ut decet, amat uirũ ſuũ cupide. nunc Dinaciũ expedi:
Age, ut placet: curre, ut lubet: caue quenquam floccifacias,
Cubitis depulſa de uia, tranquillam uiam concinna.
Si rex obſtabit, obuiam regem peruortito ipſum.
G. Quidnam dicam, Dinacium laſciuibundum tam lubenter
Currere? harundinem fert, ſportulamq́;, & hamum piſcarium.
D. Sed tandem opinor, æquius eſt heram mihi ſupplicem eſſe,
Atque oratores mittere ad me, donáq; auro, & quadrigas,
Qui uehar: nam pedibus ire non queo. ergo num reuortar?
Ad me iri prius, & ſupplicari egomet mihi, cenſeo æquom.
An uerò nugas cenſeas, nihil eſſe, quod ego ſcio nunc?
Tantum à portu apporto bonum, tam gaudium affero grãde:

Vix ipſa domina, hoc niſi ſciat, exoptare à dis auſit ipſis.
Nunc ultrò hoc deportem? haud placet, neque id uerò officium ego arbitror.
Hic hoc uidetur mihi magis meo huic nuntio conuenire,
Aduorſum ut ueniat, obſecret, ſe ut nuntio hoc impartiam.
SECVNDAS FORTVNAS decent ſuperbiæ.
Sed tandem cùm recogito, quî potuit ſcire, hæc ſcire me:
Herā ex mœrore eximam: benefacta maiorū meûm exaugeā.
Atq; illā augeā ex inſperato opportuno modo, contundā facta
Thalthybij, contemnamq; omneis nuntios, ſimulq; ad curſuram meditabor
Me ad ludos Olympiæ. ſed ſpatiū hoc óccidit, breue'ſt curri-
Quàm me pœnitet. quid hoc? occluſam ianuam uideo: (culo.
ibo, & pultabo fores.
Aperite, atq; approperate, fores facite ut pateant: remouete moram.
Nimis hæc res ſine cura geritur. uide quādudū hic ædes pulto.
Nō operā datis? experiar, fores, an cubiti, an pedes plus ualeāt.
Nimis uellē hæ fores herū fugiſſent, ea cauſſa ut haberēt malū
Defeſſus ſum pultādo. hoc poſtremum eſt uobis. G. ibo atq; hūc
Compello. ſaluos ſis. D. & tu ſalue. G. iam tu piſcator factus?
D. Quampridem non ediſti? G. unde is? quid fers? quid feſtinas?
D. Tua quod nihil refert, ne cures. G. quid iſtinc eſt? D. quas tu uides colubras?
G. Quid tam iracundus? D. ſi in te pudor adſit, non me appelles.
G. Poſſum ſcire ex te uerum? D. potes: hodie non cœnabis.

PANAEGYRIS. GELASIMVS. DINACIVM.

P. Quis nam obſecro has frāgit fores, ubi eſt? tun' hæc facis?
Tún' mihi huc hoſtis uenis? G. ſalue. accerſitu tuo uenio
P. Eán' gratia fores effringis? G. inclama tuos: (huc.
Tui delinquont: ego quid me uelles uiſebam. nam equidem
Harum miſerebat. D. ergo auxilium propere latum eſt eis.
P. Quis nam hic loquitur tam prope nos? D. Dinacium. P. ubi obſecro is eſt?

Reſpice

D. Reſpice me, & relinque egentem paraſitum Panægyris.
P. Dinacium? D. iſtuc indidere nomen maiores mihi.
P. Quid agis? D. quid agam rogitas? P. quid ni rogitem? D. quid mecum eſt tibi?
P. Me'n' faſtidis propudioſe? eloquere propere. D. iube
Me omittere igitur hos, qui retinent. P. qui retinent? D. rogas?
Omnia membra laßitudo mihi tenet. P. linguam quidem
Sat ſcio tibi non tenere. D. ita celeri iui curriculo
Propere à portu tui honoris cauſſa. P. ecquid apportas boni?
D. Nimio impartior multo, tanto plus q̃ ſperas. P. ſalua ſum.
D. At ego perij, quoi medullam laßitudo perbibit.
G. Quid ego, quoi miſero medullam uentris percepit fames?
P. Ecquem conueniſti? D. multos. P. ad uirũ ecquem? D. plurimos.
Verum ex multis nequiorem nullum q̃ hic eſt. G. quo modo?
Iamdudum ego iſtum patior dicere iniuſte mihi.
Præter hæc ſi me irritaßis. D. ædepol eſuries male.
G. Animum inducam, ut iſtuc uerum te elocutum eſſe arbitrer.
D. Munditias uolo fieri hic, ferte ſcopas, ſimulq́; harundinem,
Vt operam omnẽ aranearum perdam, & texturã improbam,
Deijciamq́; earum telas. G. miſeræ frigebunt poſtea.
D. Quid illas itidem eſſe cenſes, quaſi tectum ueſte unica?
Cape illas ſcopas. G. capiam. D. hoc egomet, tu hoc conuerre. G. fecero.
D. Ecquis huc effert naſciternam cũ aqua? G. ſine ſuffragio populi
Tamen ædilitatẽ hic quidẽ gerit. D. age tu ocyus pinge humũ,
Conſperge ante ædeis. G. faciam. D. factum oportuit. hic ego
Araneas de foribus deijciam, & de pariete.
P. Aedepol rem negotioſam, quid ſit, nihil etiam
Scio, niſi forte hoſpites uenturi ſunt. D. lectos ſternite.
P. Principium placet de lectis. D. alij ligna cædite,
Alij piſces depurgate, quos piſcator attulit,
Pernam & glandium deijcite. G. hic hercle homo nimiũ ſapit.
P. Ecaſtor non, ut ego opinor, heræ morem geris.
D. Imò res omneis relictas habeo, præ quod tu uelis.

P. Tum tu igitur qua cauſſa miſſus es ad portum, mihi expedi.
D. Dicam. poſtquam me miſiſti ad portum cum lucu ſimul,
Commodum radioſus eſſe ſol ſuperabat ex mari.
Dum percontor portitores ecquæ nauis uenerit
Ex Aſia, negant ueniſſe: conſpicatus ſum interim
Cercurum, quo ego me maiorem non uidiſſe cenſeo,
In portum uento ſecundo, uelo paſſo peruenit.
Alius alium percontamur, quoia eſt nauis? quid uehit?
Interim Epignomum conſpicio tuum uirũ, & ſeruom Stichum.
P. Hem quid Epignomum elocutus? D. tuũ uirũ. P. & uitam meã.
D. Venit inquã. P. tun' cũ ipſum uidiſti? D. ita ego, & quidẽ lubẽs.
Argenti auriq; aduexit multũ. P. nimis factum bene.
G. Hercle uerò capiam ſcopas, atq; hoc conuerram lubens.
D. Lanam, purpuramq; multam. G. hehem qui uentrem ueſtiam.
D. Lectos eburatos, auratos. G. accubabo regie.
D. Tum Babylonica periſtromata, ſellas, & tapetia,
Aduexit nimiũ bonæ rei. G. hercle rem geſtam bene.
D. Pòſt ut occœpi narrare, fidicinas, tibicinas,
Sambucas aduexit ſecũ forma exumia. G. euge quando
Adbibero, alludiabo, tum ſum ridiculiſſumus.
i. ſermones in accuſati. D. Poſt hæc unguenta multigenerũ multa. G. non uendo λόγους.
Iam non faciam auctionem, quandò mihi obtigit hæreditas.
Maleuoli perquiſitores auctionum perierint.
Hercules, decumam eſſe adauctam tibi, quam noui, gratulor.
D. Pòſt autem aduexit ſecũ paraſitos. G. hei perij miſer.
D. Ridiculoſiſſumos. G. reuerram hercle hoc, quod cõuerri modo.
P. Vidiſtin' uirũ ſororis Pamphilippum? D. non. P. adeſt?
D. Imò aiebam eum ueniſſe ſimul: ſed huc ego
Citus præcurri, ut nuntiarem nuntium optabilem.
G. Venales λόγοι ſunt illi, quos negabam uendere
i. ſermones. Illico & meo malo eſt quod maleuolentes gaudeant.
Hercules ſanè, qui deus ſis diſceßiſſes non male.
P. I intrò Dinacium, iube famulos rem diuinam mihi
Apparẽt, bene uale. G. uin' adminiſtrem? P. ſat ſeruorũ habeo

Domi. G. enim uerò Gelaſime opinor ueniſti futile,
Si neq; ille adeſt: neq; hic qui uenit, quicquam ſubuenit.
Ibo intrò ad libros, & diſcam de dictis melioribus.
Nam ni illos homines expello, ego òccidi planiſſume.

ACTVS TERTIVS.

EPIGNOMVS, adoleſcens. STICHVS, ſeruos.

E. QVom bene re geſta ſaluos conuortor domum,
Neptunno grates habeo, & tempeſtatibus,
Simul Mercurio, qui me in mercimonijs
Iuuit, lucriſq; quadruplicauit rem meam.
Olim quos abiens affeci ægrimonia,
Eos nunc lætanteis faciam aduentu meo.
Nam iam Antiphonem conueni affinem meum,
Cumq; eo reueni ex inimicitia in gratiam.
Videte quæſo quid poteſt pecunia.
Quoniam bene re geſta rediſſe me uidet,
Magnaſq; apportauiſſe diuitias domum,
Sine aduocatis ibidem in cercuro, in ſtega,
In amicitiam, atq; in gratiam conuortimus.
Et ſic hodie apud me cœnat, & frater meus:
Nam heri ambo in uno portu fuimus. ſed mea
Hodie ſoluta eſt nauis aliquanto prius.
Age abduc has intrò, quas mecum adduxi Stiche.
S. Here, ſiue ego taceam, ſeu loquar, ſcio ſcire te
Quas multas tecum miſerias mulctauerim.
Nunc hunc diem unum ex multis illis miſerijs
Volo me Eleutheriam capere aduenientem domum.
E. Et ius & æquom poſtulas, ſumas Stiche
In hunc diem, te nihil moror, abi quò lubet.
Cadum tibi ueteris uini propino. S. papæ,
Ducam hodie amicam. E. uel decem, dum de tuo.
Vbi cœnas hodie? S. ſi tu hanc rationem inſtituis,
Amicam ego habeo Stephanium hinc ex proxumo

Tui fratris ancillam: eo condictum ſymbolum
Ad cœnam, ac eius conſeruom Sangarinum Syrum.
Eadem eſt amica ambobus, riuales ſumus.

E. Age abduc eas intrò, hunc tibi dedo diem.

S. Meam culpam habeto, niſi perexcruciauero.
Iam hercle ego per hortum amicam tranſibo meam
Mi hanc occupatum noctem, eadem ſymbolam
Dabo, & iubebo ad Sangarinum cœnam coqui:
Aut egomet ibo, atq; obſonabo obſonium.
Atque id ne uos miremini, homines ſeruolos
Potare, amare, atque ad cœnam condicere:
Licet hæc Athenis nobis. ſed quom cogito,
Potius quàm in diuidiam ueniam, eſt etiam hic oſtium,
Aliud autem poſticum noſtrarum harum ædium:
Ea ibo obſonatum, eadem referam obſonium
Per ortum, utroque commeatus continet.
Ite hâc ſecundum uos me, ego hunc lacero diem.

GELASIMVS. EPIGNOMVS.

G. Libros inſpexi, tam confido, quàm potiʼ ſt,
Me meum obtenturum regem ridiculis meis:
Nunc interuiſo, iàmne à portu aduenerit,
Vt eum aduenientem meis dictis deliniam.

E. Hic quidem Gelaſimus eſt paraſitus, qui uenit.

G. Auſpicio huc hodie ego optumo exiui foras.
Muſtela murem mihi abſtulit præter pedes.
Tum ſtrenua obſonauit: ſpectatum hic mihi eſt:
Nam ut illa uitam repperit hodie ſibi,
Item me ſpero facturum augurium. hoc facit
Epignomus. hic quidem eſt, qui aſtat: ibo atq; alloquar.
Epignome, ut ego te nunc conſpicio lubens:
Vt præ lætitia lachrumæ præſiliunt mihi?
Valuiſtin' uſque? E. ſuſtentatu' ſt ſedulo.

G. Bene atque amice dicis. di dent quæ uelis.
Propino tibi ſalutem plenis faucibus.

Cœnabis apud me, quoniam ſaluos aduenis.

E. Vocata eſt opera. G. num quidem hoc tibi tam graue eſt?

Promitte. E. certum eſt. G. ſic fac inquam. E. certa res.

G. Lubente hercle me facies. E. idem ego iſtuc ſcio,

Quando uſus ueniet, fiet. G. nunc ergo uſus eſt.

E. Non ædepol poſſum. G. quid grauare? cenſeas.

Neſcio quid uerò habeo adhuc in mundo. E. i modo,

Alium conuiuam quærito in hunc diem tibi.

G. Quin tu promittis? E. non grauer, ſi poſſiem.

G. Vnum quidem hercle certum promitto tibi,

Lubens accipiam, certo ſi promiſeris.

E. Valeas. G. certum eſt? E. certum: nam hodie cœnabo domi.

G. Quandoquidem operam tuam non uis promittere,

Vin' ad te ad cœnam ueniam? E. ſi poſſim, uelim.

Verùm hic apud me cœnant alieni nouem.

G. Haud poſtulo equidem ſummo in lecto accumbere:

Scis tu me dudum eſſe imi ſubſelli uirum.

E. At dij oratores ſunt populi ſummi uiri,

Ambracia uenium huc legati publice.

G. Ergo oratores populi ſummates uiri

Summi accumbent, ego infimatis infimus.

E. Haud æquom eſt, te inter oratores accipi.

G. Equidem hercle orator ſum, ſed procedit parum.

E. Cras de reliquijs nos uolo. multum uale.

G. Peri hercle uerò planè, atq; obnixe, nihil

Vno Gelaſimo minus eſt, quàm dudum fuit.

Certum eſt muſtelæ poſthac nunquam credere:

Nam incertiorem nullam noui beſtiam:

Quin & ipſa decies in die mutat locum.

Eam auſpicaui ego in re capitali mea.

Certum eſt amicos conuocare, ut conſulam

Qua lege me nunc eſurire oporteat.

ACTVS QVARTVS.

ANTIPHO, ſenex. PAMPHILIPPVS.

Tui fratris ancillam: eo condictum ſymbolum
Ad cœnam, ac eius conſeruom Sangarinum Syrum.
Eadem eſt amica ambobus, riuales ſumus.
E. *Age abduc eas intrò, hunc tibi dedo diem.*
S. *Meam culpam habeto, niſi per excruciauero.*
Iam hercle ego per hortum amicam tranſibo meam
Mi hanc occupatum noctem, eadem ſymbolam
Dabo, & iubebo ad Sangarinum cœnam coqui:
Aut egomet ibo, atq; obſonabo obſonium.
Atque id ne uos miremini, homines ſeruolos
Potare, amare, atque ad cœnam condicere:
Licet hæc Athenis nobis. ſed quom cogito,
Potius quàm in diuidiam ueniam, eſt etiam hic oſtium,
Aliud autem poſticum noſtrarum harum ædium:
Ea ibo obſonatum, eadem referam obſonium
Per ortum, utroque commeatus continet.
Ite hàc ſecundum uos me, ego hunc lacero diem.

GELASIMVS. EPIGNOMVS.

G. *LIbros inſpexi, tam confido, quàm poti' ſt,*
Me meum obtenturum regem ridiculis meis:
Nunc interuiſo, iamne à portu aduenerit,
Vt eum aduenientem meis dictis deliniam.
E. *Hic quidem Gelaſimus eſt paraſitus, qui uenit.*
G. *Auſpicio huc hodie ego optumo exiui foras.*
Muſtela murem mihi abſtulit præter pedes.
Tum ſtrenua obſonauit: ſpectatum hic mihi eſt:
Nam ut illa uitam repperit hodie ſibi,
Item me ſpero facturum augurium. hoc facit
Epignomus. hic quidem eſt, qui aſtat: ibo atq; alloquar.
Epignome, ut ego te nunc conſpicio lubens:
Vt præ lætitia lachrumæ præſiliunt mihi?
Valuiſtin' uſque? E. ſuſtentatu' ſt ſedulo.
G. *Bene atque amice dicis. di dent quæ uelis.*
Propino tibi ſalutem plenis faucibus.

Cœnabis apud me, quoniam ſaluos aduenis.

E. Vocata eſt opera. G. num quidem hoc tibi tam graue eſt?

Promitte. E. certum eſt. G. ſic fac inquam. E. certa res.

G. Lubente hercle me facies. E. idem ego iſtuc ſcio,

Quando uſus ueniet, fiet. G. nunc ergo uſus eſt.

E. Non ædepol poſſum. G. quid grauare? cenſeas.

Neſcio quid uerò habeo adhuc in mundo. E. i modo,

Alium conuiuam quærito in hunc diem tibi.

G. Quin tu promittis? E. non grauer, ſi poßiem.

G. Vnum quidem hercle certum promitto tibi,

Lubens accipiam, certo ſi promiſeris.

E. Valeas. G. certum eſt? E. certum: nam hodie cœnabo domi.

G. Quandoquidem operam tuam non uis promittere,

Vin' ad te ad cœnam ueniam? E. ſi poßim, uelim.

Verùm hic apud me cœnant alieni nouem.

G. Haud poſtulo equidem ſummo in lecto accumbere:

Scis tu me dudum eſſe imi ſubſelli uirum.

E. At dij oratores ſunt populi ſummi uiri,

Ambracia uenium huc legati publice.

G. Ergo oratores populi ſummates uiri

Summi accumbent, ego infimatis infimus.

E. Haud æquom eſt, te inter oratores accipi.

G. Equidem hercle orator ſum, ſed procedit parum.

E. Cras de reliquijs nos uolo. multum uale.

G. Peri hercle uerò planè, atq; obnixe, nihil

Vno Gelaſimo minus eſt, quàm dudum fuit.

Certum eſt muſtelæ poſthac nunquam credere:

Nam incertiorem nullam noui beſtiam:

Quin & ipſa decies in die mutat locum.

Eam auſpicaui ego in re capitali mea.

Certum eſt amicos conuocare, ut conſulam

Qua lege me nunc eſurire oporteat.

ACTVS QVARTVS.

ANTIPHO, ſenex. PAMPHILIPPVS.

EPIGNOMVS, adoleſcentes.

A. ITa me di bene ament, meaſq; mihi bene ſeruaßint filias,
Vt mihi uolupe' ſt Pamphilippe, quia in patriam uos domũ
Rediſſe uideo bene geſta re ambos, te & fratrem tuum.
P. Satis ab te accipiam, niſi uideam mihi te amicũ eſſe Antipho.
Nunc quia te amicum mihi experior eſſe, creditur tibi.
A. Vocem ego ad me ad cœnam, frater tuus niſi dixiſſet mihi
Te apud ſe cœnaturũ hodie, quom me ad ſe ad cœnam uocat.
Et magis par fuerat me dare uobis cœnam aduenientibus,
Quàm me ad illum promittere: niſi nollem ei aduorſarier.
Nũc ego me gratiam abs te inire uerbis nihil deſydero.
Cras apud me eritis, & tu & ille cum uoſtris uxoribus.
P. Et apud me perendie: nam ille heri me uocauerat in hũc diem.
Sed ſatin' ego iam tecum pacificatus ſum Antipho?
A. Quando ita rem geßiſtis, uti uos uellem, amicos atq; addecet,
Pax, commerciumq; eſt uobis mecũ. nam hoc tu facito cogites:
VT QVOIQVE HOMINI res parata eſt, firmi amici ſunt: ſi labant
Res laſſæ, itidem amici collabaſcunt. AMICOS res inuenit.
E. Iam redeo: nimia uolupta' ſt, ſi diu afueris domo,
Si domum redieris, ſi tibi nulla ægritudo eſt animo obuiam.
Nam ita me abſente familiarem rem uxor curauit meam,
Omnium me exilem, atq; inanem fecit ægritudinum.
Sed fratrem eccum Pamphilippum, incedit cum ſocero ſuo.
P. Quid agitur Epignome? E. qd tu? q̃ dudũ in portũ huc uenis?
P. Longiſſume. E. poſt illa iam iſte eſt tranquillus tibi?
A. Magis q̃ mare, quà ambo uecti eſtis. E. facis ut alias res ſoles.
Hodiéne exoneramus nauem frater? P. clementer uolo:
Potius oneremus noſmet uiciſſatim uoluptatibus.
Quã mox cocta eſt cœna? impranſus ego ſum. E. abi intro ad me, (et laua
P. Deos ſalutatũ modo atq; uxorẽ intrò deuortor domũ.
E. Apud nos hic illa feſtinat cum ſorore uxor tua.
P. Optumum eſt, iam iſtoc moræ minus erit, iã ego apud te ero.
A. priuſquam

Abis,præſente te huic apologum agere unum uolo. E. maxume.

A. Fuit olim,quaſi ego ſum,ſenex:& ei filiæ duæ erant,
Quaſi nunc meæ ſunt:eæ erant duobus nuptæ fratribus,
Quaſi nunc ſunt meæ uobis. P. miror quò euaſurus apologus.

A. Minori ille adoleſcens fidicinam & tibicinam peregre
Aduexerat,quaſi nunc tu:ſed ille erat cœlebs ſenex,
Quaſi ego nunc ſum. P. perge obſecro. præſens hic quidem apologu'ſt.

A. Deinde ſenex ille illi dixit quoius erat tibicina,
Quaſi ego nũc tibi dico. P. auſculto,atq; animũ aduorto ſedulo.

A. Ego tibi meam filiam,bene quicum cubitares dedi:
Nunc mihi reddi ego æquum eſſe abs te, quicum cubitem cenſeo.

P. Quis iſtuc dicit,an ille,quaſi tu? A. quaſi ego,nunc dico tibi.
Imò duas dabo,inquit ille adoleſcens,una ſi parum eſt.
Et ſi duarum pœnitet,inquit,addentur duæ.

P. Quid iſtuc quæſo, an ille,quaſi ego? A. is ipſe,quaſi tu,ſenex
Ille,quaſi ego,Si uis,inquit,quatuor,ſanè dato:
Dum equidẽ hercle quod edant,addas,meũ ne contruncent cibũ.

P. Videlicet parcum illum fuiſſe ſenem,qui dixerit.
Quando ille illi pollicetur,qui cum cibum popoſcerit.

A. Videlicet illum fuiſſe nequam adoleſcentem,qui illico,
Vbi ille poſcit,dare denegauit ſe granum tritici.
Quia hercle æquom poſtulabat ille ſenex,quandoquidem
Filiæ ille dederat dotem,accipere pro tibicina.

P. Hercle ille quidem certe adoleſcens docte uorſutus fuit.
Quis enim illi concubinam dare dotatam uoluit? A. ſenex
Quidem uoluit,ſi poſſet indipiſci de cibo.
Quia nequit,qua lege licuit,dixit uelle fieri.
Fiat,ille inquit adoleſcens:facis benigne,inquit ſenex.
Habeón' rem factam,inquit? faciam ita,inquit,ut fieri uoles.
Sed ego ibo intrò,& gratulabor uoſtrum aduentum filijs.
Poſtea ibo lauatum in Pilum,ibi fouebo ſenectutem meam:
Poſt ubi lauero,otioſus uos opperiar accubans.

P. Graphicum mortalem Antiphonem,ut apologum fecit, q̃ fabre

Id iam nunc ſceleſtus eſſe,ducit pro adoleſcentulo.
Dabitur homini amica,noctu quæ in lecto accendet ſenem.
Nanque ædepol illi aliud quid amica poßit,neſcio.
Sed quid agit paraſitus noſter Gelaſimus? etiam ualet?
E. Vidi ædepol hominem haud dudum. P. quid agit? E. quod fa-
melicus.
P. Quin tu uocaſti hominē ad cœnā? E. nequid adueniēs perderem.
ATQVE eccum tibi lupum in ſermone,eſuriens adeſt.
P. Ludificemur hominem. E. capti conſilij memorem mones.

GELASIMVS, paraſitus. PAMPHILIPPVS, EPIGNOMVS, adoleſcentes.

G. SEd ita quod occœpi narrare uobis,cum hinc abſui,
Cum amicis deliberaui iam,& cum cognatis meis:
Ita mihi authores fuêre,ut egomet me hodie iugulē fame.
Sed uideóne ego Pamphilippum cū fratre Epignomo? atq; is eſt.
Aggrediar hominem. ſperate Pamphilippe,ô ſpes mea,
O mea uita,ô mea uoluptas ſalue,ſaluom gaudeo
Peregre in patriam rediſſe ſaluom. P. ſalue Gelaſime.
G. Valuiſtin' bene? P. ſuſtentaui ſedulo. G. ædepol gaudeo.
Aedepol næ egomet mihi nūc modium eſſe mille argenti uelim.
E. Quid eo opus eſt? G. hunc ad cœnā hercle ut uocē,te non uocem.
E. Aduorſum te fabulare illud quidem,ambos ut uocem.
Aedepol uocem te libenter,ſi ſuperſiat locus.
G. Quin tu ſtas? obſtruſero aliquid ſtrenue. E. imò unū hoc poteſt.
G. Quid? E. ubi conuiuæ abierint , tum uenias. G. uæ ætati tuæ.
E. Vnà lautum,non ad cœnam dico. G. di te perduint.
Quid ais Pamphilippe? P. ad cœnam hercle aliò promiſi foras.
G. Quid,foras? P. foras hercle uerò. G. qui (malùm) tibi laſſo lubet
Foris cœnare? P. utrum tu cenſes? G. iubedum cœnam coqui,
Atque ad illum renuntiari. P. ſolus cœnabo domi?
G. Non enim ſolus,me uocato. P. at ne ille ſuccenſeat,mea
Qui cauſſa ſumptum fecit. G. facile excuſari poteſt.
Mihi modo auſculta,iube cœnam domi coqui. E. non quidem
Me faciet authore hodie,ut illum decipiat. G. non tu hinc abis?

Niſi

Niſi me non perſpicere cenſes, quid agas, caueſis tu ibi.
Nam illic homo tuam hæreditatem inhiat, quaſi eſuriens lupus.
Non tu ſcis, quàm efflictentur homines noctu hic in uia?
P. Tanto pluris qui defendant ire aduorſum iuſſero.
E. Non it, quia tanto opere ſuades. G. ne betat, iube domi
Mihi, tibi, tuæq; uxori celeriter cœnam coqui.
Si hercle faxis, non opinor dices deceptum fore.
P. Per hanc tibi cœnam incœnato Gelaſime eſſe hodie licet.
G. Ibisne ad cœnam foras? P. apud fratrem cœno in proxumo.
G. Certũ eſt? P. certũ. G. ædepol te hodie lapide percuſſum uelim.
P. Non metuo, per hortum tranſibo, non prodibo in publicum.
E. Quid agis Gelaſime? G. oratores tu accipis, habeas tibi.
E. Tua pol refert enim. G ſiquidem mea refert, opera utere.
E. Aedepol tibi etiam (opinor) uni locum conſpicor, ubi
Accubes. P. ſanè faciundum cenſeo. G. ô lux oppidi.
E. Si arcte poteris accubare. G. uel inter cuneos ferreos
Tantillum loci, ubi catellus cubet, id mihi ſat eſt loci.
P. Exorabo aliquo modo. E. ueni. G. huccine? E. imò in carcerem.
Nam hic quidem meliorem genium tuum non facies. eamus tu.
P. Deos ſalutabo modo, poſtea ad te continuo tranſeo.
G. Quid agitur? E. dixi equidem, in carcerẽ ires. G. quin ſi iuſſeris,
Eò quoq; ibo. P. di immortales, hic quidem ui ſumma in crucem
Cœna aut prandio perduci poteſt. G. ita ingenium meum eſt:
Qui cum uis depugno multo facilius, quàm cum fame.
P. Non ergo is tu apud me: ſatis ſpectata eſt mihi tua felicitas:
Dum paraſitus mihi fratriq; fuiſti, rem confregimus.
Nunc ego nolo mihi è Gelaſimo te Catagelaſimum.
G. Iamne abiſti Gelaſime? uide quid es capturus conſilij.
Egóne? túne? mihíne? tibíne? uides ut annona eſt grauis?
Vides benignitates hominum perire, & prothymias?
Vides ridiculos nihili fieri? atque ipſos paraſitarier?
Nunquam ædepol uiuom quiſquã in craſtinum proſpiciet diem.
Nam intus mihi iam potione uincea onerabo gulam.
Neq; ego hoc committam, ut homines mortuum me dicãt fame.

ACTVS

Id iam nunc ſceleſtus eſſe, ducit pro adoleſcentulo.
Dabitur homini amica, noctu quæ in lecto accendet ſenem.
Nanque ædepol illi aliud quid amica poßit, neſcio.
Sed quid agit paraſitus noſter Gelaſimus? etiam ualet?
E. Vidi ædepol hominem haud dudum. P. quid agit? E. quod fa- melicus.
P. Quin tu uocaſti hominẽ ad cœnã? E. nequid adueniẽs perderem.
ATQVE eccum tibi lupum in ſermone, eſuriens adeſt.
P. Ludificemur hominem. E. capti conſilij memorem mones.

GELASIMVS, paraſitus. PAMPHILIPPVS, EPIGNOMVS, adoleſcentes.

G. SEd ita quod occœpi narrare uobis, cum hinc abſui,
Cum amicis deliberaui iam, & cum cognatis meis:
Ita mihi authores fuêre, ut egomet me hodie iugulẽ fame.
Sed uideóne ego Pamphilippum cũ fratre Epignomo? atq; is eſt.
Aggrediar hominem. ſperate Pamphilippe, ô ſpes mea,
O mea uita, ô mea uoluptas ſalue, ſaluom gaudeo
Peregre in patriam rediſſe ſaluom. P. ſalue Gelaſime.
G. Valuiſtin' bene? P. ſuſtentaui ſedulo. G. ædepol gaudeo.
Aedepol næ egomet mihi nũc modium eſſe mille argenti uelim.
E. Quid eo opus eſt? G. hunc ad cœnã hercle ut uocẽ, te non uocem.
E. Aduorſum te fabulare illud quidem, ambos ut uocem.
Aedepol uocem te libenter, ſi ſuperſiat locus.
G. Quin tu ſtas? obſtruſero aliquid ſtrenue. E. imò unũ hoc poteſt.
G. Quid? E. ubi conuiuæ abierint, tum uenias. G. uæ ætati tuæ.
E. Vna lautum, non ad cœnam dico. G. di te perduint.
Quid ais Pamphilippe? P. ad cœnam hercle aliò promiſi foras.
G. Quid, foras? P. foras hercle uerò. G. qui (malùm) tibi laſſo lubet
Foris cœnare? P. utrum tu cenſes? G. iubedum cœnam coqui,
Atque ad illum renuntiari. P. ſolus cœnabo domi?
G. Non enim ſolus, me uocato. P. at ne ille ſuccenſeat, mea
Qui cauſſa ſumptum fecit. G. facile excuſari poteſt.
Mihi modo auſculta, iube cœnam domi coqui. E. non quidem
Me faciet authore hodie, ut illum decipiat. G. non tu hinc abis?

Niſi

Niſi me non perſpicere cenſes, quid agas, caueſis tu ibi.
Nam illic homo tuam hæreditatem inhiat, quaſi eſuriens lupus.
Non tu ſcis, quàm efflictentur homines noctu hic in uia?
P. Tanto pluris qui defendant ire aduorſum iuſſero.
E. Non it, quia tanto opere ſuades. G. ne betat, iube domi
Mihi, tibi, tuæq; uxori celeriter cœnam coqui.
Si hercle faxis, non opinor dices deceptum fore.
P. Per hanc tibi cœnam incœnato Gelaſime eſſe hodie licet.
G. Ibisne ad cœnam foras? P. apud fratrem cœno in proxumo.
G. Certũ eſt? P. certũ. G. ædepol te hodie lapide percuſſum uelim.
P. Non metuo, per hortum tranſibo, non prodibo in publicum.
E. Quid agis Gelaſime? G. oratores tu accipis, habeas tibi.
E. Tua pol refert enim. G ſiquidem mea refert, opera utere.
E. Aedepol tibi etiam (opinor) uni locum conſpicor, ubi
Accubes. P. ſanè faciundum cenſeo. G. ô lux oppidi.
E. Si arcte poteris accubare. G. uel inter cuneos ferreos
Tantillum loci, ubi catellus cubet, id mihi ſat eſt loci.
P. Exorabo aliquo modo. E. ueni. G. huccine? E. imò in carcerem
Nam hic quidem meliorem genium tuum non facies. eamus tu.
P. Deos ſalutabo modo, poſtea ad te continuo tranſeo.
G. Quid agitur? E. dixi equidem, in carcerẽ ires. G. quin ſi iuſſeris,
Eò quoq; ibo. P. di immortales, hic quidem ui ſumma in crucem
Cœna aut prandio perduci poteſt. G. ita ingenium meum eſt.
Qui cum uis depugno multo facilius, quàm cum fame.
P. Non ergo is tu apud me: ſatis ſpectata eſt mihi tua felicitas:
Dum paraſitus mihi fratriq; fuiſti, rem confregimus.
Nunc ego nolo mihi è Gelaſimo te Catagelaſimum.
G. Iámne abiſti Gelaſime? uide quid es capturus conſilij.
Egóne? túne? mihíne? tibíne? uides ut annona eſt grauis?
Vides benignitates hominum perire, & prothymias?
Vides ridiculos nihili fieri? atque ipſos paraſitarier?
Nunquam ædepol uiuom quiſquã in craſtinum proſpiciet diem.
Nam intus mihi iam potione uincea onerabo gulam.
Neq; ego hoc committam, ut homines mortuum me dicãt fame.

ACTVS

ACTVS QVINTVS.

STICHVS, ſeruos.

MOre hoc fit, atq; eſt ita mea ſententia, ſi quem hominem expectant, (uenit.
Eum ſolent prouiſere, qui hercle illa cauſſa nihil ocyus
Idē ego nunc facio, qui prouiſo Sagarinū, qui nihil ocyus uenit.
Tamen hac gratia iam hercle ego decumbā ſolus, ſi ille huc non
Venit. cadum modo hinc à me huc uino transferam:
Poſtea accumbam, qua ſenex tabeſcit dies.

SAGARINVS, STICHVS, ſerui.

SA. SAluete Athenæ, quæ nutrices Græciæ: terra herilis patria
Te uideo lubens. ſed amica mea, & conſerua quid agat Stephanium,
Cura eſt, ut ualeat, nā Sticho mandaueram, ſalutē ut nuntiaret,
Atq; ei ut diceret me hodie uenturum, ut cœnā coqueret tēpori.
Sed Stichus eſt hic quidem. ST. feciſti hercle facetias, quom hoc donauiſti
Dono tuum ſeruum Stichum. proh di immortales, quot ego
Voluptates fero, quot riſiones, quot iocos, quot ſauia, ſaltationes,
Blanditias, prothymias. SA. Stiche. ST. hem. SA. quid fit?
ST. Euge Sangarine lepidiſſume, fero conuiuam Dionyſium mihiq;
Et tibi. nanq; ædepol cœna dicta eſt, locus liber datus eſt mihi, et
Tibi apud uos. nam apud nos eſt conuiuium, ibi noſter cœnat
Cum uxore adeò, & Antipho ibidem herus eſt noſter. hoc mihi
Dono datu'ſt. SA. quis ſomniauit aurum? ST. quid id ad te
Attinet? proin' tu lauare propera. SA. lautus ſum. ST. optume.
Sequere ergo hâc me intrò. SA. ego uero ſequor. ST. uolo,
Eluamus hodie, peregrina oīa relinque. Athenas nunc colamus.
Sequere me. SA. ſequor, & domum redeundi principium placet.
Bona cœna, ſtrenáq; obolet, oceeſſet mihi Stephanium.

STEPHANIVM, ancilla.

MIrum uideri nemini uoſtrū uolo ſpectatores, quid ego (hinc
Quæ illic habito, exeam: faciam uos certiores. domo dudum huc

Accerſita ſum, quoniam nuntiatũ eſt iſtarum uenturos uiros: ibi
Feſtinamus omnes, lectis ſternendis ſtuduimus, mundit1jsq; apparandis.
Inter illud tamen negotium, meis curaui amicis, Sticho &
Conſeruo Sangarino meo cœna cocta ut eſſet. Stichus
Obſonatus eſt, cæterum ego curando id allegaui.
Nunc ibo hinc, & amicos meos curabo hic aduenientes.

SANGARINVS, STICHVS, ſerui.

SA. AGite ite foras, ferte pompam, cado te perficio Stiche.
Omnibus modis temare certu'ſt noſtrũ hodie conuiuiũ.
Ita me di ament, lepide accipiamur, quoniam hoc recipiemur in loco.
Quiſquis prætereat, comeſſatum uolo uocari. ST. conuenit:
Dum quidem hercle quiſq; ueniat cũ uino ſuo. nam hinc quidem
Hodie pollectura, præter nos iactura nemini dabitur, noſmet
Inter nos miniſtremus monotrophe. hoc conuiuium eſt
Pro opibus noſtris, ſatis commodule nucibus, fabulis, ficulis,
Olea interrupto lupillo, cõminuto cruſtulo ſat eſt ſeruo homini.
MODESTE melius facere ſumptũ, quàm ampliter, ſuum quenq;
Decet. quibus diuitiæ domi ſunt, ſcaphio, cantharis, batiocis
Bibunt, nos noſtro ſamiolo poterio, tamen uiuimus, nos tamen
Efficimus pro opibus noſtra mœnia. SA. amica uter uis ubi
Accumbamus? ST. abi tu ſanè ſuperior: atque adeò ut tu ſcire poßis,
Factum ego hoc tecum diuido, uide utram tibi lubet etiam nunc capere,
Cape prouinciã. SA. quid iſtuc eſt prouinciæ? ST. utrum fontale,
An libero imperiũ te inhibere mauis? SA. nimio liquido libero.
Sed amica mea & tua dum cœnat, dumq; ſe exornat, nos
Volo tamen ludere inter nos. ſtrategum te facio huic conuiuio.
ST. Nimium lepide in mentem uenit, potius in ſubſellio
Cynice accipiemur, quàm in lecticis. SA. imò enim hic magis eſt dulcius.
Sed interim ſtratege noſter cur hic ceſſat cantharus?

Vide

Et quinquies bibe, & ter, & ſemiquater.

Vide quot cyathos hos bibimus. ST. tot, quot digiti ſunt tibi
In manu. cātio eſt Græca, ϗ πέντε πίνε ϗ τρὶς πίνε ἡμιτέτταρα.
Tibi propino decuma fonte, tibi tute inde, ſi ſapis. SA. bene uos,
Bene nos, bene te, bene me, bene noſtram etiam Stephanium.
Bibe, ſi bibis. ST. non mora erit apud me. SA. ædepol
Conuiui ſat eſt, modo noſtra huc amica accedat: id abeſt,
Aliud nihil abeſt. lepide hoc actum eſt. tibi propino
Cantharum, uinum tu habes. ST. nimis uelim aliquid
Pulpamenti. SA. ſi horum, quæ adſunt, pœnitet, nihil eſt,
Tene aquam. ST. melius dicis, nihil moror cupedia.
SA. Bibe tibicen, age ſiquid agis, bibendum hercle hoc eſt, ne nega.
Quid hic faſtidis? quod faciundum uides eſſe tibi, quin bibis?
Age, ſiquid agis, accipe inquam, non hoc impende publicum.
Haud tuum iſtuc eſt te uereri, eripe ex ore tibiás.
ST. Vbi illic biberit, uel ſeruato meum modum, uel tu dato.
Nolo ego nos pro ſummo bibere, nulli relerimus poſtea:
Nanque ædepol quamuis deſubito uel cadus uorti poteſt.
SA. Quid agitur? quanquam grauatus fuiſti, non nocuit tamen.
Age tibicen quandò bibiſti, refer ad labia tibias, ſuffla
Celeriter tibi buccas, quaſi proſerpens beſtia. agedum Stiche
Vter demutaßit, procul mutabitur. ST. bonum ius dicis:
Impetrare oportet, quia æquom poſtulas. age ergo
Obſerua. ſi peccaßis, multa hic retinebo illico. SA. optumū atq;
Aequiſſumum oras. ST. hem tibi hoc, primùm omnium, hæc
Facetia'ſt, amare inter ſe riuales duos, uno cantharo potare,
Vnum ſcortum ducere: hoc memorabile'ſt. ego tu ſum, tu es
Ego, unanimi ſumus, unam amicam amamus ambo: mecum
Vbi eſt, tecum eſt tamen: tecum autem ubi eſt, mecum autem
Ibi eſt: neuter utri inuidet. SA. obè iam ſatis, nolo obcedes.
Catuli ut ludunt, uolo nunc. uin' amicam huc euocemus?
Ea ſaltabit. ST. cenſeo. SA. mea ſuauis, amabilis, amœna
Stephaniū ad amores tuos foras egredere, ſatis mihi pulchra es.
ST. At enim pulcherrima. SA. fac nos hilaros hilariores
Opera, atque aduentu tuo, peregre aduenientes te expetimus.

Stepha-

Stephaniſcidium, mel meum, ſi amabilitas tibi noſtra
Placet, ſi tibi ambo accepti ſumus Stephanium.

STEPHANIVM, ancilla, & eidem.

ST. MOrem uobis gerã meæ deliciæ: nã ita me Venus amœna
Amet, ut ego hic iamdudum exiſſem uobiſcum foras,
Niſi me uobis exornarem. NAM ITA eſt ingenium mulicbre,
Bene cum lauta eſt, terſa, ornata, ficta eſt, infecta eſt tamen.
Nimioq́; ſibi mulier meretrix repperit odium ocyus
Sua immunditia, quàm in perpetuum ut placeat munditia ſua.
SA. Nimium lepide fabulata eſt. ST. Veneris mera eſt oratio
Sangarine. SA. quid eſt? ST. totus doleo. SA. totus? tãto miſerior.
ST. Vtrũ tibi accumbo? SA. utrum ubi tu uis. ST. cum ambobus uolo:
Nam ambos amo. SA. uapulat peculium, actum eſt, fugit hoc,
Libertas caput. ST. date mihi locum, ubi accumbam, amabo ſiquidem
Placeo, tum mihi cupio cum utroque eſſe mihi bene. SA. diſpereo. ST. quid ais?
SA. Quid ego? ST. ita me di ament, nunquam enim fiet hodie hoc, quin non
Saltem tamen. age mulſa mea, ſuauitudo ſalta, ſaltabo
Ego ſimul. SA. nunquam ædepol me iſtoc uinces, quin ego
Ibidem pruriam. ST. ſi quidem mihi ſaltandum eſt, tum uos date
Bibant tibicini. SA. & quidem nobis. ST. tene tibicen primum.
Poſtidea loci ſi hoc eduxerit, perinde ut conſuetus antehac,
Celeriter lepidam, & ſuauem cantationem aliquam occipio
Cinædicam, ubi perpruriſcamus uſque ex unguiculis, inde huc (aquam.

EIDEM.

SA. TEne tu hoc, educe, dudum placuit potio. nunc minus
Grauate iam accipit: tene tu interim meus oculus.
Da mihi ſuauium, dum illic bibit: poßibile eſt tandem
Stantem ſtanti ſauium dare amicum amicæ?
Euge euge, ſic furi datur. quid igitur? quanquam
Grauatus, non nocuit tamen. age iam inſla buccas.

Nunc

ST. *Nunc iã aliquid ſuauiter redde camionẽ, ueteri pro uino nouã.*

EIDEM.

SA. *Qui Ionicus, aut cinædicus, qui hoc tale facere poßiet?*
Si iſtoc me uorſu uiceris, alio me prouocato, fac tu hoc modo.

ST. *At tu hoc modo. SA. babæ. ST. tatæ. SA. papæ. ST. euax.*

SA. *Nunc pariter ambo omneis uoco cinædos, contra ſtaticulis ſtare*
Nobis non magis potis eſt, quàm fungus imbri.
Intrò hinc abeamus nunc iam: ſaltatum ſatis pro uino'ſt.
Voſq; ſpectatores plaudite, atque ite ad nos comeſſatum.

ANNOTATIONES IN STICHVM.

SCENA II.

SAlſurę uenit.) Pro amarore ſalſuram ponit, ut ſalſam orationem amaram, quæq; animum mordicet.

Suus rex reginæ placet.) Suum cuique pulchrum. Eraſmus in Chiliadibus.

SCENA III.

Stultitia eſt pater uenatũ ducere.) Vide eiuſdem adag.

Solere elephantum grauidam.) Conſule Chiliades. Celerius elephanti pariunt.

Vel unctiones Græcas.) Taxat mores ſui ſeculi: paulo enim ante Plautum perrepſerunt in urbem hæ delitiæ ex Græcia. Sudatorias autẽ Laconicas intellige in quibus deſidebant, lauandi corporis gratia.

Malacas.) Molles.

Ampulla.) Olearia amphora quæ Græcis lecythus. Et refertur inter inſtrumenta balinei.

Vt decumam partem ex uoto Herculi.) Vide Chiliades Herculis quęſtus.

Nunc microtrogos.) Pauciuorus. Apud Aelianum hoc nomine animal eſt, quod aĕre uiuit.

Submetrum.) Submetra uina ſunt optima, quæ in uappam ſeruorum ſolent infundi, quo ſapidior fieret, ut cognoſci datur ex Catone de re Ruſtica, in quibus tamen mendoſe legitur ſubuetra.

SCE-

SCENA IIII.

Contundam facta Talthybij.) Inſolens metaphora, ab inſolente puero apte pronunciata. Talthybius ex Homero notus præco.

Sine ſuffragio populi.) Annotatum ab Eraſmo tanquam prouerbium in Chiliadibus. Aedilitatem ſine populi ſuffragijs gerit.

Cercurum.) κέρκουρος Græcè dicitur nauis cum grandi & longè extenſo clauo inſtar caudę, unde nomen habet. Dicitur & κέρκυρος ut teſtatur Ariſtophanis interpres, addens pleraſq; naues dictas à locis in quibus ędificabantur. Sic parones à paro. Cercurus à Corcyra quæ & Cercyra.

Periſtromata Babylonica.) Babylones in texendis artificioſe tapetibus & ſtragulis facile primi erant, ut teſtatur Polybius. Periſtromata autem ſunt quæ ad quæcunque inſternuntur.

Sambucas.) ποιητικῶς κατὰ συνεκδοχὴν pro illis qui ludunt ſambucis. Eſt autem muſicum inſtrumentum notum ueteribus de quo Suidas & Athenæus.

Non uendo logos.) Ficta mentitaq; uerba pro ueris proloquor. λόγοι aliquando pro uerbis inanibus ſumuntur.

SCENA VI.

Eleutheriam capere.) Hoc eſt libertatem. Eſt autem ἐλευθερία libertatis Dea, hanc optat ut capiat illum, quod ex uotis primarijs ſeruorum eſſe oſtendit Donatus in Eunuchũ.

SCENA VII.

Certum eſt muſtelæ poſthac nunquam credere.) Videtur ad uulgi opinionem reſpicere. Creditum enim olim hoc animal infauſtũ, inauſpicatumq; eſſe ijs qui haberẽt domi.

Inter cuneos ferreos.) Nihil arctius ſtringitur & arctatur quàm quod ferreis cuneis adigitur.

Prothymias.) προθυμία eſt animi facilitas & promptitudo ad aliquid facile faciendum.

Potione uincea.) A uinciendo deduxit, qua ſtrangulationem malorum omnium extremũ remedium intelligit. Nec refert iuncea ſi legatur, nam ex iũco reſtes fieri & funes docet Plinius, unde funambuli dicuntur Græcis σχοινοβάται.

SCENA XII.

Monotrophe.) Qui ſolus abſque conuiuis domi cœnat, monotrophe cœnarę dicitur, ab eo quòd ſibi ſoli uictum promat.

Interrupto lupillo.) Diminutiuum fecit à lupino. Interrupto autem pro excaſtrato, & excorticato poſuit.

Batiocis.) Hoc eſt multa comprehendentibus. ἀπὸ τῶ βαθὺ ἔχειν.

Poterio.) ποτήριον cuiuſuis generis poculum.

Efficimus pro opibus noſtris mœnia.) Vide Chiliad.

Fontali, an Libero.) Fontalis apud Tertullianum Deus fontium. Liber, Bacchus pater.

Cynice accipiemur.) Abiectum genus hominum Cynici philoſophi, & promiſcue apud omnes paſſim uictum quęrentium. Itaque Cynicè mendicorum more.

Stratege noſter.) Iocoſe Strategum appellat eum, qui bibendi leges & rationem præſcribit, uelut dux militibus.

Cantio eſt Græca.) Copioſe & explicatum & caſtigatum ab Eraſmo.

Decuma fonte.) Fons crateram ſignificans fœmininum eſt poſitione inquit Scaurus, citans hunc Plauti locum. Decuma autem id eſt magna, & prægrandi notum ex Politia ni miſcellaneis.

SCENA XIIII.

Cynędicum.) Mollem laſciuiam, quales Cynędi impuri homines.

Sic furi datur.) Summa laſciuia ſubeſt, quam honeſtę aures nolunt audire.

Staticulis ſtare.) Staticula ſunt quoties laſciue ſtant ſaltantes, nec loco mouetur is qui ſtat, alio qui ex aduerſo ſaltat ſubterfugiente, quaſi non potente ferre impetū ſtantis.

M. ACTII PLAVTI

TRINVMMVS.

DRAMATIS PERSONAE.

LVXVRIA, *prologus.*
INOPIA.
MEGARONIDES, *ſenex.*
CALLICLES, *ſenex.*
LYSITELES, *adoleſcens.*
PHILTO, *ſenex.*
LESBONICVS, *adoleſcens.*
STASIMVS, *ſeruos.*
CHARMIDES, *ſenex.*
SYCOPHANTA.

ARGV-

ARGVMENTVM.

THeſaurum abſtruſum domo abiens peregre Charmides,
Remq́; omnem amico Callicli mandat ſuo.
Iſtoc abſente male rem perdit filius:
Nam & ædeis uendit: has mercatur Callicles.
Virgo indotata ſoror iſtius poſcitur.
Minus quo cum inuidia ei det dotem Callicles,
Mandat qui dicat aurum ferre ſeſe à patre.
Vt uenit ad ædeis, hunc deludit Charmides
Senex ut rediit, quoius nubunt liberi.

ALIVD ARGVMENTVM.

ABiens Charmides peregre, rem omnem Callicli commẽdat ſuo, filiamq́; & aurum, quod habebat defoſſum domi. ſuſpectus nãq; ei erat Lesbonicus filius, ne abſente ipſo rem diſperderet. mandat itaque ſi obeat peregre, filiam ut marito, atq; theſaurum pro dote tradat. Profecto igitur in Seleuciã patre, filius proponit uenales ædeis: eas mercatur Callicles, eo propoſito, ut cum reueniat, amico Charmidi reddat. Interea Lyſiteles Philtonis filius ſummo ex genere et optimis ornatus moribus, ſodalis Lesbonici, ſororem ſibi uxorem dari, atq; indotatam petit. Callicles id ratus ſibi uitio uorti, dandam uirginẽ & dotem cenſet: & ne quicquam de auro ſuboleat Lesbonico, ſubornat ſycophantam graphicum, qui ſe dicat à Charmide ferre aurum & literas. is tribus conducitur nummis, & ob hoc Trinummus dicta eſt Comœdia: qui cum ueluti peregrinus incederet, Charmidi forte domum redeunti fit obuius: diu deludit illum Charmides, qui ab eo qui ipſus erat ſe miſſum autumat. Domum itaq; reueniens offendit Staſimum ſeruum & Calliclem ſocium: ab his rem omnem edoctus, filiam ſponſatam reperit: factum probat: Lyſiteliq; denuo ſuam ſpondet filiam, Calliclisq; dat filio Lesbonico.

PROLOGVS.

LVXVRIA, & INOPIA.

LV. *SEquere me mea gnata, ut munus fungaris tuum.*
IN. *Sequor, ſed finem fore quem dicam, neſcio.*
LV. *Adeſt. hem illæ ſunt ædeis, i intrò nunc iam.*

Nunc ne quis erret uoſtrum, paucis in uiam
Deducam, ſi quidem operam promittitis dare.
Nunc primum igitur, quæ ego ſim, & quæ illa hæc etiam ſiet
Huc quæ abijt intrò, dicam, ſi animum aduortitis.
Primùm mi Plautus nomen LVXVRIAE *indidit,*
Tum mihi gnatam hanc is eſſe uoluit, INOPIAM.
Sed huc quid introierit impulſu meo,
Accipite, & date mihi uacuas aureis dum eloquor.
Adoleſcens quidam eſt, in hiſce qui habitat ædibus.
Is rem paternam me adiutrice perdidit.
Quoniam, qui me aleret, nihil eſſe uideo reliqui,
Dedi meam gnatam, qui cum ætatem exigat.
Sed de argumento ne expectetis fabulæ:
Senes qui huc uenient, hi rem uobis aperient.
Nam nomen Græce huic eſt THESAVRO *fabulæ.*
Philemon ſcripſit, Plautus uortit barbare:
Nomen TRINVMMO *fecit. nunc hoc uos rogat,*
Vt liceat poßidere hanc nomen fabulam,
Tantum eſt. ualete, adeſte cum ſilentio.

ACTVS PRIMVS.

MEGARONIDES.

NE amicum caſtigare ob meritam malam noxiam,
Immane eſt facinus, uerùm in ætate utile, & cōducibile.
Nam ego amicum hodie meum concaſtigabo pro commerita noxia
Inuitus, ni me id inuitet ut faciam fides. nam hic nimiū morbus
Mores inuaſit bonos, ita plerunq; omnes iam ſunt intermortui.
Sed dum illi ægrotant, interim mores mali quaſi herba irrigua
Succreuerunt uberrime. neque quicquam hic uile nunc eſt,
Niſi mores mali: eorum licet iam meſſem metere maxumam.
Nimioq; hic pluris pauciorum gratiam faciunt pars hominum,
Quàm id, quod proſit pluribus: ita uincunt illud
Conducibile, gratiæ, quæ in rebus multis obſtant,

Odioſæq́; ſunt, remoramq́; faciunt rei priuatæ & publicæ.

CALLICLES, MEGARONIDES, ſenes.

C. Larem corona noſtrum decorari uolo. uxor uenerare, ut
Nobis hæc habitatio bona, fauſta, felix, fortunataq́;
eueniat,
Teq́; ut quàm primum poſſim, uideam emortuam.
M. Hic ille eſt, ſenecta ætate qui factus eſt puer, qui admiſit
In ſe culpam caſtigabilem, aggrediar hominem.
C. Quoia uox prope me ſonat? M. tui beneuolens, ſi ita es, ut
ego uolo:
Sin' aliter es, inimici atque irati tibi. C. ô amice ſalue, atque
Aequalis. ut uales Megaronides? M. & tu ædepol ſalue Cal-
licles.
Valen'? ualuiſtin'? C. ualeo, & ualui rectius. M. quid agit
Tua uxor? ut ualet? C. plus quàm ego uolo. M. bene hercle
Eſt, illam tibi bene ualere & uiuere. C. credo hercle te
Gaudere, ſiquid mihi mali eſt. M. omnibus amicis quod mihi eſt
Cupio eſſe idem. C. cho tua uxor quid agit? M. immortalis eſt,
Viuit, uicturaq́; eſt. C. bene hercle denuntias, deosq́; oro ut
Vitæ tuæ ſuperſtes ſuppetat, dum quidem hercle tecum nupta
Sit. M. ſane uelim. C. uin' commutemus, tuam ego ducam,
Et tu meam? faxo haud tantillum dederis uerborum mihi.
Neque enim tu credo mihi imprudenti obrepſeris, ne tu hercle
Faxo haud ſcias, quam rem egeris. M. habeas ut nactus.
NOTA MALA RES, optuma'ſt: nam ego nunc ſi ignotam
capiam, quid
Agam neſciam ædepol. PROINDE VT bene uiuitur, diu
Viuitur. ſed hoc animum aduorte, atque aufer ridicularia.
Nam ego dedita opera huc ad te aduenio. C. quid uenis?
M. Malis te ut uerbis multis multum obiurgem. C. men'?
M. Num quis eſt hic alius præter te, atque me? C. nemo'ſt. quid
igitur?
M. Rogitas? tene obiurgitem? niſi tute mihi me cenſes
Dicturum male. nam ſi in te ægrotant artes animi tui,

Sin immutare uis ingenium moribus, aut ſi demutant mores
Ingenium tuum, neque eos antiquos ſeruas, aſt captas nouos:
Omnibus amicis morbum tu incuties grauem: ut te uidere,
Audireq́; ægroti ſient. C. quid in mentem uenit
Tibi iſtæc dicta dicere? M. quia omneis bonos, bonasq́;
Accurare addecet ſuſpicionem & culpam ut ab ſeſe ſegregent.

C. Non poteſt utrunq; fieri. M. quapropter? C. rogas? ne admittam
Culpam ego meo ſum promus pectori, ſuſpicio eſt in pectore alieno (pite
Sita. nam nunc ego ſi te ſurripuiſſe ſuſpicer Ioui coronam de ca
E capitolio, quod in culmine aſtat ſummo: ſi id non feceris, atque
Id tamen mihi lubeat ſuſpicarier: quid tu id prohibere me potes,
Ne ſuſpicer? ſed iſtuc negotij ſcire cupio quicquid eſt. M. haben
Tu amicum aut familiarem quempiam, quoi pectus ſapiat?

C. Aedepol haud dicam dolo. ſunt, quos ſcio eſſe amicos: ſunt, quos ſuſpicor:
Sunt, quorum ingenia, atq; animos non poſſim noſcere, ad amici
Partem, an inimici perueniam. ſed tu ex amicis certis mihi es
Certiſſumus. ſi quid ſcis me feciſſe inſcite aut improbe, ſi id me
Non accuſas, tute ipſe obiurgandus es, ſcio. M. & ſi huc alia cauſſa
Ad te adueni, æquom poſtulas. C. expecto ſi quid dicas.

M. Primum dum omnium, male dictitatur tibi uolgo in ſermonibus:
Turpilucricupidũ te uocant ciues tui: tum autem ſunt alij, qui te
Volturium uocant: hoſteiſne, an ciueis comedis, paruipendere:
Hæc cum audio in te dici, excrucior miſer. C. eſt atque non eſt
Mihi in manu Megaronides. quin dicant, non eſt: merito ut ne dicant,
Id eſt. M. fuitne hic tibi amicus Charmides? C. eſt, & fuit: id ita eſſe,
Vt credas, rẽ tibi autorẽ dabo. nam poſtq̃ hic eius rem confregit
Filius, uidetq́; ipſe ad paupertatem protractum eſſe ſe, ſuamq́;
Filiam eſſe adultam uirginem, ſimul eius matrem, ſuamq́; uxorem, mortuam

Quo-

Quoniam hinc iturus'ſt ipſe in Seleuticam, mihi commendauit uirginem
Gnatam ſuam, & rem ſuam omnem, & illum corruptum filium.
Hic ſi inimicus eſſet, credo haud crederet. M. quid tu adoleſcentē
Quem eſſe corruptū uides, qui tuæ mandatus eſt fidei & fiduciæ,
Quin eum reſtituis? quin ad frugem corrigis? ei rei operam dare te fuerat
Aliquanto æquius, ſi qui probiorē facere poſsis, nō uti in eandem
Tute accederes infamiam, malumq; ut eius cum tuo miſceres
Malo. C. quid feci? M. quod homo nequā. C. non iſtuc meum eſt.
M. Emiſtin' de adoleſcēte has ædes? quid taces? ubi nūc tute habitas?
C. Emi atque argentum dedi, minas quadraginta adoleſcenti ipſi
In manum. M. dediſtin' argentum? C. factum, neq; facti piget.
M. Aedepol fidei adoleſcētis mandatū male. dediſti næ hoc pacto ei
Gladium, qui ſe occideret. quid ſecus eſt, aut quid intereſt, dare
Te in manus argentū amanti homini adoleſcenti, animi impoti,
Qui exædificaret ſuam inchoatam ignauiam? C. non ego
Illi argentum redderem? M. nō redderes, neq; de illo quicquam
Neq; emeres, neq; uēderes, nec qui deterior eſſet, faceres copiā.
Inconciliaſtin'? eum qui mandatu'ſt tibi? illum, qui mandauit, eum
Exturbaſti ex ædibus? ædepol mandatum pulchre, & curatum probe.
Crede huic tute, iam ſuā melius rē geſſerit. C. ſubigis maledictis
Metuis Megaronides nouo modo, adeò, ut quod meæ concreditum
Sit taciturnitati clàm, fidei & fiduciæ, ne enuntiarē quoiquam,
Neu facerem palàm, ut mihi neceſſe ſit iam id tibi concredere.
M. Mihi quod credideris ſumes, ubi poſueris. C. circumſpicedum te, ne
Quis adſit arbiter nobis, & quæſo itidem idem circumſpice.
M. Auſculto ſi quid dicas. C. ſi taceas, loquar. quoniam hinc eſt
Profectus peregre Charmides, theſaurum mihi demonſtrauit
In hiſce ædibus, hic in conclaui quodam. ſed circumſpice.
M. Nemo eſt. C. nummorum Philippeûm ad tria millia.

Id ſolus ſolum per amicitiam,& per fidem flens me obſecrauit,
Suo ne gnato crederem,neue quoiquam,unde ad eum id
Poſſet permanaſcere. nunc ſi ille huc ſaluos reuenit,reddam
Suum ſibi. ſi quid eo fuerit, certo illius filiæ, quæ mihi mandata
Si habeo,dotem unde dem,ut eam in ſe dignam conditionem
Collocem. M. proh di immortales uerbis paucis quàm cito
Alium feciſti me,alius ad te ueneram. ſed ut occœpiſti, perge
Porrò proloqui. C. quid tibi ego dicam,qui illius ſapientiam,
Et meam fidelitatem,& cælata omnia pene ille ignauos
Funditus peſſumdedit? M. qui dum? C. quia rure dum ſum,
Ego unos ſex dies,me abſente atque inſciente,inconſultu meo,
Aedes uenales haſce inſcribit literis. adeſuriuit magis
Et inhiauit acrius lupus: obſeruauit,dum dormitarent canes,
Gregem uniuerſum uoluit ſecum auortere. feciſſet ædepol,
Ni hæc præſenſiſſent canes. ſed nũc rogare ego uiciſſim te uolo
Quid fuit officium meum me facere,face ſciam,utrum indicare
Me ei theſaurum æquom fuit,aduorſum quod eius
Me obſecrauiſſet pater: an ego alium dominum paterer
Fieri hiſce ædibus,qui emiſſet? eius eſsétne eius pecunia?
Emi egomet potius ædeis,argentum dedi theſauri
Cauſſa,ut ſaluom amico traderem. neque adeò haſce emi
Mihi, nec uſuræ meæ: illi redemi rurſum, à me argentum dedi.
Hæc ſunt: ſeu recte,ſeu peruorſe,facta ſunt,egomet feciſſe
Confiteor Megaronides: hem mea malefacta,hem meam
Auaritiam tibi. haſcine me propter res,maledictas
Famas ferunt? M. pauſa,uiciſti caſtigatorem tuum: occluſiſti
Linguam,nihil eſt qui reſpondeam. C. nunc ego te quæſo,
Vt me opera & conſilio iuues,communicesq; hanc mecum meam
Prouinciã. M. polliceor operã. ergo ubi eris paulopoſt? C. domi.
Numquid uis? M. cures tuam fidẽ. C. fit ſedulo. M. ſed quid ais?
C. Quid uis? M. ubi nunc adoleſcens habet? C. poſticulum
Hoc recepit,quom ædeis uendidit. M. iſtuc uolebam ſcire.
I ſanè nunc iam. ſed quid ais? C. quid? M. nunc uirgo nempe
apud te eſt?

C. Ita eſt, iuxtaq; eam curo cum mea. M. rectè facis. C. num prius
Quã abeo, me rogitaturus? M. uale. nihil eſt profectò ſtultius
Neq; ſtolidius, neq; mendaciloquius, neq; argutum magis,
Neq; confidentiloquius, neq; periurius, quàm urbani aſsidui
Ciues, quos ſcurras uocant. atq; egomet me adeò cum illis
Vnà ibidem traho, qui illorum uerbis falſis acceptor fui:
Qui omnia ſe ſimulãt ſcire, nec quicquam ſciunt.
Quod quiſque in animo habent, aut habituri ſunt,
Sciunt. id quod in aurem rex reginæ dixerit, ſciunt. quod
Iuno fabulata ſit cum Ioue: quæ neq; futura, neq; facta ſunt,
Tamen illi ſciunt. falſòne an uere laudent, culpent, quẽ uelint,
Non floccifaciunt, dum illud quod lubeat ſciant. omnes
Mortales hunc aiebant Calliclem indignum ciuitate hac
Eſſe uiuere, bonis qui hunc adoleſcentem euertiſſet ſuis.
Ego de uerbis eorum famigeratorum inſcius, proſilui amicum
Caſtigatũ innoxiũ. quòd ſi exquiratur uſq; ab ſtirpe autoritas,
Vnde quicquid auditum dicam: niſi id appareat, famigerator
Næ ſit cum damno & malo. hoc ita ſi fiat, publico fiat bono:
Pauciſſumi faxim, qui ſciant quod neſciunt, occluſioremq; habeant ſtultiloquentiam.

ACTVS SECVNDVS.

LISITELES, adoleſcens.

MVltas res ſimul in meo corde uorſo, multũ in cogitãdo
Dolorem indipiſcor, egomet me conquoquo, & macero, & defatigo.
Magiſter mihi exercitor animus hinc eſt. ſed hoc non liquet,
Nec ſatis cogitatũ, utram potius harum mihi artẽ expeteſſam,
Vtram ætati agundæ arbitrer firmiorem, amorine, an rei
Obſequi potius par ſiet: utra in parte plus uoluptatis ſit uitæ
Ad ætatem agundam, de hac re mihi ſatis haud liquet. niſi hoc
Sic faciam, opinor utrãq; rem ſimul exputẽ: iudex ſim reuſue
Ad eam rem: ita faciam, ita placet, omnium primum
Amoris artes eloquar, quemadmodũ expediant. NVNQVAM

AMOR quenquã niſi cupidum hominẽ poſtulat: ſe in plagas
Coniĳcere eos cupit, eos conſectatur, ſubdole blanditur, ab re
Cõſulit, blandiloquentulus, harpago, mendax, cupes, auarus,
Elegans, deſpoliator, latebricolarum hominum corruptor,
Blandus, inops, cælati indagator. nam quàm ad quod clamat,
Quàm extemplo ſæuis ſagittis percuſſus eſt, illico res foras
Labitur, liquitur. da mihi hoc mel meum, ſi me amas, ſi audis,
Ibi ille cuculus, ocelle mi, fiat & iſtuc: & ſi amplius uis dari,
Dabitur. ibi illa pendemem ferit. iam amplius orat. non ſat
Id eſt mali, ni amplius etiam, quod bibit, quod come'ſt,
Quod facit ſumpti. nox datur, ducitur familia tota,
*Veſtiſpici, unctor, auri cuſtos flabelliferæ, ſandaligerulæ, (*Veſticipĳ.)
Cantrices, ciſtellatrices, nũtĳ, renũtĳ, raptores panis & peni.
Fit ipſe, dũ illis comis eſt, inops amator. hæc ego quom ago cũ
Meo animo, & recolo, ubi qui eget, q̃ pretĳ ſit parui. apage te
Amor, non places, nihil te utor, quanquàm illud eſt dulce, eſſe
& bibere.

Amor amara dat tibi ſatis, quod ægre ſit, fugit forum:
Fugat uos cognatos, fugat ipſe ſe à ſuo contuitu:
Neq; enim eum ſibi amicum uolunt dici, mille modis amor
Ignorandu'ſt, procul adhibendus eſt, atq; abſtinendum.
NAM QVI IN AMORE præcipitauit, peius perit, quàm
ſi ſaxo ſaliat.

Apageſis amor, tuas res tibi habe, amor mihi amicus ne fuas
unquam.

Sunt tamen quos miſeros, maleq; habeas, quos tibi obnoxios
Feciſti. certu'ſt ad frugẽ applicare animum: quanq̃ ibi animo
Labos grãdis capitur: boni ſibi hæc expetũt, rẽ, fidem, honorẽ,
Gloriam, & gratiam: hoc probis pretiu'ſt: eo mihi magis lubet
Cum probis potius, quàm cum improbis uiuere uanidicis.

PHILTO, ſenex. LYSITELES, adoleſcens.

P. QVò illic homo ſe penetrauit ex ædibus? L. pater adſum,
Impera quid uis, neque tibi ero in mora, neque latebro
ſe me abs tuo

Conſpe-

Conſpectu occultato. P. feceris par tuis cæteris factis, patrem
Tuum ſi percoles per pietatem nolo ego cum improbis te uiris
Gnate mi neq; in uia, neq; in foro ullum ſermonem exequi.
Noui ego hoc ſeculũ moribus quibus ſit, MALVS bonum malum
Eſſe uolt, ut ſit ſui ſimilis: turbant, miſcent mores mali, rapax,
Auarus, inuidus, ſacrum prophanũ: publicum priuatũ habent:
Hiulca gens. hæc ego doleo, hæc ſunt quæ excruciant.
Hæc dies, noctesq́; tibi canto, ut caueas. quod manu non queunt
Tangere, tantum fas habent, quo manus abſtineant.
Cætera rape, trahe, fuge, late. lachrymas, hæc mihi, quom ui-
Eliciũt, quia ego ad hoc genus hoĩm duraui, quin prius (deo,
Me ad plureis penetraui, nam ij mores maiorum laudant,
Eoſdem latitant, hiſce ego te artibus gratiam facio, neu colas,
Neu imbuas ingenium, meo modo & moribus uiuito antiquis.
Quæ ego tibi præcipio, hæc facito: nihil ego iſtos moror fatuos
Mores, & turbidos, quibus boni dedecorãt ſe. hæc tibi, ſi mea
Imperia capeſſes, multa bona in pectore conſident.
L. Semper uſque ad hãc ætatem ab ineunte adoleſcentia
Tuis ſeruiui ſeruitutem imperijs, & præceptis pater.
Proin' ego me liberum eſſe ratus ſum, pro imperio tuo
Meum animum tibi ſeruitutem ſeruire æquom cenſui.
P. QVI HOMO cum animo inde ab ineunte ætate depugnat ſuo,
Vtrum id itáne eſſe mauelit, ut eum animus æquom cenſeat,
An ita potius, ut parentes eum eſſe, & cognati uelint?
Si animus hominẽ perpulit, actũ eſt: ſi animo ſeruiuit, nõ ſibi:
Si ipſe animum perpulit, dum uiuit, uictor uictorum cluet.
Tu ſi animum uiciſti potius q̃ animus te, eſt quod gaudeas.
Nimio ſatius tui opu' ſt, te ita eſſe, quàm ut animo lubet.
QVI ANIMVM uincunt, quàm quos animus, ſemper probiores
Cluent. L. iſtæc ego mihi ſemper habui ætati tegumentum
Meæ, ne penetrarem me uſquã, ubi eſſet damni conciliabulum.
Ne noctu irem obambulatum, neu ſuum adimerem alteri.
Neu tibi ægritudinem pater parerem, parſi ſedulo.

Sarta tecta, tua præcepta uſque habui mea modeſtia.

P. Quid exprobras, bene quod feciſti: tibi feciſti, non mihi.
Mihi quidem ætas acta eſt, tua iſtuc refert maxume.
IS PROBVS EST, QVEM non pœnitet, quàm probus ſit, & frugi bonæ.
Benefacta benefactis alijs pertegito, ne perpluam.
Qui ipſus ſe contemnit, in eo' ſt indoles induſtriæ.

L. Ob eã rem hæc pater autumaui, quia res quædã' ſt, quam uolo
Ego me abs te exorare. P. quid id eſt? ueniam iam dare geſtio.

L. Adoleſcenti huic genere ſummo, amico, atque æquali meo,
Minus qui caute, & cogitate ſuam rem tractauit pater,
Bene uolo ego illi facere, ſi tu non abnuis. P. nempe de tuo.

L. De meo: nam quod tuu' ſt, meu' ſt: omne meum, eſt autẽ tuum.

P. Quid, is egétne? L. eget. P. habuitne rem? L. habuit.

P. Quî eam perdidit? publiciſne affinis fuit, an maritumis
Negotijs? mercaturámne, an uenales habuit, ubi rem perdidit?

L. Nihil iſtorum. P. quid igitur? L. per comitatem ædepol
Pater, præterea aliquamũ animi cauſſa in delicijs diſperdidit.

P. AEDEPOL hominem prædicatum fermè familiariter, qui
Quidem nunquam per uirtutem rem confregit, atque eget.
Nihil moror eum tibi eſſe amicum cum eiuſmodi uirtutibus.

L. Quia ſine omni malitia, ſi tolerare eius egeſtatem uolo.

P. DE MENDICO male meretur, q ei dat quod edat, aut quod bibat:
Nam & illud quod dat, perdit, & illi producit uitã ad miſeriã.
Non eò hoc dico, quin quæ tu uis, ego uelim, & faciã lubens.
Sed ego hoc uerbum quom illi quoidam dico, præmonſtro tibi,
Vt ita aliorum miſereat, caue tui alius miſereat.

L. Deſerere illum, & deiuuare in rebus aduorſis pudet.

P. Pol pudere, quàm pigere præſtat, totidem literis. L. ædepol
Deûm uirtute dicam pater, & maiorum, & tua, multa bona
Bene parta habemus: bene ſi amico feceris, ne pigeat feciſſe:
At potius pudeat ſi non feceris. P. de magnis diuitijs ſi quid
Demas, plus fit, an minus? L. minus pater. ſed ciui

Immu-

Immunifico ſcis quid cantari ſolet, QVOD habes, ne habeas.
Et illud, quod nunc non habes, habeas malum: quandoquidem
Nec tibi bene eſſe potes pati, nec alteri. P. ſcio equidem
Iſtuc ita ſolere fieri: uerum gnate mi, is eſt immunis, quoi
Nihil eſt, qui munus fungatur ſuum. L. deûm uirtute
Habemus, & qui noſmet utamur pater, & alijs qui comitati
Simus beneuolentibus. P. non ædepol tibi pernegare poſſum
Quicquam, quod uelis. quoius egeſtatem tolerare uis? loquere
Audacter patri. L. Lesbonico huic adoleſcẽti Charmidæ filio,
Qui illic habitat. P. qui comedit quod fuit, quod non fuit?

L. Ne opprobra pater: MVLTA ueniunt homini, quæ uolt, quæ ne uolt.

P. Agedũ eloquere, quid dare illi nũc uis? L. nihili quicquã pater.
SAPIENTIAE AETAS CONDIMENTV' ſt, ſapiens ætati cibus eſt.

P. Mẽtire ædepol gnate, atq; id nunc facis haud conſuetudine.
Nam ſapiens quidem pol ipſe fingit fortunam ſibi.
Eò ne multa quæ ne uolt: eueniunt, niſi fictor malus ſiet.

L. Multa opera opus fictuare, qui ſe fictorem probum
Vitæ eſſe agundæ expetit. ſed hic admodum adoleſcẽtulus.

P. NON ætate, uerum ingenio adipiſcitur ſapientia.

L. Tu modo ne me prohibeas accipere, ſi quid det mihi.

P. An eo ægeſtatem tu tolerabis, ſi quid ab illo acceperis?

L. Eò pater. P. pol ego iſtam uolo me rationem edoceas.

L. Licet. ſcin' tu illũ quo genere gnatus ſit? P. ſcio apprime, probo

L. Soror illi eſt adulta uirgo grandis, eam cupio pater ducere
Vxorẽ. P. ſine dote? L. ſine dote. P. uxorẽ? L. ita, tua re ſalua.
Hoc pacto ab illo inibis ſummam gratiam, neq; commodius
Vllo pacto ei poteris auxiliarier. P. ego indotatam te
Vxorẽ ut patiar? L. patiundum eſt pater, & eo pacto
Addideris noſtræ lepidam famã familiæ. P. multa ego poſſum
Docta dicta, & quamuis facunde loqui, hiſtoriam ueterem
Atq; antiquam hæc mea ſenectus ſuſtinet, uerùm ego quandò
Te & amicitiam & gratiam in noſtram domũ uideo allicere,

Etſi

Etſi aduorſatus tibi fui, iſtæc iudicio tibi permitto: poſce, duce.
L. Di te ſeruaßint mihi. ſed adde ad iſtam gratiam unum.
P. Quid id eſt autem unum? L. eloquar. tute ad eum adeas,
Tute concilies, tute poſcas, ecce res nimio citius
Tranſiges. firmum omne erit, quod tu egeris, grauius erit
Tuum unum uerbum ad eã rem, q̃ centum mea. P. ecce autem
In benignitate hoc reperi negotium, dabitur opera.
L. Lepidus uiuis, hæ ſunt ædes, hic habet, Lesbonico
Eſt nomen. age rem cura, ego te operiar domi.

PHILTO, ſenex.

NOn optuma hæc ſunt, neq; ego ut æquom cenſeo:
Verùm meliora ſunt, quàm quæ deterruma.
Sed hoc unum conſolatur me, atq; animum meum,
QVIA qui nihil aliud, niſi quod ſibi ſoli placet,
Conſulit, aduorſum filium nugas agit,
Miſer ex animo fit. ſatius nihilo facit
Suæ ſenectuti: is acriorem hyemem parat,
Quom illam opportunam tempeſtatem conciet.
Sed aperiuntur ædes, quò ibam. commode
Ipſe exit Lesbonicus cum ſerno foras.

LESBONICVS, adoleſcens. STASIMVS, ſeruos.
PHILTO, ſenex.

L. MInus quindecim dies ſunt, quòd pro his ædibus minas quadraginta
Accepiſti à Callicle: éſtne hoc quod dico Staſime? S. quom conſydero,
Meminiſſe uideor fieri. L. quid factu'ſt eo? S. comeſum,
Expotum, exutum, clotum in balneis: piſcator, piſtor abſtulit:
Lanij, coqui, holitores, myropolæ, aucupes: confit cito
Quàm ſi tu obijcias formicis papauerem. L. nimis hercle
In hiſce rebus ſumptus eſt eximius. S. quid quod dediſti ſcortis?
L. Ibidem unà traho. S. quid quod ego defraudaui?
L. Hem iſta ratio maxuma eſt. S. non tibi illud apparere,
Si ſumas, poteſt, niſi tu immortale rere eſſe argentum tibi.

SERO

SERO ATQVE ſtulte prius quod cautum oportuit, poſtquã
Comedit rem,poſt,rationem putat. L.nequaquam argenti
Ratio comparet tamen. S. ratio quidem hercle apparet:
i.pe- Argentum οἴχεται:minas quadraginta accepiſti à Callicle,
ryt Et ille ædeis abs te mancupio accepit. L. admodum.
P. Pol opinor affinis noſter ædeis uendidit:pater quom peregre
Veniet,in porta eſt locus,niſi forte inuenire filiũ quom repſerit.
S. Trapezitæ mille drachmarum olympicûm,quas de ratione
Debuiſti,redditæ. L.nempe quas ſpopondi. S.imò
Quas dependit, inquit, qua ſponſione pronuper tu exactus es
Pro illo adoleſcente,quem tu aiebas eſſe diuitem factum,
Vt quidem illud perierit. L.factum id quoque eſt.
Nam nunc eum uidi miſerum,& me eius miſertu'ſt.
S. Miſeret te aliorum,tui te nec miſeret,nec pudet.
P. Tempus adeundi. L.eſtne hic Philto qui aduenit?
Is hercle eſt ipſus. S. ædepol næ ego iſtum uelim meum
Fieri ſeruom cum ſuo peculio. P.herũ atq; ſeruom plurimum
Philto iubet ſaluere Lesbonicum & Staſimum. L. di duint
Tibi Philto quæquonque optes. quid agit filius?
P. Bene uolt tibi. L.ædepol mutuum mecum facit.
S. Nequicquam illud uerbu' ſt,bene uolt,niſi qui bene facit.
Ego quoq; uolo eſſe liber,nequicquam uolo.hic poſtulat
Frugi eſſe,nugas poſtulat. P. meus gnatus me ad te
Miſit,inter ſe atq; uos affinitatem ut conciliarem & gratiam.
Tuam uolt ſororem ducere, & mihi
Sententia eade'ſt,& uolo. L.haud neſcio,tu
Bonis tuis rebus meas res irrides malas. P.homo ego ſum,
Homo tu es,ita me amabit Iuppiter, neq; te deriſum ueni,
Neq; dignum puto:uerùm hoc,ut dixi,meus me orauit filius,
Vt tuam ſororem poſcerem ſibi uxorem. L.mearum rerum
Me nouiſſe æquo'ſt ordinem,cum uoſtris noſtra non eſt
Aequa factio,affinitatem uobis aliam quærite.
S. Satin' tu ſanus mentis,aut animi tui, qui conditionem
Hanc repudies?nam illum tibi ferentarium eſſe amicum

Inuen-

Inuentum intelligo. L. abin' hinc dierecte? S. ſi hercle
Ire occipiam uotis. L. niſi quid me aliud uis Philto, tibi
Reſpondi. P. benigniorem Lesbonice te mihi, quàm nunc
Experior eſſe, cõſido fore: nã & ſtulte facere, & ſtulte fabula-
Vtrũq; Lesbonice in ætate haud bonu'ſt. S. uerũ hercle (rier,
Hic dicit. L. oculum tibi effodiam, ſi uerbum addideris.
S. Hercle quid dicam tamen: nam ſi ſic non licebit, luſcus dixero.
P. Ita tu nunc dicis, non eſſe æquiparabiles uoſtras cum noſtris
Factiones, atque opes? L. dico. P. quid tunc, ſi in ædem
Ad cœnam ueneris, atq; ibi opuletus tibi par forte ut uenerit,
Appoſita ſit cœna, popularem quã uocant, ſi illi congeſtæ
Sint epulæ à clietibus, ſi quid tibi placeat, quod illi cõgeſtũ ſiet,
Edéſne, an incœnatus cum opulento accumbes? L. edam,
Niſi ſi ille uetet. S. at pol ego etiã ſi uetet edam, atq; ambabus
Malis expletis uorem, & quod illi placeat præripiã potiſſumũ.
Neque illi concedam quicquam de uita mea. VERECVNDARI
neminem
Apud mẽſam decet: nam ibi de diuinis atq; humanis cernitur.
P. Rem fabulare. S. non tibi dicam dolo, decedam ego illi
De uia, de ſemita, de honore populi. uerũ quod ad uẽtrẽ attinet
Nõ hercle hoc lõge, niſi me pugnis uicerit: cœna hac annona eſt
Sine ſacris hæreditas. P. ſemꝑ tu hoc facito Lesbonice cogites,
Id optumum eſſe, tute ut ſis optumus: ſi id nequiueris, ſaltem ut
Optumis ſis proxumus. nunc conditionem hanc quã ego fero,
Et quã abs te peto, dare, atq; accipere Lesbonice te uolo. dei
Diuites ſunt, deos decet opulẽtia, et factiões: uerũ nos homũcu
Salillũ animæ, quæ cũ extemplo amiſimus, æque mẽdicus (li,
Atq; ille opulentiſſumus cenſetur ad Acherontem mortuus.
S. Mirum ni tu illuc tecum diuitias feras, ubi mortuus ſis.
Ita ſis ut nomẽ cluet. P. nunc ut ſcias hic factiones, atq; opes
Non eſſe, neq; nos tuam neglegere gratiam, ſine dote poſco tuã
Sororem filio: quæ res bene uortat. habeon' pactã? quid taces?
S. Proh di immortales cõditionem quoiuſmodi. P. quin fabulare.
Di bene uortãt, ſpõdeo. S. heu ubi uſus nihil erat dicto, ſpõdeo,
Dice-

Dicebat:nunc hic quoniam opus eſt,non quit dicere.

L. Cum affinitate ueſtra me arbitramini dignum,habeo uobis
Philto magnã gratiã, ſed etſi hercles grauiter cecidit ſtultitia
Philto,eſt ager ſub urbe hic nobis,cũ dabo dotẽ ſorori: (mea
Nam is de ſtultitia mea ſolus ſuperſit præter uitam reliquos.

P. Profecto dotem nihil moror. L.certu' ſt dare.

S. Noſtrámne nutricem here,quæ nos educat,abalienare
A nobis? caueſis feceris: quid edemus noſmet poſtea? L. etiam
tu taces?
Tibi ego rationem reddam.S.planè perimus,niſi quid ego
Comminiſcor.Philto te uolo.P.ſi quid uis Staſime.S.huc
Concede aliquantum. P. licet.S.arcano tibi ego hoc
Dico,ne ille ex te ſciat,néue alius quiſquam. P. crede
Audacter quid lubet.S.per deos atq; homines dico,ne tu
Illum agrum tuum ſinas unquam fieri,neq; gnati tui:
Ei rei argumentum dicã.P. audire ædepol lubet.S. primum
Omnium olim terra quom proſcinditur, in quinto quoq; ſulco
Moriuntur boues.P.apage.S.Acherontis oſtiũ in noſtro' ſt
Agro:tum uinum priuſquam coactu'ſt,pendet putidum.

L. Conſuadet homini credo:etſi ſceleſtus eſt,at mihi infidelis
Non eſt. S. audi cætera. poſt id frumenti quando albi meſſis
maxuma' ſt,
Tribus tantis illi minus reddit,q̃ obſeueris.P.hem iſtic
Oportet obſeri mores malos, ſi in obſerẽdo poſſint interficier.

S. Neq; unquam quiſquam,ſi quoius ille ager fuit,
Quin peſſume ei res uorterit,cuiûm fuit:alij exulatum
Abierunt,alij emortui,alij ſe ſuſpendêre.hem nunc hic
Quoius eſt,ut ad incitas redactus? P. apage à me iſtũ agrum.

S. Magis apage dicas,ſi omnia audiueris:nam fulguratiſſunt
Alternæ arbores,ſues moriuntur angina acerrume:
Oues ſcabræ ſunt,tam glabræ hem.quàm hæc eſt manus.
Tum autem Syrorum genus,quod patientiſſumum
Hominum,nemo extat,qui ibi ſex menſes uixerit:
Ita cuncti ſolſtitiali morbo décidunt. P.credo ego

Iſtuc Staſime ita eſſe. ſed Campas genus multo Syrorum
Iam ante it patientia. ſed iſte eſt ager profecto, ut te
Audiui loqui, malos in quem omnes publice mitti decet.
Sicut fortunatorum memorant inſulas, quò cuncti, qui
Aetatem egerunt caſte, conueniant: contrà iſtoc
Detrudi maleficos æquom uidetur, qui quidē iſtius ſint modi,
Hoſpitium eſt calamitatis. S. quid uerbis opu'ſt? quamuis
Malam rem quæras, illic reperias. P. at tu hercle ibi,
Et alibi. S. caueſis dixeris me tibi dixiſſe hoc. P. dixiſti
Arcano ſatis. S. quin hic quidem cupit illum ab ſeſe
Abalienarier, ſi quidem reperire poſſet quoius os ſublinat.
P. Meus quidem hercle nunquam fiet. S. ſi ſapies quidem.
Lepide hercle de agro ego hunc ſenem deterrui.
Nam qui uiuamus nihil eſt, ſi illum amiſerit.
P. Redeo ad te Lesbonice. L. dic ſodes mihi, quid hic
Locutus tecum? P. quid cenſes? homo'ſt,
Volt fieri liber. uerùm quod det, non habet.
P. Et ego eſſe locuples, uerùm nequicquam uolo. S. licitum,
Si uelles. nunc quoniā nihil eſt, nō licet. L. quid tecum Staſime?
S. De iſtoc quod dixiſti modo, ſi antea uoluiſſes, eſſes: nūc ſero cu-(pis.
P. De dote mecū cōuenire nihil poteſt: quid tibi lubet, tute
Agito cum gnato meo. nunc tuam ſororem filio poſco meo,
Quæ res bene uortat. quid nunc etiam, non uis? L. quid
Iſtuc? quandò ita uis, di bene uortant, ſpondeo. nunquam
Aedepol quoiquā tam expectatus filius natus, quàm illud eſt,
Spondeo natum mihi. S. di fortunabunt uoſtra conſilia.
P. Ita uolo. L. ſed Staſime abi huc ad meam ſororem ad Calliclē,
Dic hoc negotij quomodo actum eſt. S. ibitur.
L. Et gratulator meæ ſorori. S. ſcilicet. P. i hâc Lesbonice
Mecum, ut coràm nuptijs dies conſtituatur, eadem hæc confir-mabimus.
L. Tu iſtuc cura quod iuſſi, ego iam hic ero: dic Callicli, me ut
Conueniat. S. quin tu i modo. L. de dote ut uideat
Quid poſſit facito. S. i modo. L. nam certu'ſt ſine

Dote addere. S. quin tu i modo. L. neq; enim illi
Damno unquam eſſe patiar. S. abi modo. L. meam
Neglegentiam. S. i modo. L. ô pater, æquom uidetur.
Quin quod peccarim. S. i modo. L. potiſſumum mihi
Id obſit. S. i modo. L. ô pater, en unquam aſpiciam te?
S. I modo, i modo, i modo. tandem impetraui abiret. di
Voſtram fidem, ædepol re geſta peſſume, geſta probe,
Siquidem ager nobis ſaluus eſt, etſi admodum
In ambiguo'ſt etiam nunc quid de hac re fiat.
Sed id ſi alienatur, actu'ſt de collo meo: geſtandus
Peregre clypeus, galea, ſarcina: effugiet ex urbe, ubi erunt
Factæ nuptiæ, ibit iſtac aliquo in maxumam malam crucem
Latrocinatum aut in Aſiam, aut in Ciliciam. ibo huc
Quò mihi imperatu'ſt, etſi odi hanc domum:
Poſtquam exturbauit hic nos ex noſtris ædibus.

ACTVS TERTIVS.

CALLICLES, ſenex. STASIMVS, ſeruus.

C. QVomodo tu iſtuc Staſime dixiſti? S. noſtrũ herilẽ filium
Lesbonicũ ſuam ſororẽ deſpondiſſe hoc modo. C. quoi
Homini deſpõdit? S. Lyſiteli Philtonis filio, ſine dote.
C. Sine dote ille illam in tantas diuitias dabit? non credibile
Dicis. S. at tu ædepol nullus credas: ſi hoc non credis, ego
Credidero. C. quid? S. me nihil pendere. L. quamdudum
Iſtuc aut ubi actu'ſt? S. illico hic ante oſtium, tam modo
Inquit prænestinus. C. tantòn' in re perdita, quàm in re
Salua Lesbonicus factus eſt frugalior? S. atque equidem
Ipſus ultro uenit Philto oratum filio. C. flagitium quidem
Hercle fiet, niſi dos dabitur uirgini. poſtremo ædepol ego
Iſtam rem ad me attinere intellego, ibo ad meum caſtigatorẽ,
Atq; ab eo conſilium petam. S. propémodum quid illic
Feſtinet ſentio, & ſubolet mihi, ut agro euortat Lesbonicum,
Quando euertit ædibus. ô here Charmide, quoniã abſente te
Hic tua res diſtrahitur tibi, utinam te rediſſe ſaluom uideam,

Vt inimicos tuos ulciſcar: ut mihi, ut erga te fui & ſum, referas
Gratiam. NIMIVM DIFFICILE'ſt reperiri amicum, ita ut nomen
Cluet, quoi tuam quom rem crederis, ſine omni cura dormias.
Sed generum noſtrum ire eccillum uideo cum affini ſuo.
Neſcio quid non ſatis inter eos conuenit: celeri gradu
Eum uterq;, ille reprehendit hunc priorem pallio.
Haud iuxta me abſtiterunt, huc aliquantum abſceſſero.
Eſt lubido orationem audire duorum affinium.

LYSITELES. LESBONICVS. STASIMVS.

Ly. STa illico. noli aduorſari, neq; te occultaßis mihi. LE. potin'
Vt me ire, quò profectus ſum, ſinas? Ly. ſi in rem tuam
Lesbonice eſſe uideatur gloriæ, aut famæ, ſinam. LE. quod eſt
Facillumum, facis. Ly. quid id eſt? LE. amico iniuriam.
Ly. Neq; meu'ſt, neq; facere didici. LE. indoctus quàm docte facis.
Quid faceres, ſi quis docuiſſet te, ut ſic odio eſſes mihi,
Qui bene quom ſimulas facere te, malefacis, male conſulis?
Ly. Egóne. LE. tu næ. Ly. quid malefacio? LE. quod ego nolo,
Id quom facis. Ly. tuæ rei bene conſulere cupio. LE. tu mihi
Es melior q̃ egomet mihi? ſat ſapio, ſatis in rem quæ
Sint meam ego conſpicio mihi. Ly. an id eſt ſapere, ut qui
Beneficium beneuolente repudies? LE. NVLLVM beneficium
Eſſe duco id quod quoi facias, non placet. Ly. ſcio ego, &
Sentio ipſe quid agam, neq; à me officium migrat.
Nec tuis depellor dictis, quin rumori ſeruiam. LE. quid ais?
Ly. Nam retineri nequeo quin dicam ea, quæ promeres.
Itáne tandem maiores famam tradiderunt tibi tui,
Vt uirtute eorum antè parta, per flagitium perderes?
Atq; honori poſterorum tuorum ut uindex fieres?
Tibi paterq;, auosq; facilem facit & planam uiam
Ad quærendum honorem: tu feciſti, ut difficilius foret
Culpa maxume & deſidia: tuisq; ſtultis moribus præoptauiſti,
Amorem tuum uti uirtuti præponeres. nunc te hoc pacto

Credis

Credis poſſe obtegere errata. LE. ah non ita'ſt. Ly. capeſſis
Virtutem animo, & corde expelle deſidiam tuo, in foro operã
Amicis da, haud in lecto amicæ, ut ſolitus es. atq; ego iſtum
Agrum tibi relinqui ob eam rem enixe expeto, ut tibi ſit, quî te
Corrigere poſſis, ne omnino inopiã ciues obiectare poßint tibi,
Quos tu inimicos habes. LE. oĩa ego iſtæc quæ tu dixiſti, ſcio.
Vel exignauero, ut rem patriam, & gloriam maiorum
Fœdarim meûm: ſciebam, ut eſſe me deceret: facere non
Quibam miſer: ita ui Veneris uictus, otio captus, in fraudem
Incidi. & tibi nũc, perinde ac merêre, ſummas habeo gratias.
Ly. At operam perire meam ſic, & te hæc dicta corde ſpernere,
Perpeti nequeo. ſimul me piget parum pudere te.
Et poſtremo niſi me auſcultas, atq; hoc, ut dico facis,
Tute pone te latebris facile, ne inueniat te honor:
In occulto iacebis, quom te maxume clarum uoles. pernoui
Equidem Lesbonice imperitum tuum ingenium admodum.
Scio te ſpome non tuapte erraſſe, ſed amorem tibi
Pectus obſcuraſſe, atq; ipſe amoris teneo omneis uias.
Ita eſt amor, baliſta ut iacitur, nihil ſic celere eſt, neq; uolat,
ATQVE IS mores hominum moros, & moroſos efficit.
Minus placet magis quod ſuadetur: quod diſſuadetur, placet.
Quom inopia'ſt, cupias: quando eius copia'ſt, tum non uelis.
Ille qui aſpellit, is compellit: ille qui non ſuadet, uetat.
Inſanu'ſt & malum in hoſpitium diuorti ad cupidinem.
Sed te moneo hoc etiã atq; etiã, ut reputes qd facere expetas:
Si iſtuc ut conare, facis indicium, tuum incendes genus.
Tum igitur tibi quærit cupido, genus quî reſtinguas tuum.
Atq; erit ſi nactus, proinde ut corde amantes ſunt capti,
Neſciunt illum quidem: relinques genus qui concluſit tuum.
Facile eſt inuentu, datur ignis, tametſi ab inimicis petas.
LE. Sed tu obiurgans me à peccatis, rapis deteriorem in uiam.
Meam uis ſororem tibi dem, ſuades ſine dote: hoc nõ cõuenit.
Me qui abuſus ſum tantam rem patriã, porrò in diuitijs
Eſſe, agrumq; habere, egere illam autem ut me merito oderit.

Nunquam erit alienis grauis, qui ſuis ſe concinnat leuem.
Sicut dixi, faciam, nolo te iactari diutius. Ly. tanto melius te
Sororis cauſſa egeſtatem exequi, atq; eum agrum me habere,
Quàm te tua, qui tolleres mœnia? LE. nolo ego mihi te
Tam proſpicere, quî meam egeſtatem leues: ſed ut inops
Infamis ne ſim, ne mihi hanc famam differant, me
Germanam meam ſororem in concubinatum tibi ſine dote
Dediſſe magis, quàm in matrimonium quis me improbior
Perhibeatur eſſe? hæc famigeratio te honeſtet, me cũ cõlutulet:
Et ſi ſine dote duxeris, tibi ſit emolumentum honoris, mihi
Quod obiectent, ſiet. Ly. quoi te dictatorem cenſes fore, ſi
Abs te agrum acceperim? neque uolo, neque poſtulo, neque cen ſeo. uerumtamen
IS EST HONOS HOMINI pudico, meminiſſe officium ſuum. ſcio equidem
Te animatus ut ſis ſtudio. ſubolet ſentio. id agis ut tibi affinita-
Inter nos noſtrã adſtrinxeris, atq; cũ agrũ dederis, (tem
Nec quicquam hic tibi ſit, qui uitam colas, effugias ex urbe
Inanis profugiẽs, patriam deſerẽs, cognatos, affinitatẽ, amicos,
Factis nuptijs: mea opera hinc proterritum te, meaq; auaritia autument.
Id me cõmiſſurum, ut patiar fieri, ne animũ induxeris. quis me
Improbior perhibeatur eſſe? hæc famigeratio te honeſtet, me
Cõlutelet. LE. & ſi ſine dote dixeris, tibi ſit emolumen- (autẽ tum honoris:
Mihi aũt quod obiectẽt, ſiet. S. non enim poſſum quin exclamẽ,
Euge euge Lyſiteles facile palmam habes, hic uictus, uicit tua comœdia.
Hic agit magis ex argumento, & uerſus meliores facit, etiam ob ſtultitiam
Tuam te tueris, multa abomina. LE quid tibi interpellatio,
Aut in cõciliũ huc acceßio eſt? S. eodẽ pacto, quo huc acceßi,
Abſceſſero. LE. i hâc mecum domum Lyſiteles, ibi de iſtis rebus plura

Fabu-

Fabulabimur. Ly. nihil ego in occulto agere ſoleo, meus ut animus
Eſt, eloquar. ſi mihi tua ſoror, ut ego æquom cenſeo, ita nuptum datur
Sine dote, neq; tu hinc abiturus: quod meum erit, id erit tuum.
Sin aliter animatus es, bene quod agas, eueniet tibi: ego amicus
Nunquam tibi ero alio pacto. ſic ſententia eſt. S. abijt hercle
Ille quidẽ. ecquid audis Lyſiteles? ego te uolo. hic quoq; hinc
Abit. Staſime, reſtas ſolus. quid ego nũc agam, niſi ut ſarcinã
Conſtringam, & clypeum ad dorſum accõmodem fulcimenta,
Iubeam ſuppingi ſoccos? non ſiſti poteſt, uideo caculã militarẽ
Me futurum aut longius, aut aliquem ad regem in ſaginam
Herus ſe coniecit meus, credo ad ſummos bellatores
Acrem fugitorem fore, & capturum ſpolia, ſibi illum qui
Meo hero aduorſus uenerit. egomet autẽ quom extẽplo arcum
Mihi et pharetrã et ſagittas ſumpſero, caßidẽ in caput, dormi
Placide in tabernaculo. ad forũ ibo. nudiusſextus quoi (bo
Talẽtũ mutuũ dedi, repoſcã, ut habeã mecũ quod ferã uiaticũ.

MEGARONIDES, CALLICLES, ſenes.

M. VT mihi rem narras Callicles, nullo modo poteſt fieri prorſus,
Quin dos detur uirgini. C. nãq; hercle honeſte fieri fer
Nõ poteſt, ut eã perpetiar ire in matrimoniũ ſine dote, (me
Quom eius rẽ penes me habeã domi. M. parata dos domi' ſt:
Niſi expectare uis, ut eam ſine dote frater nuptũ collocet.
Poſt adeas tute Philtonem, & dotem dare te ei dicas, facere
Id eius ob amicitiam patris. uerùm hoc ego uereor, ne iſtæc pollicitatio
Te in crimen populo ponat, atq; infamiã: non temere dicant
Te benignũ uirgini, datã tibi dotẽ, ei quã dares, eius à patre:
Ex ea largitate illi, neq; ita ut ſit data, columem te ſiſtere illi,
Et detraxiſſe autumẽt. nũc ſi operiri uis aduentũ Charmidis,
* cu pido Perlongu' ſt, huic ducẽdi interea *abſceſſerit. C. nam hercle
Omnia iſtæc uenjũt in mentẽ mihi. M. uide ſi hoc utibile magis,

Atq; in rẽ deputas, ut adeã Lesbonicũ, edoceã ut res ſe habet.
C. Vt ego nunc adoleſcenti theſaurum indicem indomito
Pleno amoris, ac laſciuiæ? minime hercle uero. nam certo ſcio,
Locum quoq; omnem, ubi ſitu'ſt, comederit: quem fodere
Metuo, ſonitum ne ille exaudiat, neu ipſam rem iudicet,
Dotem dare ſi dixerim. M. quo pacto ergo agetur? C. clàm dos
Depromi poteſt, dum occaſio ei reperiatur: interim ab amico
Alicũde argentũ rogẽ. M. potin' eſt ab amico alicũde exorari?
C. Poteſt. M. gerræ, ne tu illud uerbũ actũtũ inueneris: mihi quidẽ
Hercle non eſt quod dem mutuum. C. malim hercle ut uerum
Dicas, quàm fides mutetur. M. ſed uide conſilium, ſi placet.
C. Quid cõſili'ſt? M. ſcitũ, ut ego opinor, cõſiliũ inueni. C. qd eſt?
M. Homo cõducatur aliquis iã quantũ poteſt, quaſi ſit peregrinus.
C. Quid is ſcit facere poſtea? M. is homo exornetur graphice
In peregrinum modũ. ignota facies quæ nõ uiſa ſit, falſidicus, confidens.
C. Quid tum poſtea? M. quaſi ad adoleſcentẽ à patre ex Seleucia
Veniat: ſalutem ei nuntiet uerbis patris: illum bene gerere rẽ,
Et ualere, & uiuere, & eum redditurum actûtum: ferat
Epiſtolas duas, eas nos conſignemus, quaſi ſint à patre:
Det alteram illi, alteram dicat tibi dare ſeſe uelle. C. perge
Porrò dicere. M. ſeq; aurum ferre uirgini dotem à patre
Dicat, patremq; id iuſsiſſe aurum tibi dare. tenes iam?
C. Propemodum, atq; auſculto perlubẽs. M. tũ tu igitur demum
Adoleſcenti aurum dabis, ubi erit locata uirgo in matrimoniũ.
C. Scite hercle ſanè. M. hoc, ubi theſaurum effoderis, ſuſpicionem
Ab adoleſcente amoueris, cẽſebit aurum eſſe à patre alienatũ
Tibi, tu de theſauro ſumes. C. ſatis ſcite & probe:
Quanquam hoc me ætatis ſycophantari pudet. ſed epiſtolas
Quando obſignatas afferet, ſiquando obſignatas
Attulerit epiſtolas, nònne arbitraris eum adoleſcentem annuli
Paterni ſignum noſſe? M. etiam tu taces? ſexcentæ ad eam
Rem cauſſæ poſſunt colligi: illum quem habuit, perdidit,
Alium pòſt fecit nouom. C. iam ſi obſignatas nõ feret, dici hoc

Poteſt,

Poteſt, apud portitorem eas reſignatas, ibi inſpectasq́; eſſe.

M. In huiuſmodi negotio diem ſermone terere, ſegnities mera'ſt,
Quamuis ſermones poſſunt longi texier. abi, effodias aurum
Iam confeſtim clanculum. ſeruos, ancillas amoue: atque audin'?

C. Quid eſt? M. uxorem quoq; ipſam hanc rem ut cæles, face.
Nam pol tacere nunquam quicqua'ſt, quod queat.
Quin nunc ſtas? quin tu te hinc amoues, & te moues? aperi,
Deprome inde auri ad hanc rem quod ſat eſt, continuo
Operito denuo. ſed clanculum ſicut præcepi, cunctos
Exturba ædibus. C. ita faciam. M. at enim nimis
Longo ſermone utimur, diem conficimus, quod iam properato'ſt
Opus. nihil eſt de ſigno quod uereare, me uide. C. lepida eſt
Illa cauſſa, ut commemoraui. dicere, apud portitores eſſe
Inſpectas. M. denique diei tempus non uides? quid illum putas
Natura illa atque ingenio? iamdudum ebriu'ſt, quiduis
Probari poterit, tum quod maxumu'ſt afferre, non petere
Hiſce dicet. C. iam ſat eſt. M. ego ſycophantam iam conduco
De foro, epiſtolasq́; iam conſignabo duas: cumq́;
Huc adoleſcentem meditatum probe mittam. C. eo
Ego igitur intro ad officiũ meum, tu iſtuc age. M. actũ reddam.

ACTVS QVARTVS.

CHARMIDES, ſenex.

SAlſipotenti & multipotenti Iouis fratri tibi Nerei Neptune
Lætus, lubens laudes ago, & grates, gratiasq́; habeo, & fluctibus ſalſis,
Cum penes te poteſtas omnis quidem foret meæ uitæ,
Quoniam tuis me ex locis in patriam redeam facis.
Atq; Neptunne tibi ante alios deos gratias ago, atq; habeo ſummas.
Nam te omnes ſæuumq́;, ſeuerumq́;, atq; auidis moribus commemorant.
Spurcificum, immanem, intolerandum, ueſanum: contrà, opera
Expertus: nam pol placido te, & clementi meo uſq; modo, ut uolui, uſus

Sum, in alio atq; hanc tuam gloriã iam antè auribus acceperã, et
Nobiles apud homines pauperibus te parcere ſolitum, diuites
Damnare, atque domare. abi laudo, ſcis ordine, ut æquo'ſt,
Tractare homines. hoc dis dignu'ſt, ſemper mẽdicis moleſti ſint.
Fidus fuiſti, infidũ eſſe iterant. nam abſq; foret te, ſat ſcio, in alto
Diſtraxiſſent, disq; tuliſſent ſatellites tui me miſerum fœde,
Bonáq; omnia ita unà mecum paſsim ceruleos per cãpos: ita iam
Quaſi canes haud ſecus circumſtabant nauem turbines: uenit
Imber, fluctusq;, atque procellæ infenſæ: fregêre malum,
Ruere antennas, ſcindere uela: ni tua pax, propitia foret præſto.
Apage me ſis deinde hinc, certu'ſt otio me dare, ſatis partum habeo.
Quibus ærũnis deluctaui filio dũ diuitias quæro? ſed quis hic eſt,
Qui in plateam ingreditur cum nouo ornatu ſpecieq; ſimul?
Pol quanquam domum cupio, opperiar, quam hic rem gerat.

SYCOPHANTA, CHARMIDES, ſenex.

S. HVic ego dici nomẽ Trinummo faciam: nam ego operam
Tribus nummis hodie locaui ad artes nuga- (meam
torias. aduenio ex Seleucia,
Macedonia, Aſia, atq; Arabia, quas ego neq; oculis, neq; pedibus
Vnquam uſurpaui. Vidén' egeſtas quid negotij dat homini
Miſero mali? qui ego nunc ſubigor trium nummorũ cauſſa, ut has
Epiſtolas dicam ab eo homine me accepiſſe, quem ego, qui ſit homo, neſcio,
Neque noui: neque natus, nécne is fuerit, id ſolide ſcio. C. pol hic quidem
Fungino genere eſt, capite ſe totum tegit, hilluricafacies uidetur
Hominis, eo ornatu aduenit. S. ille qui me cõduxit, ubi conduxit,
Abduxit domũ: quæ uoluit mihi dixit, docuit, & præmonſtrauit
Prius quomodo, quiq; agerem. nunc adeò ſi quid ego addidero
Amplius, eo conductor melius de me nugas conciliauerit.
Vt ille me exornauit, ita ſum ornatus: argentum hoc facit.
Ipſe ornamenta à chorago hæc ſumpſit ſuo periculo. nunc
Ego ſi potero ornamentis hominem circumducere, dabo operam

Vt me eſſe ipſum planè ſycophantam ſentiat. C. quàm magis
Specto, minus placet mihi hæc hominis facies. mira ſunt,
Ni illic homo'ſt aut dormitator, aut ſector zonatus: loca
Contemplat, circumſpectat ſeſe, atque ædeis noſcitat. credo
Aedepol quo mox furatum ueniat, ſpeculatur loca magis. lubido'ſt
Obſeruare quid agat, ei rei operam dabo. S. has regiones demonſtrauit
Mihi ille conductor meus. apud illas ædeis ſiſtendæ mihi ſunt
Sycophantiæ, foreis pultabo. C. ad noſtras ædeis hic quidem
Habet rectam uiam, hercle opinor mihi aduenienti hac noctu
Agitandæ ſunt uigiliæ. S. aperite hoc, aperite, heus ecquis
His foribus tutelam gerit? C. quid adoleſcens quæris? quid uis?
Quid iſtas pultas? S. heus ſenex cenſus coniuratori recte
Rationem dedi. Lesbonicum hic adoleſcentem quæro, in his
Regionibus ubi habitet: et itē alterū ad iſtanc capitis albitudinē:
Calliclen aiebat uocari, qui has mihi dedit epiſtolas.

C. Meum gnatum hic quidē Lesbonicum quærit, et amicum meum:
Quoi ego liberosq́;, bonaq́; commendaui, Calliclen. S. fac me ſi
Scis certior hicce homines ubi habitent pater. C. quid eos quæris?
Aut quis es? aut unde es? aut unde aduenis? S. multa ſimul
Rogitas, neſcio quid expediam potiſſumum. ſin unum quicquid
Singillatim, & placide percunctabere, & meum nomen, &
Mea facta, & itinera ego faxo ſcias. C. faciam ita, ut uis.
Agedum nomen tuum primùm memora mihi. S. magnum
Facinus incipis ſic petere. C. quid ita? S. quia pater,
Si ante lucem ire occipias, à meo primo nomine, concubium
Sit noctis, prius quàm ad poſtremum perueneris. C. opus
Facto'ſt, & uiatico ad tuum nomen, ut tu prædicas. S. eſt
Minuſculum alterum, quaſi uaſculum uinarium. C. hic homo
Solide ſycophanta eſt. quid ais tu adoleſcens? S. quid eſt?

C. Eloquere, iſti tibi quid homines debent, quos tu quæritas?

S. Pater iſtius adoleſcētis dedit has duas mihi epiſtolas Lesbonici.

C. Mihi eſt amicus, teneo hunc manifeſtarium, me ſibi

Epi-

Epiſtolas dediſſe dicit, ludam hominem probe. S. ita ut
Occœpi, ſi animum aduortas, dicam. C. dabo operam tibi.
S. Hanc me iuſsit Lesbonico ſuo gnato dare epiſtolam.
Et iterum hanc alteram ſuo amico Callicli iuſsit dare.
C. Mihi quoq; ædepol, quoniam hic nugatur, contra nugari lubet.
Vbi ipſe erat? S. bene rem gerebat. C. ergo ubi?
S. In Seleucia. C. ab ipsón' iſtas accepiſti? S. è manibus
Dedit mihi ipſe in manus. C. qua facie eſt homo?
S. Seſquipede quidem eſt, quàm tu longior. C. nouiſtin' hominem?
S. Ridicule rogitas, qui cum unà cibum capere ſoleo. C. quod
Eſt ei nomen? S. quod ædepol homini probo. C. lubet
Audire. S. ille ædepol ille, uæ miſero mihi. C. quid eſt
Negotij? S. deuoraui nomen imprudens modo. C. non
Placet, qui amicos intra dentes concluſos habet. S. atque etiam
Modo uorſabatur mihi in labris primoribus. C. tempori
Huc hodie anteueni. S. teneor manifeſtò miſer. C. iam
Ne commentatus es nomen? S. deûm hercle me atque
Hominum pudet. C. uide homo ut hominem noueris.
S. Tanquam me. fieri iſtuc ſolet, quod in manu teneas
Atque oculis uideas, id deſideres. litteris recomminiſcar.
C. Eſt principium nomini Callicias? S. non eſt. C. Callippus?
S. Non eſt. C. Calliclemides? S. non eſt. C. Callinicus?
S. Non eſt. C. Callimarchus? S. nihil agis. neque adeò ædepol
Floccifacio, quandò egomet memini mei. C. at enim multi
Lesbonici ſunt hic, niſi nomen patris dices, non monſtrare
Poſſum iſtos homines, quos tu quæritas. quod ad exemplum eſt,
Coniectura ſi reperire poſſumus? S. ad hoc exemplum eſt.
C. An Chares, an Charmides? S. hem
Iſtic erit, qui iſtum di perdant. C. dixi ego iamdudum tibi,
Te potius benedicere æquo'ſt homini amico, quàm male.
S. Satin' inter labra atque dentes latuit uir minimi pretij?
C. Ne male loquare ei præſenti amico. S. qd ergo ille ignauiſſumus
Mihi latitabat? C. ſi appellaſſes, reſpondiſſet nomine.
Sed ipſe ubi eſt? S. pol illũ reliqui ad Rhadamantẽ in Cecropia
Inſula.

Inſula. C. qui homo eſt me inſipientior, qui ipſe egomet
Vbi ſim quæritẽ? ſed nihil diſcumducit huic rei, quid ais? S. quid?
C. Hoc quod te rogo, quos locos adiſti? S. nimium miris modis
Mirabiles. C. lubet audire, niſi moleſtu'ſt. S. quin diſcupio
Dicere. omnium primum in Pontum aduecti Arabiam
Terram ſumus. C. chò an etiam Arabia'ſt in Ponto? S. eſt, non
Illa ubi thus gignitur, ſed ubi abſynthium fit, atque cinila gallinacea.
C. Nimium graphicum hunc nugatorem. ſed ego ſum inſipientior,
Qui egomet, unde redeam, hunc rogitem, quæ ego ſciã, atq; hic
Ne ſciat, niſi quia lubet experiri quo euaſuru'ſt. denique
Quod eſt tibi nomen adoleſcens? S. Pax idem nomen mihi
Hoc quotidianu'ſt. C. ædepol nomen nugatorium, quaſi dicas
Si quid crediderim tibi, pax periiſſe illico. ſed quid ais,
Quo inde iiſti porrò? S. ſi animum aduortes, eloquar. ad caput
Amnis, quod de cœlo exoritur ſub ſolio Iouis. C. ſub ſolio Iouis?
S. Ita dico. C. è cœlo? S. atque medio quidem. C. chò an etiam
In cœlum aſcendiſti? S. imò doriola aducti ſumus
Vſque aqua aduorſa per Anienem. C. chò an etiam uidiſti
Iouem? S. Calliclis ad uillam aiebant ſerui depromptum cibum
Mandere porro. C. porrò nolo quicquam prædices.
S. Ehò hercle fies moleſtus. C. nam pudicum neminem
Eſſe oportet, qui abs terra ad cœlum peruenerit.
S. Dimittam ut te uelle uideo: ſed monſtra hoſce homines mihi:
Hos ego quæro, quibus me oportet has deferre epiſtolas.
C. Qui ais tu nunc? ſi forte eum ipſum Charmidem conſpexeris
Illum quem tibi iſtas dediſſe commemoras epiſtolas,
Noueriſne hominem? S. næ tu me ædepol arbitrare beluam,
Qui quidem non nouiſſe poſsim, quicum ætatem exegerim.
An ille ita eſſet ſtultus, qui mihi mille nummos crederet
Philippeûm, quod me aurum deferre iuſsit ad gnatum ſuum,
Atq; ad amicum Calliclem, quoi rem aiebat mandaſſe hic ſuam,
Mihi concrederet, ni me ille, & ego illum noſſem probe?

Enim-

C. Enimuero ego nunc ſycophantæ huic ſycophantari uolo,
Si hunc poſſem illis mille nummis Philippeis circunducere,
Quos ſibi me dediſſe dixit: quem ego qui ſit homo, neſcio.
Neq; oculis ante hunc diem unquam uidi. ei nimirum crederem,
Quoi ſi capitis res ſiet, nummum nunquam credam plumbeum.
Aggrediũdu' ſt hic homo maſtichæus. Pax, te tribus uerbis uolo.
S. Vel trecentis. C. haben' tu id aurũ, quod accepiſti à Charmide?
S. Atque etiam philippeûm numeratûm illius in menſa manu
Mille nummos. C. nempe ab ipſo id accepiſti Charmide?
S. Mirum quin ab auo eius, aut proauo acciperem, qui ſunt mortui.
C. Adoleſcens cedò dum iſtuc aurum mihi. S. quod ego aurum
Dem tibi? C. quod à me te accepiſſe faſſus. S. abs te accepiſſe?
C. Ita loquor. S. quis tu homo es? C. qui mille nummûm
Tibi dedi, ego ſum Charmides. S. neque ædepol tu is es, neque hodie
Is unq̃ eris auro huic quidem. ac ſi ſis nugator, nugari nugatori
Poſtulas. C. Charmides ego ſum. S. nequicquam hercle es.
Nã nihil auri fero, nimis argute obrepſiſti meapſe occaſiuncula
Poſtquam ego me aurum ferre dixi, pòſt tu factus Charmides:
Prius tu nõ eras, quàm auri feci mentionem. nihil agis, proin' tu
Te itidem ut charmidatus es, rurſum recharmida.
C. Quis ego ſum igitur, ſi quidem is non ſum, qui ſum? S. quid
Id ad me attinet, dum ille ne ſis, quem ego eſſe nolo? ſis mea
Cauſſa quod lubet, prius non is eras, qui eras: nunc is factus, qui
Tum non eras. C. age ſiquid agis. S. quid ego agam?
C. Aurum redde. S. dormitas ſenex. C. faſſus Charmidem
Dediſſe aurum tibi? S. ſcriptum quidem. C. properas,
An non properas abire actûtum ab his regionibus
Dormitator, prius quàm ego hic te iubeo multari male?
S. Quamobrem? C. quia illum quem ementitus es, ego ſum ipſus
Charmides, quem tibi epiſtolas dediſſe aiebas. S. ehòne
Es? C. is enimuero ſum. S. ain' tu tandem is ipſus es?
C. Ipſus inquam Charmides ſum. S. ergo ipsúsne es? (nis,
C. Ipſiſſumus, abi hinc ab oculis. S. enimuero ſerio quoniam aduc-
Vapu-

Vapulas meo arbitratu & nouorum ædilium.

C. At etiam maledicis? S. imò ſaluos quandoquidem
Aduenis, di te perdant, ſi te floccifacio. an periiſſe prius,
Ego ob hanc operam argentum accepi, te macto infortunio?
Sed non facio, qui ſis, qui non ſis, floccum. nam interdum
Ibo ad illum: renuntiabo, qui mihi treis nummos dedit,
Vt ſciat ſe perdidiſſe. ego abeo: male uiue & uale.
Quod di te omnes aduenientem peregre perdant Charmides.
C. Poſtquam ille hinc abiit, pòst loquendi libere uidetur
Tempus ueniſſe, atque occaſio. iamdudum meum ille
Pectus pungit aculeus, quid illi negotii fuerit ante ædeis meas.
Nam epiſtola illa mihi concenturiat metum in corde:
Et illud mille nummûm, quam rem agat: nunquam ædepol
Temere, tintinnabulum, niſi qui illud tractat, aut mouet.
Mutum tacet. ſed quis hic eſt qui huc in plateā curſuram incipit?
Lubet obſeruare quid agat, huc conceſſero.

STASIMVS, ſeruos. CHARMIDES, ſenex.

S. STaſime fac te propere celerem, recipe te ad dominum do-
Ne ſubito metus exoriatur ſcapulis, ſtultitiam (mum.
abde, gradum
Appropera: iamdudum factu'ſt, quom abiſti domo.
Caue ſis tibi, ne bubuli in te cottabi crebri crepent.
Si abieris ab heri quæſtione, ne deſtiteris currere. ecce
Hominem te Staſime nihili, ſat in thermopolio condalium
Es oblitus. poſtquam thermopotaſti gutturem, recipe te,
Et recurre pede recemi. C. hic quiſquis eſt, curculio'ſt.
Exercitor is hunc hominem curſuram docet. S. quid homo
Nihili, non pudet te? tribúſne te pateris memoria eſſe oblitum?
An uero quia cum frugi hominibus ibi bibiſti, qui ab alieno
Facile cohiberent manus? Terruchus fuit Cerconicus,
Crinnus, Cercobolus, Collabus, oculi crepidæ, crurii crepidæ,
Ferriteri, maſtigiæ: inter eos ne homines condalium te
Redipiſci poſtulas, quorum eorum unus ſurripuit curremi
Curſori ſolum? C. ita me di ament graphicum furem.

S. Quid ego,quod periit,petam? niſi etiam laborem addam
Num apponam apothecam inſuper? quin tu quod perit,
Periiſſe ducis,cape uorſoriam,recipe te ad herum. C. non
Fugitiuo'ſt hic homo,commeminit domi. S. utinam
Veteres mores ueteris parſimoniæ,potius maiori honori
Hic eſſent,quàm mores mali. C. di immortales baſilica hic quidē
Facinora incœptat loqui, qui quærit uetera amare. S. HVNC
MOREM MAIORVM SCIAS: nam nunc mores nihil faciunt,quod licet,
Niſi quod lubet.ambitio iam more ſancta'ſt,libera'ſt à legibus.
Scuta iacere,fugereq; hoſteis,more habent licentiam.
Petere honorem pro flagitio,more fit. C. morem improbum.
S. Strenuos præterire,more fit. C. nequam id eſt. S. mores
Leges perduxerunt iam in poteſtatem ſuam,magis qui ſunt
Obnoxii,quàm parentes liberis: eæ miſeræ etiam
Ad parietem ſunt fixæ clauis ferreis,ubi malos mores
Affigi nimio fuerat æquius. C. lubet adire,atque
Appellare hunc. uerum auſculto perlubens. ſed metuo
Si compellabo,ne aliam rem occipiat loqui. S. neque
ISTIS QVICQVAM lege ſanctu'ſt, leges mori ſeruiunt,
mores autem
Rapere properāt,quâ ſacrum,quâ publicum. hercle iſtis malam
Rem magnam moribus dignu'ſt dari. nonne hoc
Publice animum aduorti? nam id genus hominum hominibus
Vniuerſis eſt aduorſum,atque omni populo malefacit.
Male fidem ſeruando,illis quoq; abrogant etiam fidem,qui nihil
Meriti: quippe ex eorum ingenio ingenium horum probant.
Hoc quî in mentem uenerit mihi,reipſa modo commonitus ſum.
SIQVIS MVTVVM quid dederit,fit pro proprio perditum:
Quom iam repetas,inimicum amicum beneficio inuenis tuo.
Si mage exigere cupias,duarum rerum exoritur optio:
Vel illud quod credideris perdas,uel illum amicum amiſeris.
C. Meus eſt hic quidē Staſimus ſeruos. S. nā ego talentum mutuum
Quod dederam,talento inimicum mihi emi,amicum uendidi.

Sed

Sed ego ſum inſipientior, qui rebus curem publicis, potius quam
Id quod proximu'ſt meo tergo, tutelam geram. eo domum.

C. Heus tu aſta illico, audi, heus tu. S. nõ ſto. C. at ego te ſtare uolo.

S. Quid ſi egomet te uelle nolo? C. ha nimium Staſime ſæuiter.

S. Emere meliu'ſt, quoi imperes. C. pol ego emi, atque argentum
Dedi: ſed ſi non dicto audiens es, quid ago? S. damnum malum.

C. Bene mones, ita facere certu'ſt. S. niſi quidem es obnoxius.

C. Si bonus es, obnoxius ſum: ſin' ſecus es, faciam uti iubes. S. quid
Id ad me attinet, bonisne ſeruis tu utare, an malis? C. quia
Boni, maliq; in ea re pars tibi eſt. S. partem alteram tibi
Permitto, illam alteram ad me quod boni eſt apponito.

C. Si eris meritus, fiet: reſpice ad me huc, ego ſum Charmides.

S. Hem quis eſt, qui mentionem facit homo hominis optumi?

C. Ipſe homo optumus. S. mare, terra, cœlum, di uoſtram fidem,
Satin' ego oculis planè uideo? éſtne ipſus, an non eſt? is eſt,
Certe is eſt, is profecto. ô mi here exoptatiſſume ſalue.

C. Salue Staſime. S. ſaluom te. C. ſcio & credo tibi. ſed omitte
Alia, hoc mihi reſponde: liberi quid agunt mei, quos reliqui hic
Filium atq; filiam? S. uiuont, ualent nempe. C. uterque? S. uterq;.

C. Di me ſaluom et ſeruatũ uolunt, cætera intus otioſe percontabor
Quæ uolo. eamus intro, ſequere. S. quò tu te agis? C. quo nã, niſi
Domum? S. hiccíne nos habitare cenſes? C. ubi nam ego alibi
cenſeam?

S. Iam. C. quid iam? S. non ſunt noſtræ ædes. C. quid
Ego ex te audio? S. uendidit tuus natus ædeis. C. perij. S. præ-
ſentarijs
Argenti minis numeratis. C. quot? S. quadraginta.

C. Occidi. qui eas emit? S. Callicles, quoi tuã rem commendaueras,
Is habitatum huc commigrauit, nosq; exturbauit foras.

C. Vbi nunc filius meus habitat? S. hic in hoc poſticulo. C. male
diſperij.

S. Credidi ægre tibi, id ubi audiſſes, fore. C. ego miſer meis
Periculis ſum per maria maxuma uectus capitali periculo,
Per prædones plurimos me ſeruaui, ſaluos redij. nunc hic

Diſperij miſer propter eoſdem, quorum cauſſa fui hac ætate
Exercitus. adimit animam mihi ægritudo. Staſime, tene me.
S. Viſne aquam tibi petam? C. res quom iam animam agebat,
Tum eſſe offuſam oportuit.

CALLICLES, CHARMIDES, ſenes. STASIMVS, ſeruus.

CA. Quid hoc hic clamoris audio ante ædeis meas?
CH. O Callicles, ô Callicles, taline amico mea commendaui bona?
CA. Probo, & fideli, & fido, & cum magna fide. & ſalue,
Et ſaluom te adueniſſe gaudeo CH. credo omnia iſtæc, ſi ita'ſt,
Vt prædicas. ſed quis iſte eſt tuus ornatus? CA. ego dicam tibi:
Theſaurum effodiebam intus dotem filiæ tuæ quæ daretur.
Sed intus narrabo tibi & hoc & alia. ſequere. CH. Staſime.
S. Hem. CH. ſtrenue curre in Piræum, atque unum curriculum
Face: uidebis iam illic nauem, qua aduecti ſumus.
Videto Sangarionem, quæ imperauerim, curare ut efferantur:
Et tu ito ſimul, ſolutu'ſt portitori iam portorium.
S. Nihil eſt moræ. CH. tu ambula, actûtum redi. S. illic ſum,
Atque hic ſum. CA. ſequere tu me hâc intrò. CH. ſequor.
S. Hic meo hero amico ſolus firmus reſtitit, neq; demutauit animũ
De firma fide. hic unus, ut ego ſuſpicor, ſeruat fidem.
Quanquam labores multos ob rem eum ego cepiſſe cenſeo,
Hic homo'ſt omnium hominũ præcipuus, uoluptatibus gaudijsq;
Anteponendus, ita commoda quæ cupio, eueniunt: quod ago
Adſequitur, ſubeſt, ſubſequitur, ita gaudijs gaudium ſuppetat.

ACTVS QVINTVS.

LYSITELES, adoleſcens.

Modo me ſtaſimus Lesbonici ſeruos cõuenit, is mihi dixit,
Suum herum peregre huc adueniſſe Charmidem.
Nũc mihi is propere conueniundus eſt, ut quæ cum eius
Filio egi: ei rei fundus pater ſit potior. eo. ſed fores hæ
Sonitu ſuo mihi moram obijciunt incommode.

CHARMIDES, CALLICLES, ſenes. LYSITELES, LESBONICVS, adoleſcentes.

NEQVE

CH. NEQVE FVIT, NEQVE ERIT, neque eſſe quen-
quam hominum interdum (ſuum.
Arbitror, quoi fides, fidelitasq; amicum erga æquiperet
Nam exædificauiſſet me ex his ædibus, ſi abſque te foret.

CA. SI QVID AMICVM erga benefeci, aut conſului fideliter,
Non uideor meruiſſe laudem, culpa caruiſſe arbitror.
Nam beneficium homini proprium quod datur, proprium erit.
Quod datum utendu'ſt, id repetundi copia'ſt, quando uelis.

CH. Eſt ita, ut dicis. ſed ego hoc nequeo mirari ſatis,
Eum ſororem deſpondiſſe ſuam in tam fortem familiam,
Lyſiteli quidem Philtonis filio. Ly. enim me nominat.

CH. Familiam optumam occupauit. Ly. quid ego ceſſo hos
Colloqui? ſed maneam etiam opinor: nanque hic commodùm
Orditur loqui. CH. uah. CA. quid eſt? CH. oblitus intus
Dudum tibi ſum dicere. modo mihi aduenienti nugator
Quidam acceßit obuiam, nimis pergraphicus ſycophanta:
Is mille nummûm ſe aurum meo datu tibi ferre, & gnato
Lesbonico aiebat meo, quem ego nec qui eſſet noram, neque
Eum antè uſquam conſpexi prius. ſed quid rides? CA. meo
Adlegatu uenit, quaſi qui aurum mihi ferret abs te, quod darem
Tuæ gnatæ dotem: ut filius tuus, quandò illi à me darem, eſſe
Allatum id abs te crederet, neu quis rē ipſam poſſet intellegere,
Et theſaurum tuum me eſſe penes, atque eum à me lege populi
Patrium poſceret. CH. ſcite ædepol. CA. Megaronides
Communis hoc meus & tuus beneuolens commentu'ſt.

CH. Quin nunc laudo conſilium, & probo. Ly. quid ego ineptus?
dum ſermonem uereor (nes
Interrumpere, ſolus ſto: nec quod conatus ſum agere, ago. homi
Colloquar. CH. quis hic eſt, qui huc ad nos incedit? Ly. Charmidē
Soccrū ſuū Lyſiteles ſalutat. CH. di dēt tibi Lyſiteles, quæ uelis.
Non ego ſum ſalute dignus. Ly. imò ſalue Callicles. hunc priorē
Aequo'ſt me habere. TVNICA propior pallio eſt CH. deos
Volo conſilia uoſtra recte uortere. filiam meam tibi deſponſa-
tam eſſe audio.

Ly. Niſi tu ne uis. CH. imò haud nolo. Ly. ſpondén' ergo
Tuam gnatam uxorem mihi? CH. ſpondeo, & mille auri
Philippûm dotis. Ly. dotem nihil moror. CA. ſi illa tibi placet,
Placenda dos quoq; eſt, quam dat tibi. CH. poſtremo quod uis,
Non duces, niſi illud, quod non uis, feras. CA. ius hic orat. Ly. impetrabit
Te aduocato atq; arbitro. iſtac lege filiam tuam ſpondén' mihi
Vxorem dari? CH. ſpondeo. CA. & ego ſpondeo idem hoc.
Ly. O ſaluete affines mei. CH. atque ædepol ſunt res, quas propter tibi tam
Succenſui. CA. quid ego feci? CH. meum corrumpi quia perpeſſus filium.
CA. Si id mea uoluntate, factu'ſt quod mihi ſuccenſeas.
Sed ſine me hoc abs te impetrare, quod uolo. CH. quid id eſt?
CA. Scies. ſi quid ſtulte fecit, ut ea miſſa facias omnia. quid quaſſas
Caput? CH. cruciatur cor mihi, & metuo. CA. quid nam id eſt?
CH. Quom ille ita'ſt, ut eſſe nolo, id crucior: metuo ſi id denegem,
Quod me oras, ni te leuiorem erga me putes. non grauabor,
Faciam ita ut uis. CA. probus es, eo ut illum euocem.
CH. Miſeru'ſt, male promerita, ut merita ſi mihi ulciſci non licet. CA. aperite (ita
Hoc, aperite propere, & Lesbonicum, ſi domi'ſt, foras euocate:
Subito'ſt, propere quod eum conuentum uolo. LE. quis homo
Tam tumultuoſo ſonitu me exciuit ſubito foras? CA. beneuolens
Tuus, atq; amicu'ſt. LE. ſatin' eſt? ſalue. dic mihi. CA. recte tuum
Patrem rediſſe ſaluom peregre gaudeo. LE. quis id ait? CA. ego.
LE. Tún' uidiſti? CA. & tute idem uideas licet. LE. ô pater, pater mi
Salue. CH. Salue multũ gnate mi. LE. ſi quid tibi pater laboris.
CH. Nihil euenit, ne time, bene re geſta ſaluos redeo, ſi tu modo
Frugi eſſe uis. hæc tibi pacta'ſt Callicli filia? LE. ego ducam pater,
Etiam etſi quam aliam iubebis. CH. quanquam tibi ſuccenſui.
CA. Miſeria una quidem homini'ſt affatim CH. imo huic paru'ſt.
Nam ſi pro peccatis, centum ducat uxores, paru'ſt.

At iam

LE. *At iam poſthac temperabo.* CH. *dicis, ſi facies modo.*

CA. *Nunc quid cauſſæ eſt, quin uxorem cras domum ducat?* CH. *optumu'ſt:*

Licet tu in perendinum paratus ſis, ut ducas. plaudite.

ANNOTATIONES

IN TRINVMMVM.

SCENA II.

QVaſi herba irrigua.) Herbam irriguã fœnum appellat, ut arbitratur Lactantius Grãmaticus quòd hoc non creſcat alibi, quàm riguis in locis, ubi & uberrimus eius perpetuo prouentus ſit. Alioqui de qualibet herba in humectis locis creſcente intelligi poſſit.

SCENA III.

Larem corona.) In Latio è ſpicis, & ariſtis, in Græcia è platano, teſte Plutarcho.

Tui beneuolentis.) Venuſte pro tibi.

Vt cum primum poſſim uideam mortuam.) Inter felicitatis uota refert Athenæus, & præproperam uxoris mortem fuiſſe, ſed & in Græcorum libris extant quædam ad hanc rem non illepida epigrammata.

Nota mala res optima.) Explicatur tanquàm prouerbium ab Eraſmo.

Ridicularia.) φλυαρία, ſic Apuleius hoc uerbum ex Platone uertit.

Artes animi.) Obſerua pro uirtutibus artes poſitas.

Ioui coronam de capite.) Dĳ fingebantur coronati, ĳq; ſoli, poſtea per Liberum patrem ad homines quoq; translata res eſt. Plinius lib. 16. cap. 4.

Turpilucricupidum.) Eleganter tranſtulit Gręcam uocem αἰχροκερδόλογον.

Vulturium.) Ob auiditatem, & omnia poſſidendi rapiendiq; ſtudium.

Rem tibi autorem dabo.) Nimis quàm eleganter pro re ipſa oſtendero.

Gladium qui ſe occideret.) Et hoc inter prouerbia tranſtulit Eraſmus.

Exædificaret.) Apud Ciceronem in epiſtolis, ad Atticũ

itidē metaphoricè uſurpatur pro conſumere, & perficere.

Permanaſcere.) Pro permanare contra analogiam.

Si quid eo fuerit.) Si quid de eo contigerit.

Pauſa.) A Græco παύομαι.

Communicesq; hanc mecum prouinciam.) Communices pro communiter ſuſcipias, non participem facias, ut nunc uſus eſt.

Poſticulum hoc recepit cum ędes uendidit.) Recepit pro excepit ab emptore.

Vſq; ab ſtirpe autoritas.) Hoc eſt à primo rumoris autore atq; id eleganter.

Stultiloquentia.) μωρολογία.

SCENA IIII.

Cupes.) A cupediarum amore uidetur cupes dictus. Quibuſdam uero à cupiditate. Nam cupedem, & Cupedinem ueteres dixiſſe Næuiano carmine notum eſt: Cupes Mauortis priuignus cœlebs eſt.

Nam quam ad quod clamat.) Pro namquam lege nunquam ad quod ſcilicet res utilis ſit.

Veſtiplici.) Serui qui ueſtibus plicandis operam dabant: horum mentio in Columella. Nonius Marcellus ueſtiſpici citat, à ueſtibus inſpiciendis, & id quidem rectius.

Flabelliferę.) Quę dominę cœnanti uentulū faciebant.

Peius perit quàm ſi ſaxo ſaliat.) Prouerbialis locutio. Nam horrendum erat ſupplicium apud Romanos de ſaxo præcipitari, quod à Manlio compertum.

SCENA V.

Hiulca gens.) Hoc eſt, lacera, corrupta & uitiis undique expoſita, fractaq;.

Sarta tecta.) Explicatur copioſe in Chiliadibus.

Ne perpluant.) Videtur ad ſuperiorem metaphoram reſpicere: nam ædificia, quæ denſo tegumento non ſunt tecta perpluere ſolent.

Deiuuare.) Adiutamentum denegare.

Pol pudere quàm pigere præſtat totidem literis.) Prouerbium per ſe notum eſt.

Quod habes, ne habeas.) Hoc à Plauto tanquam prouerbium in auaros, & illiberales dictum uideri poteſt.

SCENA VI.

Suæ ſenectuti is acriorem hyemem parat.) Eratoſthenes ſenectutem hyemem uitæ dicere ſolebat.

Exutum.) Hoc eſt in ueſtimentis exhauſtum.

Quàm ſi obijcias formicis papauer.) Prouerbiali ſchemate dictum, pro eo quod citiſſime confit: formica beſtiola eſt, quę tamē magna grana facile tollit tantum abeſt ut papaueris minutum granum non facile abſumat.

Poſtquam comedit rem.) Vide adagia Eraſmi poſt rem deuoratam ratio.

Argentum, οἴχεται.) Citatur à Cicerone in Piſonem ueluti prouerbiū. Eſt autem occulta proprietas in οἴχεται Gręco uerbo, quod ita ſignificat abijſſe, et perditum eſſe, ut nunquam ſpes ſit reditus, & acquiſitionis. Quemadmodum qui de hoc mundo concedunt.

Mancipio.) Solenni iuris traditione, certa uenditæ rei traditionis formula, quæ ex iure Romano nota eſt.

In porta ei locutu'ſt) Qui ex honeſta uita ad paupertatē erat redactus, clam publicas accipiebat quæ in portis ac mœnibus collocatę fuerant & datur hoc intelligi ex Iuue.

Olympicum.) Olympico citatur à Priſciano, ut ſit proprium trapezitæ.

Ferentarium.) Amicum ferentarium appellat, qui auxilium, & ſuppetias ferre uenit in tempore: metaphoricè à ferentarijs, leuis armaturæ militibus, qui laborantibus reliquis facile auxiliabantur.

Cœna popularis.) Quæ ſit hæc, uide prouerbiorum Chiliadas.

De diuinis, atque humanis cernitur.) Id eſt æquo examine iudicantur, & habentur, nempe nullum eſſe iſtic diſcrimen ordinis, ſed diuina & humana eadem trutina æſtimari. Aliter tamen placet Eraſmo in adagio: Verecundari apud menſam.

Sine ſacris hæreditas.) Lege Prouerbia ab Eraſmo congeſta.

Salillum animæ.) Explicatur ab eodem, & caſtigatur hic uerſus, qui mox ſequitur.

Noſtram me nutricem.) Pro me ne legendum eſt.

Acherontis oſtium.) Id eſt, ueneni, noxiarumq́; herbarum feraciſſimus, non aliter, ac Acherōtis oſtium: fabulantur enim poëtæ circa Acherontem eſſe oſtium Inferni, unde ab Hercule Cerberus extractus, cum ſolis claritudinem conſpicere non poſſet, uomuiſſe, è quo aconitum, & aliæ pe

ſtiferæ herbæ cœperunt pullulaſcere. Meminit & Nicandri interpres in Theriaca.

Pendet.) Vnde à quibuſdam uina pendula, quę in limum concreſcunt, & pereunt. Porphyrio μετωνυμίαν eſſe dicit, & uinum pro uua poni.

Ad incitas redactus.) Bene explicatur ab Eraſmo, & Nonio Marcello.

Solſtitiali morbo.) Quis ſit ſolſtitialis morbus non ſatis liquet, niſi exiſtimemus ſolſtitialem ita dictū morbum, ut herbam quæ ſolis mutatione, ipſa quoq; uariatur. Videtur uero magis conſentaneum ſolſtitialis dici debere, quòd in media æſtate omnes iniuria agri, cœliq; ſubito moriantur, cum alioqui tunc ruſticis ardor ſolis periculum adferre ſolet.

Tam modo inquit Præneſtinus.) Et alibi Præneſtinorum barbariem notauit, quod illi quamuis Latini, male tamen Latinè loquerentur.

Reprehendit hunc priorem.) Retrahit antiquè.

SCENA VIII.

Vt uindex fieres.) Vindex in malum ſumptum eſt.

Scio uel exignauero.) Exignare ex ignorante gnarus fieri.

Colluter.) Maculā inurat, cōmaculet, improbū reddat.

Dictatorem cenſes fore.) Apud quem ob id maximo in precio habebaris. Nam id eſt dictatorem eſſe.

Nihil ego in occulto agere ſoleo. mens eſt.) Tu caſtiga metus eſt, nam ſic allegatur à Nonio.

Caculam militarem.) Serui qui heris militantibus aderant belli tempore, caculę uocabantur. Eſtq; Græca uox κακκαλὸς quæ hominem nequam & ad quamuis uerſutiā inſtructum ſignificat. Meminit uocis huius Heſychius.

SCENA IX.

Locum quoq; omnem ubi ſitu'ſt comederit.) Obſeruatum apud Comicos comedere aliquando ita poni ut ſit integrum abſumere, atq; ita auide ut nihil relinquatur.

Apud portitorem.) Non alias reſignabant, quàm quæ ſuſpectæ erant, aut à ſuſpectis ferebantur. Prӕterea ſi quando à longinquis, aut ignotis regionibus ferri uidebant, quā tamen poſtea literarum inſpectionem decreto ſenatus abrogatam conſtat ex Gellio.

SCE-

SCENA X.

Redeam.) Aliter reducem.

Opera expertus.) Venuſte pro re ipſa.

Mendicis modeſti.) Modeſtus natura nõ regit caſum, ſed ſignificatione uicina, pro facilis, placidus.

Diſq; tuliſſent.) Tmeſis diſtuliſſent.

Diſturbare.) Diuexare, diſijcere.

SCENA XI.

Pol hic quidẽ fungino genere.) Fungi nihil aliud quàm caput ſunt, quibus autem id iuſto maius eſt pro ſtultis & ignauis haberi ſolent, uel de ornamentis loquitur, quod grandiore pileo tectus ueluti fungus uideatur.

Hillurica facies.) Barbara, Illyrica.

A chorago.) Dictũ eſt alibi à Choragis ornamenta hiſtrionibus dari accommodato.

Dormitator.) Qui interdiu dormit, ut noctu commodius furta exerceat. A Græcis eleganti uoce ἡμεροκοίτης dicitur.

Sector Zonarius.) Ab Ariſtophane βαλαντιητόμος appellatur. Nam ueteres in zonis crumenas pendentes habebant, ut & nunc moris eſt: quas qui abſcindebant, Latinis ſectores zonarij, à zona: Græcis βαλαντιοτόμοι à crumena dicebantur.

Cenſus coniuratori.) Coniurator is erat Athenis qui à peregrinis ſatisfactionem per iuramẽtum ſumebat, apud quem profiteri cogebantur & nomina & patriam. & ſtudia negotiaq; ſua peregrini, Græce dicitur συνωμώτης Meminit Pauſanias in Atticis.

Eſt minuſculum alterum.) Nomẽ intelligit breue quaſi uaſculum uinarium. Nam dolia uinaria in latitudine capaciora ſunt, quàm longitudine, ita ut curta appareant, ſecus apud Germanos.

Ad Rhadamantẽ in Cecropia.) συκοφαντίζει. Eſt enim genus hoc hominum uanum: quicquid enim in buccam uenit, ſiue uerum, ſiue falſum effutit.

Culina gallinacea.) Origanum intelligit, quod ab Heraclea Ponti Heracleoticum à Græcis, Latinis Culina gallinacea dicitur. Vide Corollarium Hermolai lib. 3. ca. 456. Abſinthium quoque ponticum præſtantiſſimum olim in medica materia habitum.

Tibi pax perijſſe.) Terentij commentator, aduerbium

ait eſſe Comicum, quod tantum ſignificat, aut fruſtra.

Doriola aduecti ſumus.) Horiola melius. Eſtq́; horiola diminutiuum ab horia nauiculæ genere, de qua alibi.

Nummum nunquam credam plumbeum.) Explicatur ab Eraſmo in Adagiis.

Homo maſticheus.) Maſtigeas & maſtigeos ab Ariſtophane appellatur uerbero, quamobrem non placet maſticheus.

Et nouorum ædilium.) Taxat ædiles, qui recens creati faſtuoſiores eſſe ſolent, & omnia in principio diligentiſſime quidem curantes, uerum poſtea ab officio multum deſiſtentes.

Nunquam temere tintinnabulum.) Deeſt ſonat. Nam ita citatur à Victorino. Eſtq́; prouerbialis locutio, nemo fruſtra ſpergit aliquid quod ad rem attinet, quin illud ſit obſeruandum.

SCENA XII.

Cottabi crebri.) Cottabi bubuli, flagellum ex corio bubulo ad uerbera adoptato: nam κοττῖν Græcis uerberare ſignificat, uel à ſono flagrorum: Tinnitũ enim κότταβος apud Grecos ſonat, qui in ludi genere, qui κότταβος appellatur repreſentatur, de quo copioſe Athenæus in 10.

Sat in thermopolio.) Legẽdum ſed in thermopolio. Eſt autem thermopolium, idem quod œnopolium in quo uidebantur uina exotica calidiora quàm patria. Et condaliũ annulus eſt. ſecundum Feſtum uidetur à condylo dictus.

Terruchus.) Fortaſſis τάῤῥουχος quem τυροκλέπτην interpretantur.

Cerconicus.) Apud Athenæum citatur hoc nomine paraſitus quidam, ſonat hominem impudentem, & ſalacem.

Crinnus.) Aridus quales ſunt pauperes, & mendici.

Cercobolus.) idem cum Cerconico.

Collabus.) Qui auribus mutilus eſt.

Apothecam inſuper.) Apotheca Græcis quemuis locum & repoſitorium ſignificat, in quo aliquid reconditur. uidetur itaq; hoc loco poſitum pro dactylotheca.

Baſilica facinora.) Exponitur in ꝓuerbiis ab Eraſmo.

Scuta iacere fugereq́; hoſtes.) Quàm id inhoneſtũ eſſet docet Eraſmus in parœmiis, Rhipſaſpis.

SCENA XIIII.

Ei rei fundus ſit potior.) Videtur fundũ dixiſſe pro fundamen-

dæmento, & ſolido aliquo ſuſtentamine, in quo confidere poſſet.

SCENA XV.

Tunica pallio propior.) Notiſſimum eſt ex Adagijs Eraſmi.

M. ACTII PLAVTI

TRVCVLENTVS.

DRAMATIS PERSONAE.

PROLOGVS.
DINARCHVS, *adoleſcens.*
ASTAPHIVM, *ancilla.*
STRATILAX, *ſeruos.*
PHRONESIVM, *meretrix.*
STRATOPHANES, *miles.*
GETA, *ſeruos.*
STRABAX, *ruſticus adoleſcẽs.*
CALLICLES, *ſenex.*
ALTERA, *ancilla.*

ARGVMENTVM.

TRes unam pereunt adoleſcentes mulierem,
Rure unus, alter urbe, peregre tertius.
Vtq; iſta ingenti militem tangat bolo,
Clàm ſibi ſuppoſuit clandeſtino editum.
Vi magna ſeruos eſt, ac trucibus moribus,
Lupæ ne rapiant domini parſimoniam:
Et is tamen mollitur. miles aduenit,
Natiq; cauſſa dat propenſa munera.
Tandem compreſſæ pater cognoſcit omnia:
Vtq; natam ducat, qui uitiarat, conuenit:
Suumq; is repetit à meretrice ſubditum.

ALIVD ARGVMENTVM.

PHroneſium meretricem tres ſimul riuales deperibant Dinarchus urbanus ciuis, Strabax ruſticus, Stratophaneſq; miles Babylonius. Strabacis erat ſeruus Stratilax ſæuis moribus, qui ob duritiam Truculentus dicitur, à quo nomen datum Comœdiæ eſt. Dinarchus cum ferme rem

omnem

omnem profudiſſet, nec ſuperfuiſſet quod daret, excluditur: ſed per Aſtaphium meretricis ancillam amicæ redit in gratiam, quia noua pollicitus eſt ſe miſſurum munera. Is prius Calliclis uitiauit filiam. Ruſticus item Strabax cũ forte exegiſſet, quam patri mercator debuerat pecuniã, ea donat Phroneſium, ut in ſuam recipiatur gratiam: interim meretrix ſe ex milite ſimulat grauidam, & ut rei fidem faciat, alterius ſibi ſupponit filium. miles adueniens ratus ex illa ſuſcepiſſe genitum, illam multis cumulat muneribus: ſed cum nouiſſet ſimul admiſiſſe ruſticum, fiunt inuicem iurgia. Callicles puellæ pater quam Dinarchus compreſſerat, cum nouit nepotem ex filia fuiſſe meretrici clàm ſuppoſitum, illum repetit, filiamq; Dinarcho uxorem collocat.

PROLOGVS.

PER paruam partẽ poſtulat Plautus loqui de uoſtris magnis
Atque amœnis mœnibus, Athenas quo ſine architectis conferat.
Quid nunc, daturin' eſtis, an non? at nũc meliorem
Quidem uobis me ablaturum ſine mora. quid ſi de uoſtro
Quippiam orem abducere? me hercle in odijs reſident
Mores priſtini, ad negandum ut celeri lingua utamini.
Sed hoc agamus, qua huc uentu' ſt gratia.
Athenis tracto ita, ut hoc eſt proſcenium,
Tantiſper dum tranſigimus hanc comœdiam.
Hic habitat mulier, nomen quoi eſt Phroneſium.
Hæc huius ſeculi mores in ſe poſſidet:
Nunquam ab amatore ſuo poſtulat id, quod datu' ſt,
Sed reliquum dat operam, ne ſit reliquom poſcendo, atque auferendo:
Vt mos eſt mulierum. nam omnes id faciunt, quom ſe amari
Intelligunt. ea ſe peperiſſe puerum ſimulat militi,

Quo

Quo citius rem ab eo auferat cum puluiſculo. quid multa?
Supereſt, mulier ne his cum anima ad eum habemi euorterit.

ACTVS PRIMVS.

DINARCHVS, adoleſcens.

NON OMNIS AETAS ad perdiſcendum ſat eſt: nã antidum is perdiſcat,
Quot pereat modis (neq; ea ratione me abſq; ſe unquã
Educet Venus, quam penes amantum ſumma ſummarũ redit)
Quot amans exemplis ludificetur, quot modis pereat,
Quotq; exoretur exorabilis, quot illic blanditiæ, quot illic
Iracundiæ ſunt, quot ſunt perclamanda. di uoſtram fidẽ. huĩ
Quid peierandum eſt, etiam præter munera. primum
Dum mœret animus, præmium ſi obolu' ſt, obeũt tres noctes.
Ducunt interea loci aut æra, aut uinũ, aut oleum, aut triticum.
Tentant benigníſne, an bonæ frugi ſies. QVASI in piſcinam
Rete qui iaculum parat, quando abijt rete peſſum, abducit:
Infra ſin iecit rete, piſcis ne effugiat cauet, dum huc,
Dum illuc rete ore impedit piſcis, uſque adeò donicum foras eduxit:
Itidem eſt amator, ſi id quod oratur, dedit, atq; eſt benignus,
Potius quàm frugi bonæ, adduntur noctes: interim ille
Hamum uorat, ſi ſemel amoris poculum accepit mere:
Eáq; intra pectus ſe penetrauit potio, éxtemplo & ipſus
Perit, & res, & fides, ſi iratum ſcortum forte' ſt amatori ſuo,
Bis perijt amator, ab re, atque animo ſimul. ſin alter alteri potior eſt, idem perit.
Si raras noctes ducit, ab animo perit: ſi increbuit, ipſus
Gaudet, res perit. ita & in ædibus lenonijs, prius quàm unum
Dederis, centum quæ poſcat parat, aut petit aurum quod conſciſſa
Pallula eſt, aut empta ancilla, aut aliquod uaſum argenteum,
Aut uaſum æneum aliquod, aut lectus dapſilis, aut amariola
Græca, aut aliquid ſemper quod pereat, debet amans ſcorto ſuo.

Suo. atq; hæc cælamus nos damna induſtria, quom iam rem
Fidemq́;, nosq́; noſmet perdimus: neq; parentes, neq;
Cognati ſentiant: quos quom cælamus, ſic facimus conſcios
Qui noſtræ ætati tempeſtiue temperant, unde ante parata
Demus pòſt partoribus. faxim lenonum & ſcortorum minus,
Et minus damnoſorum hominum, quàm nunc ſunt, ſiet.
Nam nunc lenonum & ſcortorum plus eſt ferè,
Quàm nuſquam alibi: ſic ſunt circum argentarias, quàm olim
Muſcarum eſt, quom caletur maxume. ſcorti lenones
Quaſi ſedet quotidie: ea nimia eſt ratio, quippe qui certo ſcio
Aeris plus ſcortorum eſſe iam, quàm ponderum.
Quos quidem quam ad rem dicam in argentarijs
Referre, habere, niſi pro tabulis, neſcio ubi hæ perſcribantur.
Vſuraria accipiat illico expenſa, neque cenſeat.
Poſtremo id magno in populo, mulier hominibus
Re placida atq; otioſa uictis hoſtibus, amare oportet
Omnes qui quod dent, habent: nam mihi hæc meretrix,
Quæ hic habet Phroneſium ſuum nomen, omnem
Ex pectore emouit meo phroneſim. nam phroneſis
Eſt ſapientia. nam me fuiſſe huic fateor ſummum, atq; intumũ,
Quod amantis multo peſſumum eſt pecuniæ. eadem poſtquam
Alium repperit, qui plus daret, damnoſiorem me exinde
Amouit loco. quẽ infeſtũ ac odioſum ſibi eſſe memorabat mala
Babylonienſem militem, is nunc dicitur uenturus peregre,
Eo nunc commenta eſt dolum, pepeiſſe ſimulat ſeſe, ut me
Extrudat foras: cum eſſe ſimulant militem puero patrem.
* Atq; ut cum ſolo pergræcetur militi, cum iſti ſuppoſitum
opus Puerum * optant. peſſuma mihi uerba retur dare ſe. an me cenſuit
Cælare ſe poteſſe, grauida ſi foret? nam ego Lemno aduenio
Athenas nudiuſtertius legatus, hinc quò cum publico
Imperio fui. ſed hæc, quibus melius eſt, Aſtaphium eſt ancillula:
Cum ea quoque etiam mihi fuit commercium.

ASTA-

ASTAPHIVM, *ancilla.* DINARCHVS, *adoleſcens.*

AD fores auſcultato, atque adſerua has ædeis,
Ne quis aduentor grauior abeat, quàm adueniat:
Neu qui manus attulerit ſteriles intrò ad nos,
Grauidas foras exportet. noui ego hominum mores:
Ita nunc adoleſcentes morati ſunt: quin ei ut
Reapſe nequam ueniunt ad ſcorta congerrones,
Conſultaſſunt conſilio, quando intrò adueniunt.
Vnus eorum aliquis oculum amicæ uſq; oggerit, dum illi agant.
Quom uident quempiam ſe adſeruare, obludũt, qui cuſtodem
Oblectent per ioculum & ludum: de noſtro ſæpe edunt, quod
Fartores faciunt fit pol hoc, & pars ſpectatorum ſcitis
Hæc uos, me haud mentiri, ubi uſus pugnæ & uirtuti de prædonibus prædam capere.
At nos rurſum lepide referimus gratiam furibus noſtris.
Nam ipſi uidem, quom eorum aggerimus bona, alioqui
Etiã ultro ipſi aggerunt ad nos. D. *me illis quidẽ hæc uerberat*
Nã edo huc dona congeßi. A. *cõmemini: iam pol ego (uerbis.*
Viſam ſi domi erit, mecum adducam. D. *heus manedum*
Aſtaphium priuſquam. A. *quis reuocat?* D. *ſcies, reſpice huc.*
A. *Quis eſt?* D. *uobis qui multa bona eſſe uolt.*
A. *Dato, ſi eſſe uis.* D. *faxo erunt, reſpice*
Huc modo. A. *io enicas me miſeram, quiſquis es.* D. *peſſuma*
Mane. A. *odioſus es. Dinarchúſne illic eſt? atque*
Is eſt. adi nos, ſi iturus, fer contrà manum, & pariter
Gradere: tibi ſeruio, atq; audiẽs ſum imperij. D. *tute quid agis?*
A. *Valeo, & ualidum teneo, peregre quoniam aduenis uiuos.*
D. *Benigne dicis, aſta te ámabo.* A. *ſine me ire, quò iußit.* D. *eas.*
Sed quid ais? quid uis iſtic, quò iter inceptas? quis eſt,
Quem accerſis? A. *Archinam obſtetricem.* D. *mala fœmina es.*
A. *Soleo, una ex diſciplina.* D. *manifeſtam mendacij mala*
Te teneo. A. *quid iã ámabo?* Di. *qa te adducitură huc dixeras*
Eũ ipſum. A. *at modo à ſe nunc mulier facta eſt ex uiro.* D. *mala eſt.*

Præſti-

A. Præſtigiator, ſed tandem loquere, qui ſis homo. D. eſt Aſtaphium,
Vnus amator. A. nimis otioſum arbitror hominẽ te eſſe. D. qa
Nam arbitrare? A. quia tuo ueſtimento & cibo alienis
Rebus curas. D. uos mihi dediſtis otium. A. quid iam ámabo? D. expedibo.
Rem perdidi, meum negotium abſtuliſtis: ſi rem ſeruaſſem,
Fuit ubi negotioſus eſſem. A. an tute bene rem publicam
Aut amoris alia lege habere poſse poſtulas, quin tu otioſus fias?
A. Illa, haud ego, habuit publicum: peruorſe interpretaris,
Nam aduorſum legẽ à me ob meam ſcripturam pecudẽ accipi
Fieriq;. A. idẽ quod tu facis, faciunt: rẽ male gerentes: ubi non
Eſt ſcriptura, unde dent, incuſant publicanos. D. male uortit
Res pecuaria mihi apud uos, nunc uiciſſim uolo habere
Aratiunculam pro copia apud uos. A. non aruus hic, qui arare ſolcat,
Sed paſcuus eſt ager. ſi arationes habiturus,
Ad pueros ire melius eſt, hunc nos habemus publicũ, illi alij
Sunt publicani. D utroſq; percognoui probe idem.
A. Iſtoc pol tu otioſus, cum illic & hic peruorſus es, ſed utris
Cũ rem eſſe mauis? D. procatiores eſtis uos, ſed illi periurioſi:
Illis perit quicquid datur, neq; ipſis apparet quicquam.
Vos ſaltem, ſi quid quæritis, & bibitis, & comeſtis.
Poſtremo illi ſunt improbi, uos nequam, & glorioſæ, malæq;
In nos illis. A. ea omnia tibi dicis Dinarche, & noſtram
Et illorũ uicem. D. quid iſtuc? A. rationem dicam, QVI A QVI ALTERVM INCVSAT probri, ipſum ſe intueri oportet.
Tu à nobis ſapiens nihil habes, nos neq; abs te habemus.
D. O Aſtaphium haud iſtoc modo ſolita es me ante appellare,
Sed blande, quomodo illuc, quod apud uos nunc eſt, apud me haberem.
A. DVM VIVIT, HOMINEM noueris: ubi mortuus eſt, quieſcas.
Te, dum uiuebas, noueram. D. an me mortuum arbitrare?
A. Quî potis eſt ámabo? planius qui ante hac amator ſummus
Habi-

Habitus eſt, iſtunc ad amicam uerius uerimonia referre.

D. Voſtra hercle factũ iniuria, quæ properaueritis olim rapere:
Otioſe oportuit, diu ut eſſem incolumis uobis.

A. AMATOR ſimilis eſt oppidi hoſtilis. D. quo argumento eſt? A. quàm
Primum expugnari potis eſt amator, optumum eſt amicæ. D. & ego fateor.
Sed lõge aliter eſt amicus atq; amator: CERTE HERCLE quàm ueterrumus
Homini optumus eſt amicus. non hercle occiderunt mihi etiam
Fũdi & ædes. A. cur obſecro ergo ante oſtiũ pro ignoto alie-
Aſtas? i intrò, haud alienus tu quidẽ es. nã ecaſtor neminẽ (noq;
Hodie magis amat corde atq; animo ſuo, ſi quidẽ habes fundũ
Atq; ædeis. D. in melle ſunt linguæ ſitæ uoſtræ, atq; orationes:
Corda in felle ſunt ſita, atq; acerbo aceto. linguis dicta dulcia
Datis, corde amarè facitis, amantes ſi quid non danunt. A. nõ didici
Fabulare. D. non iſtæc mea benignitas docuit te fabulari. A. ſed iſtos
Qui cum genijs ſuis belligerant, parce promi. D. mala es, atq; eadem quæ
Soles, illecebra. A. ut expectatus peregre aduenisti. nã obſecro
Cupiebat te hera uidere. D. qd tandẽ? A. te unũ ex oĩbus amat.

D. Euge, funde & ædes per tempus ſubueniſtis mihi: ſed quid ais Aſtaphium? A. quid uis?

C. Eſtne intus nunc Phroneſium? A. tibi quidem intus. D. ualet? A. imò
Aedepol melius iam credo fore, ubi te uidebit.

D. Hoc nobis uitium maxumum eſt, cum amamus, tunc perimus:
Si illud, quod uolumus dicitur, palàm commentiuntur:
Verum eſſe inſciti credimus, næ ut in æſtu motuantur iræ.

A. Eia, haud ita eſt res. D. ain' tute amare? A. imò unice unum.

D. Peperiſſe eã audiui. A. ah obſecro tace Dinarche. D. quid iam?

A. Horriſco miſera, mentio quoties fit partionis, ita pœnæ

Tibi fuit Phroneſium. i intrò amabo,
Viſe illam, atq; operire ibi: iam exibit: nam lauabat.
D. Quid ais tu? quæ numquam fuit prægnans, qui parere potuit?
Nam equidem uterum illi, quod ſciam, nunquã extumere ſenſi.
A. Cælabat, metuebat'q; te, ne ſibi perſuaderes, ut abortioni
Operam daret, puerum'q; rite abnecaret. tum pol iſti puero quidem
Eſt pater Babyloniẽſis miles, quoius nũc iſta aduentũ expetit.
Imò ab eo ut nuntiatuſt', iam hic adfuturũ aiunt, cum nondum
Adueniſſe miror. D. ibo igitur intrò. A. quippini tam audacter, quàm
Domum ad te: nam tu ædepol noſter. ſed iam nunc Dinarche,
Quàm mox te recepiſti, iã hic ero, prope eſt, profecta quò ſum
Redi uerò actûtum: ego interim te apud uos opperibor.

ACTVS SECVNDVS.

ASTVPHIVM, ancilla.

HA ha ha hercle quieuit, quia introiuit, odium: tandem ſola ſum.
Nũc quidem meo arbitratu loquar bibere, quæ uolam,
Et quæ lubebit huic homini amanti, me hera apud nos dixit,
Veniam de bonis: nam fundi ædes obligatæ ſunt ob amoris prandium:
Verum apud hunc me hera conſilia ſumme loquitur libere, magiſq;
Adeo ei conſiliarius hic amicus eſt, q̃ auxiliarius.
Dum fuit, dedit: nunc nihil habet: quod habebat, nos habemus.
Iſtic id habet, quod habuimus, humanum facinus factum eſt.
ACTVTVM fortunæ ſolent mutarier: uaria uita eſt: nos diuitẽ
Eũ meminimus, atq; iſti pauperes nos. uertere ſeſe memoria'ſt
Vices ſic, quid ita miretur, ſi eget? neceſſe eſt nos patier à uita.
Aequom factum eſt, piaculum eſt miſereri nos hominum
Rem male gerentium. bonis eſſe oportet dentibus lenã probã,
Arridere quiſquis ueniat, blandeq; alloqui, male corde
Conſul-

Conſultari, bene loqui lingua. meretricē eſſe ſimilem ſentis condecet,
Quenquē hominem attigerit, profecto aut malū aut damnum
Dari: nunquam amatoris meretricē oportet cauſſam noſcere.
Quin ubi nihil det, pro infrequente eum mittas militia domū.
NEC VNQVAM quiſquam probus erit amator, niſi qui reī
Inimicu'ſt ſuæ, nugæ ſunt, niſi quod modo cum dederit,
Dare iā iubeat denuo. is amatur hic apud nos, qui quod dedit,
Iocatur datum. dum habeat, tum amet: ubi nihil habeat,
Alium quæſtum cœpiat: æquo animo ipſe, ſi nil habeat,
Alijs qui habent, det locū. PROBVS EST AMATOR, qui
Relictis rebus rem perdit ſuam. at nos male agere prædicāt
Viri ſolere ſecum, noſq; eſſe auaras, qui ſi nunquam
Alienos agimus tandem. nam ecaſtor nunquam ſatis dedit
Suæ quiſquam amicæ amator, neq; pol ſatis accepimus,
Neque ulla ſatis popoſcit. nam quando ſterilis eſt amator,
Satis ſi negat ſe habere quod det ſoli: nec ſatis accipimus,
Satis quom quod det non habet. ſemper datores nouos
Oportet quærere, qui de theſauris integris dona
Danunt. hui ut hic agreſtis eſt adoleſcens, qui hic habet,
Nimis pol mortalis lepidus, nimiſq; probus dator.
Sed is clam patre etiam hanc noctem illâc
Per hortum tranſiliuit ad nos: eum uolo conuenire.
Sed eſt huic unus ſeruos uiolentiſſumus:
Qui ubi quanq; noſtrarum uidet prope ædeis haſce, egrediēs,
Item ut de frumento anſeres, clamore abſterret, & abigit:
Is item eſt agreſtis. ſed fores, quicquid eſt futurum, feriam.
Ecquis huic tutelam ianuæ gerit? ecquis intus exit?

STRATILAX, ſeruos. ASTAPHIVM, ancilla.

S. QVis illic eſt, qui tam proterue noſtras ædeis arietat?
A. Ego ſum, reſpice ad me. S. quid ego? A. nonne ego uideor tibi?
S. Quid tibi ad haſce acceſsio eſt ædeis propè, aut pultatio'ſt?
A. Salue. S. ſatis eſt mihi tuæ ſalutis, nihil moror, non ſalueo:

Aegrotare malim, quàm eſſe tua in ſalute ſanior.
At uolo ſcire, quid debetur hic tibi noſtræ domi. A. cõprime.
S. Spero meam quidem hercle, tu, quem ſolitas, comprimas.
Impudens per ridiculum ut ruſtico ſuadet ſtuprum.
A. Iram dixi. S. ut eſſe cœpiſti quidẽ, ſi eſt una altera. A. nimis hic
Quidem truculentus. S. pergin' male loqui mulier mihi?
A. Quid tibi ego aũt dico? S. quia enim me truculentũ nomines,
Nunc adeò niſi abis actûtum, ac dicis quid quæras, ſcito
Iam hercle ego hic te mulier, quaſi ſus catulos, pedibus
Proteram. A. rus merum hic quidem eſt pudendum, & uero
Larinum pecus. S. aduениſti huc ſubtentatũ exornatis oßibus:
Quia tibi in ſuaſo infeciſti propudioſa pallulam. an eo
Bella es, quia cepiſti armas? aduenias, nunc places.
Quom me illi uelim mentiri, dices quid quod te rogo
Mancupium, qui accipias geſta tecum, hæ nos, an uos
Dignos dant lauiniæ, hic ſunt quas habes uictorias.
A. Ne attingas me. S. tangam, ita me amabit ſarculum.
Vt ego me ruri iam examauerim patulum moueri,
Quomq; ita noctem in ſtramentis pernoctare perpetem,
Quàm tuas centum cœnatas noctes mihi dono pati.
Rus tu improbras, ut nacta es hominem, quem pudeat probri.
Sed quid apud noſtras negotij mulier eſt ædeis tibi?
Quid tu hoc occurras in urbem, quotieſcunq; aduenimus?
A. Mulieres conuenire uolo uoſtras. S. quas tu mulieres
Mihi narras, ubi muſca nulla fœmina eſt in ædibus? nulla iſtic
Mulier habitat, rus inquã abierũt. abi. A. quid clamas inſane?
S. Abire hinc ni propere grandigras, iam ego iſtos fictos,
Compoſitos, criſpos, cinnos tuos unguentatos uſq; ex cerebro
Expellam. A. quánam gratia? S. quia adeò fores noſtras iunctas audes
Accedere, quiaq; iſtas buccas tam belle purpuriſſatas habes.
A. Erubui mecaſtor miſera propter clamorẽ tuũ. S. itáne erubuiſti?
Quaſi uero corpori reliqueris tuo poteſtatem coloris ulli capiendi mala.

Buccas

Buccas rubriceta omne corpus intinxit tibi, peſſumæ eſtis. A. quid eſt

Quod uobis peſſume hæc? S ſcio ego plus, quàm me arbitraris ſcire.

A. Quid id eſt obſecro, quod ſcias? S. herilis noſter filius apud uoſtram perit,

Vt peraſtute eum inijciatis in malam fraudem, & præmium.

Sanus ſi uidear edicam. A. dicis contumeliam, nemo hominum

Hic perire ſolet apud nos: res perdunt ſuas: ubi perdiderunt

Res, abire hinc ſi uolunt, uti ius, licet. ego non noui adoleſcentē

Voſtrum. S. uerōn'? A. ſerio S. quid maceria illa ait, in horto

Quæ eſt, quæ in noctes ſingulas látere fit minor, quà is ad uos

Dāni permenſus uiā eſt? A. non mirū. uetus eſt maceria, lateres

Si ueteres ruunt. S. ain' tu lateres ueteres ruere? nunquam

Aedepol mihi quiſquam homo mortalis poſthac duarū rerum creduit,

Ni ego uoſtra hero amara facta denarrauero. A. éſtne ille

Violentus? S. ſuam non enim ille meretriculis muniendis rem

Cogit, uerum parſimoniæ, duritiæ æque: quæ nunc duo ſciam.

Exportantur peſſumum, hem tuos exungula, male uiuitis.

Egóne hic muſitem? iam enim eccere ibo ad forum, atque hæc.

Facta narrabo ſeni, neq; iſtuc in ſe geſtit. A. ergo coget exani-

Mori: ſi ecaſtor hic hō ſinapi uictitet, nō cenſeā tā eſſe (mem

Triſtē poſſe. S. at pol ero beneuolens, uti eſtis uos. A. uerū ego

Illum, quanquā uiolentu'ſt, ſpero, immutari poteſt blandimētis,

Ornamentis cæteris meretricijs. uidi equidem iuuencum ex indomito domitum

Fieri, atq; alias beluas. nunc ad heram ire iubebo. eccū, odium

Progreditur meum, triſtis exit: at conuenire etiam hic dum Phroneſium.

DINARCHVS, ASTAPHIVM.

D. PIſceis ego credo, qui uſq; dum uiuont lauant, minus diu

Lauare, quàm hæc lauat Phroneſium. ſi perinde amētur

Mulieres, diu ꝗ lauant, omes amatores balneatores ſiēt.

A. Nō quis parū perdurare opperier? D. quin hercle laſſus iā ſum
Durando miſer. A. mihi quoque præ laßitudine opus eſt lauere. D. ſed obſecro
Hercle Aſtaphium intrò huic nuntia me adeſſe, quoi properet ſuauium,
Vt ſatis lauerit. A. licet. D. audin' etiam? A. quid uis? D. di me
Perdūt, qui te reuocaui, nō tibi dicebam, i modo. A. quid iam
Reuocabas? D. improbus, nihiliq; homo, qui tibi mille paſſus peperit moræ.
Sed quid hæc hic autem tamdiu ante ædeis ſtetit? neſcio quem præſtolata eſt.
Credo militem illum ſtudent, iam quaſi uolturij: triduo prius
Prædiuinant, quo die eſuri ſient: illum inhiant omnes, illi eſt
Animus omnibus: me nihilo magis reſpiciet, ubi is huc uenerit,
Quàm ſi hinc ducentos annos fuerim mortuus. uerùm ſeruire ſuaue eſt.
Væ miſero mihi pòſt factum plector, quia antè partū perdidi.
Verū nūc ſi qua mihi obtigerit hæreditas magna atq; luculēta
Nūc poſtq̄ ſcio dulce, atq; amarū qd ſit ex pecunia, ita ego illā
Aedepol ſeruem, itaq; parce uictitem, ut nulla faxim eis dies
Paucos ſiet, ego iſtos, qui nunc me culpant, confutauero.
Sed adſentio aperiri fores, quæ abſorbent quicquid uenit infra peſſulos.

PHRONESIVM, meretrix. DINARCHVS, adoleſcens.

P. NVm tibi nā amabo ianua eſt mordax mea, quò introire
Metuas mea uoluptas? D. feruide ut tota floret, ut oleū
Nitide nitet. P. quid tam infacetus Lemno aduenienſ? quid ne
Non das amicæ Dinarche ſauium? D. uah uapulo hercle
Ego nunc. P. atq; adeò male, quò te auortiſti? D. ſalue
Phroneſium. P. ſalue. hicne hodie cœnas, ſaluos cum aduenis?
D. Promiſi: iube, cœnabo ubi tu iuſſeris. P. hoc me lubente facies.
D. Aedepol me magis, nempe tu eris hodie mecū mea Phroneſiū.
P. Velim ſi fieri poſſit. D. cedò ſoleas mihi. properate, auferte

Men-

Menſam amabo. P. ſanun' es? D. nō ædepol bibere poſſum iam,
Ita animo male'ſt. P. mane, aliquid fiet cibi. D. ſparſiſti
Aquam, iam rediijt animus: deme ſoleas, cedò unum.
P. Idem es ecaſtor, qui ſoles ſed dicas mihi, benénam ambulaſti?
D. Huc quidem hercle bene, quandò tui uidundi eſt
Copia. P. complectere lubens. D. at hoc eſt melle dulci dulcius.
Hoc tuis fortunis Iuppiter præſtant meæ.
Da nunc ſauium. P. imò uel decem: utinam iſtoc pauper eſſem.
D. Plus pollicere, quàm ego à te poſtulo. utinam à principio
Rei item parſiſſem meæ, ut nunc reparcis ſauijs. P. ſi quid tibi
Compendi facere poßim, faciam. D. ædepol uelim iam auertiſſe
Iā pol mihi quidē, atq; oculis meis. P. num tibi ſordere uideor?
D. Non mihi quidem, uerum tempeſtas, memini, quondam fuit,
Quom inter nos ſorderemus alteri. ſed qd ego facinus audiui
Aduenìens tuum, quod tu hic abſente me noui negotij geſſeris?
P. Quomq; bene præueniſti, ſanè gaudeo: tibi mea cōſilia ſumma
Semper credidi: equidem nec peperi puerum, nec prægnans
Fui, uerùm aßimulaui me eſſe prægnantem, haud eram.
D. Quæ propter, mea uita? P. propter militem Babylonienſem,
Qui quaſi uxorem ſibi me habebat anno uno dum hic fuit.
D. Ego ſenſerā. ſed quid iſtic, quoi rei itē aßimulare retulit? P. ut
Eſſet aliquid ſi eque uſque eſt & redimiculum; reuerſionem ut ad me faceret
Denuo: nunc huc remiſit nuper ad me epiſtolā, ſeſe experturū
Quam i ſeſe penderem: ſi quid peperiſſem, educarem, tollerem: bona ſua me
Habiturum omnia eſſe. D. auſculto lubens. quid denique agitis? P. mater
Ancillas iubet, quoniam iam decumus menſis aduentat propè,
Aliam aliorſum ire: præmandare & quærere puerum aut
Puellā, qui ſupponātur mihi. quid multa uerba faciā? tonſtricē
Syram nouiſti noſtram, quæ erga ædem ſeſe habet? D. noui.
P. Hæc una opera circumit per familias, puerum ueſtigat, clanculum ad me

Detulit, datum ſibi eſſe dixit mercis male eum. D. nunc non illa
Peperit, quæ peperit prior, ſed poſterior. P. ordine omnẽ rem tenes.
Nunc ut præmiſit nuntiũ miles mihi, nõ multo poſt hæc aderit.
D. Nunc tu te interim quaſi puerpera hic procura. P. quippini, ubi ſine
Labore res geri pulchre poteſt? AD SVVM quenq; æquom eſt quæſtum
Eſſe callidum. D. quid me futurum eſt, quando miles uenerit? relictúſne abs te uiuam?
P. Vbi illud, quod uolo, habebo ab illo, facile inueniam quo modo
Deuortiũ & diſcordiam inter nos parẽ: pòſt id ego totũ tecũ
Mea uoluptas uſque ero aßiduo. D. imò hercle uerò accubuo
Mauelim. quin dis hodie ſacruficare pro puero uolo adſcititio.
P. Imò hercle uerò quinto die, quod fieri oportet, cenſeo.
Non audes aliquod mihi dare munus ciuiliũ lucrûm? D. hercle
Videor facere mihi uoluptatem: eia ubi quippiam me
Poſcas. P. id ergo ubi abſtulit. D. iã faxo hic aderit, ſeruolũ huc
Mittam meũ. P. ſic facito. D. quicquid autẽ erit, boni cõſulas.
P. Ecaſtor munus te curaturum ſcio, ut quoius me non pœniteat,
Mitte mihi. D. num quippiã me uis aliud? P. ut quãdo otium
Tibi ſit, me reuiſas. D. ualeas. P. uale. D. proh di immortales,
Amantis mulieris, ſed ſociæ unanimantis fidentis fuit (non
Officiũ facere, quod modo hæc facit mihi ſuppoſitionẽ pueri:
Quàm mihi credidit, germanæ quod ſorori nõ credit ſoror.
Oſtendit mihi iam ſeſe medullitus, ſe infidelem nunquam
Dũ uiuat, fore. egóne illã ut nõ amẽ? egóne illi non bene uelim?
Me potius non amabo, quàm huic deſit amor. ego iſti non munus mittam?
Iam modo ex hoc loco iubebo ad iſtam quinq; per ferri minas.
Præterea obſonari dũtaxat hic mina, multo illi potius bene erit
Quæ bene uolt mihi, q̃ mihimet omnia quæ mihi facto mala.

PHRONESIVM, meretrix.

PVero iſti date mammam. ut miſeræ matres ſolicitæq;

Ex ani-

Ex animo ſunt, cruciamq́;. ædepol commentum male,
Quomq́; eam rem in corde agito, nimio minus perhibemur
Malo q̄ ſumus ingenio. ego prima de me modo dicta dictito.
Quanta eſt cura in animo, quantum corde capio dolorem,
Dolus ne occidat morte pueri. mater dicta quòd ſum, eo magis
Studeo uitæ, quæ hoc auſa ſum tantundem dolum aggrediar.
Lucri cauſſa auara probrum ſum executa: alienos dolores
Mihi ſuppoſui. nullam rem oportet doloſe aggrediri, niſi
Aſtute, accurateq́; exequare. uoſmet iam uidetis ut ornata
Incedo puerperio: ego nunc me eſſe ægram aſsimulo.
MALE QVOD MVLIER incœpit, niſi efficere perpetrat,
Id illi morbo, id illi ſenio eſt, ea illi miſeræ miſeria'ſt.
Si benefacere incœpit, eius enim cito odium percipit.
Nimisq́; paucæ ſunt defeſſæ, male quæ facere occœperunt:
Nimisq́; paucæ efficiunt, ſi quid occœperint benefacere.
MVLIERI NIMIO malefacere melius eſt onus, quàm bene.
Ego, quòd mala ſum, matris opera mala ſum, et meapte malitia,
Quæ me grauidam eſſe aſsimulaui Babylonio: eam nunc
Malitiam accuratam miles inueniat uolo: iſtic haud multo pòſt
Credo aderit: nunc prius præcauero ſciens, cumq́;
Ornatu, ut grauida quaſi puerperio cubem. date mihi
Huc ligna atque ignem in aram ut uenerer Lucinam deam.
Hic apponite, atque abite ab oculis. operæpretium face ut
Accumbam: accede adiutare, ſic decet puerperam: ſoleas
Mihi date. palliū inijce in me huc Archilis. ubi eſt Aſtaphium?
Fer huc uerbenam mihi, thus & bellaria. date aquam manibus.
Nunc ecaſtor ut ueniret miles, uelim.

STRATOPHANES, miles. PHRONESIVM, meretrix.
ASTAPHIVM, ancilla.

S. NE expectetis ſpectatores, meas pugnas dum prædicem:
Manibus duellis prædicare ſoleo, haud in ſermonibus.
Scio ego multos memorauiſſe milites mendacium,
Et Homeronidam & poſtilam illi memorari poteſt,
Qui & conuicti & condemnati falſi de pugna ſient.

NON LAVDANDVS eſt qui plus laudant, quæ audit, quàm
Quæ uidet. non placet cum illi plus laudãnt, quæ audiunt,
Quàm quæ uident. PLVRIS EST oculatus teſtis unus, quàm
auriti
Decem. qui audiunt, audita dicunt: qui uident, planè ſciunt.
Non placet quem ſcurræ laudant, manipulares muſitant,
Neque illi, quorum lingua gladiorum aciem præſtringit. domi
Strenui nimio plus proſunt populo, quàm arguti & cati.
FACILE SIBI facunditatem uirtus arguta inuenit.
Sine uirtute argutum ciuem mihi habeam pro præfica,
Quæ alios collaudat, ea ſeſe uerò non poteſt. nunc
Amicam decumo menſe poſt Athenas Atticas uiſo,
Quam grauidam reliqui meo compreſſu, quid ea agat.
P. Vide quis loquitur. A. iam propinquat miles. mea
Phroneſium, tibi adeſt Stratophanes,
Nunc tibi opus ægram ut te aſimules. P. tace,
Quoi adhuc ego: tu malam emones ruſtica à me maleficio.
Vincere'ſt: repperit mulier, ut ego opinor, una dea aut
Hominem ut uolo. S. euge Aſtaphium eccam mihi
Aduorſum. A. ſalue Stratophanes, uenire te ſaluum gaudeo.
S. Scio, ſed peperitne obſecro Phroneſium? A. peperit puerum
Nimium lepidum. S. ecquid mihi ſimilis eſt? A. rogas?
Quin ubi natu'ſt, machæram & clypeum poſcebat ſibi.
S. Meus eſt ſcio iam, de argumentis nimium quidem ſimilis eſt.
A. Papæ iam magnu'ſt. S. iamne lectat legionem quam ſpoliare
Velit? A. here nudiusquintus natus quidẽ ille eſt. S. quid poſtea?
Inter tot dies quidem hercle iam actum aliquid oportuit.
Quid illi ex utero exitio'ſt, priuſquam poterat ire in prælium?
A. Conſequere, atq; illam ſaluta, & gratulare illi. S. ſequor.
P. Vbi illa obſecro eſt, quæ me hic reliquit ab ſe? abiſti?
A. Adſum, adduco tibi exoptatũ Stratophanẽ. P. ubi is eſt obſecro?
S. Mars peregre aduenicns ſalutat Nerienem uxorem ſuam.
Quom tu recte prouenisti, quomq; es aucta
Liberis, gratulor, quom mihi tibiq; magnum dediſti decus.

Salue

P. *Salue qui me interfeciſti penè, & uita & lumine, quiq;*
Mihi magnos dolores per uoluptatē tuam condidiſti in corpus.
Quo nūc etiā morbo miſera ſum. S. eia quamobrē mea uoluptas
Tibi obuenit labos iſte? filium peperiſti, qui ædeis ſpolijs opplebit tuas.

P. *Multo ecaſtor magis oppletis opus eſt tritici granarijs, næ ille priuſquam*
Spolia capiat, hic nos extinxit fames. S. habe bonum animum.

P. *Sauium ſis pete hinc à me: nequeo caput*
Tollere, ita do, itaq; me ego doleo,
Neq; iam queo pedibus mea ſponte ambulare. S. ſi me ex media
Mari ſauium petere tuum iubeas, petere haud pigeat me:
Id ita eſſe experta es. nunc experiere mea Phroneſium me te
Amare. adduxi ancillas tibi eccas ex Syria duas iſtas dono.
Adduce huc tu iſtas. ſed reginæ domi ſuæ fuêre ambæ,
Verum patriā ego excidi manu, his te dono. pœnitétne quòd ancillæ ſunt?

P. *Iam quin etiam ſuperducas, quæ mihi comedant cibum. S. hoc quidem*
Hercle ſi ingratu'ſt donum, cedò tu mihi iſtam puere pallulam,
Mea uoluptas attuli eccam pallulā ex pari gratia tibi. tene tibi.

P. *Hóccine mihi ob labores tantos tamillum dari? S. perij miſer:*
Iam auro contrà conſtat filius, etiamnum nihili pēdit. addit purpuram:
Exorat. tibi attuli duas Ponto amœnas, tene tibi uoluptas mea.
Accipe hoc, abduce has in conſpectus uoſtros. P. equidem has
Ecaſtor nihil moror. S. nihilne huic ſat eſt? ne unum uerbum
Quidē dixit, uiginti minis uænire illæc poſſe credo dona, quæ ei
Dono dedi, uehementer mihi nunc eſt irata, ſentio atq; intellego.
Verùm adibo. quid ais nunc tu? númne uis me uoluptas mea,
Quò uocatus ſum ire ad cœnam? mox huc cubitum uenero.
Quid taces? planiſſume ædepol perij. ſed quid illuc boni eſt?
Quis homo eſt, qui inducit pompam tantam? certu'ſt quò ferant
Obſeruare: huic credo fertur: uerùm iam ſcibo magis.

GETA.

GETA, ſeruos. STRATOPHANES. PHRONESIVM.

G. ITe hâc ſimul mulieri damnigeruli foras gerrones,
Bonorum exagôgæ. ſatis eſt: QVI AMAT, NEQVIT quin nihili ſit, atque improuiſe partibus expoliet.
Nam hoc quî ſit ita, ne quis id quærat ex me, domi ſcit quæ facit
Improba facta amator, qui bona ſua pro ſtercore habet, foras
Iubet ferri, metuit publicos, mundiſſimu'ſt, puras ſibi eſſe uolt
Aedeis. domi quicquid habet, perditur. ex eo, quãdo quidẽ ipſus
Perditu'ſt, ſecretò herclè equidẽ illũ adiutabo, neq; mea quidem
Opera unquam nihilominus propere, quàm poteſt, peribit:
Nam iam de hoc obſonio, de mina deminui modo quinque
Nummos, mihi detraxi partem herculaneam. NAM HOC ASSIMILE EST,
Quaſi de fluuio qui aquam deriuat ſibi, niſi deriuetur tamen,
Omnis aqua abeat in mare: nam hoc in mare abijt, miſereq;
Perijt ſine bona omni gratia. hæc cum uideo fieri, ſuffuror,
Suppilo, de præda prædam capio. MERETRICEM ego item eſſe reor,
Mare ut eſt, quod des deuorat, nunquam abundat. hoc ſaltem
Seruat me, quom illi ſubeſt, apparet: des quantum uis, nuſquam
Apparet, neq; datori, neq; acceptricæ. uelut meretrix meũ herũ
Miſerum ſua blanditia intulit in
Pauperiem, priuauit bonis, luce, honore, atque amicis.
Atat eccam adeſt propinque: credo audiuiſſe hæc me loqui.
Pallida eſt, ut peperit puerum. alloquar quaſi neſciam. iubeo
Vos ſaluere. P. noſter Geta, quid ais? ut uales? G. ualeo & uenio
Ad minus ualentẽ, & melius quî ualeat fero. herus meus, ocellus
Tuus ad te ferre me hæc iuſſit tibi dona, quæ uides illos ferre,
Et has quinque argenti minas. P. pol haud perit, quod illum
Tantum amo. G. iuſſit oborare, ut hæc grata haberes tibi.
P. Grata ecaſtor habeo. iube auferri imrò hæc ad me.
Ecquid auditis? ecquæ tam imperat ſuis? G. nolo auferam,
Deſiccari iube. P. impudens mecaſtor, quanti eſt negotij?
G. Tu bona fide, tune ais impudẽtem me eſſe ipſa, quæ ſis ſtabulum

Flagi-

Flagitij? P. dic amabo te, ubi eſt Dinarchus? G. domi. P. dic ob hæc dona,
Quæ admiſerit, me illum amare plurimum omnium hominum,
Erga eumq; honorem, eumq; habere omnium maxumum,
Atq; ut huc ueniat obſecrare. G. ilicet. ſed quiſnã illic homo'ſt,
Qui ipſus ſecum eſt triſtis? animo hercle homo'ſt ſuo miſer:
Quiſquis eſt, dignus eſt mecaſtor. P. ecqd eſt? nõ nouiſti obſecro,
Qui illic apud me erat huius pater? uſque ad ientaculum
Iuſsit ali. manſi: auſcultaui: obſeruaui, quem pernam noui
Hominem, nihil illicq; eſt. illic eſt, me inuetur gemens:
Traxit ex intumo uentre ſuſpirium. hoc uide, dentibus
Frendit, icit femur. G. num obſecro nam hariolus qui ipſus
Se uerberat? S. nunc ego meos animos uiolentos, meamq; iram
Ex pectore iam promam. loquere, unde es tu?
Quoius es? cur auſus inclementer mihi dicere? G. lubido eſt.
S. Iſtucne mihi reſponſas? G. hæc, non ego te floccifacio.
S. Quid tu? cur auſa es aliũ te dicere amare hominem? P. lubitu'ſt.
S. Ain'? tandem? iſtuc primum experiar: tum tantuli doni cauſſa,
Holerum atque eſcarum, & poſcarum, mœchum malacum,
Cincinnatum, umbraticolum, tympanotribam amas,
Hominem non nauci quæ hercles. G. meóne hero tu improbe
Et maledicere audes fons uitij & periurij? S. uerbum unum
Adde iſtoc, iam hercle ego te hic affatim officiam. G. tange
Modo, iam ego te hic agnum faciam & medium diſtruncabo.
Si tu in legione bellator cluēs, at ego in culina aues.
P. Si æquom facias, aduentores meos non incuſes, quorum mihi
Dona accepta & grata habeo, tuáq; ingrata quæ abs te accepi.
G. Tum pol ego & donis priuatus ſum, & peri. P. planè iſtuc eſt.
Quid nunc ergo hic odioſe es confeſſus omnibus te ijs?
S. Perij hercle hodie niſi hunc à te abigo. G. accede huc modo,
Adi huc modo. S. etiam ſcelus minitare, quem ego
Affatim iam iam concipilabo. quid tibi huc uentio eſt?
Quid tibi hanc aditio eſt? quid tibi hanc notio eſt, inquam,
Amicam meam? emoriere ocyus, ſi manu uiceris.

Quid

G. Quid manu uicerim? S. fac quod iuſſi, mane, iam ego te hic
Affatim conficiam. G. occidi: optumum eſt: captio eſt. iſtam
Machæram longiorem habes, quàm hæc eſt: ſed ueru
Sine dum petere, ſi quidem belligerandum eſt tecum.
Ibo domum ego, tecum bellator arbitrum æquom ceperim.
Sed ego ceſſo me hinc amouere, uentre dum ſaluo licet?

PHRONESIVM. STRATOPHANES.

P. DAte iam ſoleas, atque me intrò actûtum ducite: nam mihi de uento
Miſeræ condoluit caput. S. quid mihi futurum eſt, quoi duæ ancillæ
Dolent, quibus te donaui? iamne abiſti? hem ſic datur, quo pacto
* ex Excludis quæſo * eſopitius planius q̃ excluſus nunc ſum? pulchre
ho- Ludificor. ſine quantulo mihi opere nunc perſuaderi poteſt, ut
ſpi- ego hiſce
tio. Suffringam talos. totis ædibus num quippiam auarum, ut ad mores mulierum?
(hæc te
Poſtquam filium peperit, animos ſuſtulit, nunc quaſi mihi dicat,
Iubeo. neq; uolo introire in ædeis: at ego nolo, non eo: ego faxo
Dicat me in diebus pauculis crudum uirum eſſe. ſequere me hâc, uerbum ſat eſt.

ACTVS TERTIVS.

STRABAX, ruſticus adoleſcens. ASTAPHIVM, ancilla.

S. RVs mane dudum hinc ire me iuſſit pater, ut bubus
Glandem prandio depromerem. poſt illuc ueni, quàm aduenit,
Si dis placet, ad uillam, argentum meo qui debebat patri:
Qui oueis Tarentinas erat mercatus de patre, quærit patrem.
Dico eſſe in urbe: interrogo quid eum uelit. homo crumenam
Sibi de collo detraxit: minas uiginti mi dat. accipio lubens.
Condo in crumenam. ille abit: ego propere minas oueis
In crumena hac in urbem detuli. fuit ædepol Mars
Meo iratus patri: nam oues illius haud longe abſunt à lupis.

Nunc

Nunc ego iſtos mundulos urbanos amaſios
Hoc ictu exponam, atque omnes eijciam foras. eradicare eſt
Certum cum primis patrem: poſt id locorum matrem nunc.
Hodie efferam ad hanc argentum, quam mage amo, quàm
A. Matrem meam. tat ecquis ulla eſt? ecquis aperit hoc oſtium?
Quid iſtuc alienum eſt ámabo mi Strabax, qui non éxtemplo
Intres? ánne oportuit ita te quidem, qui es familiaris? S. ibitur:
Ne me morari cenſeas. A. lepide facis.

S. STRATILAX. ASTAPHIVM.

MIrum uidetur, rure herilem filium Strabacem non rediſſe, niſi ſi
Clanculum collapſus eſt hic in corruptelam ſuam. A. iam pol hic
Me inclamabit ſi aſpexerit. S. nimio minus ſæuos iam ſum Aſtaphium
Quàm fui. iam non ſum truculentus, noli metuere. quid uis?
A. Quid? tuam expecto truculentiam. S. dic, impera mihi, quid tibi,
Et quo uis modo: nouos omneis mores habeo, ueteres perdidi.
Vel amare poſſum, uel etiam ſcortum ducere. A. lepide me caſtor
Nuntias. ſed dic mihi, ain' paraſitum te fortaſſe ducere?
S. Intellexiſti lepide quid ego dicerem. heus tu, iam poſtquam
In urbem crebro conuenio, hic factus iam ſum cauillator
Probus. A. quid id eſt ámabo? iſtæc ridicularia, cauillationes uit
Opinor dicere, ita ut pauxillum differat à cauillis. ſequere
Intrò me ámabo mea uoluptas. S. tene hoc tibi, rabonẽ habeto,
Vt mecum hac nocte ſies. A. peri, rabonem quam eſſe dicam
Hanc beluam? quin tu arrabonem dicis? S. ita facio lucri,
Vt Prænestinis conea eſt ciconia. A. ſequere obſecro. S. Strabacẽ
Hic opperiar, modo ſi rure ueniat. A. is quidem apud nos eſt, hic Strabax.
Modo rure uenit. S. prius ne quàm ad matrẽ ſuam: heu ædepol
Hominem nihili. ánne autem ut ſoles iámne? S. nihil dico.
A. I intrò ámabo, cedò manum. S. tene. in tabernam ducor
Deuorſoriam, ubi male accipiar mea mihi pecunia.

ACTVS

ACTVS QVARTVS.

DINARCHVS, *adoleſcens.*

NEque gnatus eſt, neque progignetur, neque poteſt rep peririer, (uelim.
Quoi ego nunc dictum, aut factum melius, q̃ mihi eſſe
Di magni, ut ego lætus ſum, & lætitia differor, ita ad me
Magna nuntiauit Chiamus hodie gaudia, mea dona de
Amata acceptaq́; habita eſſe apud Phroneſium. cum hoc iam
Volupe'ſt, tum hoc nimio magnæ mellinæ mihi, militis odioſa,
Ingrataq́; habita: totus gaudeo. mea pila eſt: ſi repudiatur
Miles, mulier mecum perit: ſaluos ſum,
Quia pereo: ſi non peream, planè eſuriam. nunc ſpeculabor
Quid ibi agatur, quis eat intrò, qui foras ueniat: procul
Hinc obſeruabo, miles quid facturus fuat.
Quia nihil habeo, unum animos monuit mihi, omnia agam precario.

ASTAPHIVM. DINARCHVS.

A. *LEpide efficiam mea hera officium, inde intus modo ut tu tuum (manu*
Item efficias: ama id, quod decet. rem tuam eſt dum tibi in
Nunc dum iſti lubet, dum habes tempus, ei obſecundes.
Prome uenuſtatem amanti tuam, ut gaudia compares.
Ego interim hic retricis præſidebo, iſte dum ſic faciat domum
Ad te exagôgam: & quenquam interim iſtuc ad uos
Qui ſit, hodie intromittam. tu perge, ut lubet. ludin' iſtos?
D. *Quis eſt iſte Aſtaphium? indica qui perit.* A. *ámabo hiccine*
Tu eras? D. *moleſtúsne ſum?* A. *nunc magis q̃ fuiſti. nam niſi qui*
Nobis uſu'ſt, nobis moleſtus. D. *ſed obſecro da mihi operam, ut*
Narrem quæ uolo. A. *nam quid eſt? mea refert, non mus, ſed*
Intus bolos quos dat. D. *quid, amator nouos quiſpiam?*
A. *Integrum & plenum adorta'ſt theſaurum.* D. *quis eſt?*
A. *Eloquar, ſed diu taceto: nouiſti tún' hunc Strabacem?* D. *quidni?*
A. *Solus ſummam habet hic apud nos, nunc is eſt fundus nobis,*
Animo bono male gerit. D. *perij hercle ego idem* A. *ſtultus es,*

Qui

Qui facta infecta facere uerbis poſtules. Thetis quoque etiam
Lamentando leſſum fecit filio. D. non ego nunc intrò
Ad uos mittar? A. quid,num miles magis? D. quia
Enim plus dedi. A. plus enim es intromiſſus,quom dabas.
Sine uiciſsim,qui dant operam,oblitos quod dant,operam utier.
Litteras didiciſti:quandò ſcis,ſine alios diſcere.

D. Diſcam,dum mihi commentari id liceat,ni oblitus ſiem
Quod dedi. A. interea magiſter,dum tu commentabere,
Volt interim illam indidem commentari,qui rem acciperet
Identidem. D. dedi equidem hodie ei quinque argenti deferri
Minas,præterea unam in obſonatum. A. idem iſtoc delatum ſcio.
De eo nunc bene ſum tua uirtute. D. imò & inimici mei
Bona iſtæc edent,mortuum hercle me,quàm ut id patiar.
Mauelim mihi inimicos inuidere,quàm me inimicis meis.
NAM INVIDERE alij bene eſſe, tibi male eſſe, miſerum eſt.
Qui inuident egent:illi quibus inuidetur,rem habent.

A. Stultus quidem es, opperire. D. quid iam? A. quia pol mauelim nunc licet.

D. Da obſonij me participem fieri. A. ſi uolebas participari, auferres
Dimidium domum:nam idem ut Acheronti hic ratio accepti
Scribitur:intrò acceptum quandò acceptu'ſt,non poteſt
Ferri foras. bene uale. D. ſiſte. A. omittas me. D. omitto intrò. A. ad te
Quidem. D. imò iſtoc ad uos. A. iri non poteſt. D. imò poteſt,
Experiri ſine. A. imò opperire,uis eſt experiri.
Dicam adeſſe niſi occupata'ſt. D. reſiſte,hem fruſtra fit. redin'?

A. At non redeam,ſi uocat me,quæ in me poteſt plus quàm poteſt.
Vno uerbo eloquere. D. mittin' me intrò? A. mendax es,abi.

D. Vnum aiebat. A. ſtridia dixti uerba, atq; mendacia.

D. Abijt intrò,induit.ego ut hæc mihi patiar fieri?iam hercle
Ego tibi illecebra ludos faciam clamore in uia,quæ
Aduorſum legem accepiſti à plurimis pecuniam.
Iam hercle apud omnes magiſtratus faxo erit nomen tuum.

Poſt id ego in te manum inijciam quadrupus uenefica
Suppoſtrix puerûm. ego ædepol tua probra aperibo omnia.
Nihil me, perdidi omne quod fuit, fio impudens,
Nec mihi adeſt ad illum penſi. iam quos capiam calceos? ſed quid
Ego hic clamo? quid ſi me iubeat intromittier? conceptis me non
Facturum uerbis iurem, ſi uelit: nugæ ſunt: ſi ſtimulos pugnis
Cædis, manibus plus dolet. de nihilo, nihil eſt, iraſci, quæ te non
Flocciſacit. ſed quid hoc eſt? proh di immortales, Calliclem uideo ſenem,
Alteram tõſtricem huius, alterã ancillam ſuam, meus qui affinis
Fuit, ancillas duas conſtrictas ducere: pertimui poſtquam
Vna cura cor meum mouit. modo timeo, ne mea malefacta antiqua
Nunc ſenex inueniat omnia.

CALLICLES, ſenex. ANCILLAE, duæ. DINARCHVS, adoleſcens.

C. EGon' tibi maledicã, aut tibi male uelim, ut animo meo'ſt?
Propemodum expertæ eſtis, quàm ego ſim tranquillus uſque
Homo, rogitaui ego uos uerberameis: has pendemeis ſimul
Commemini: quo quicque pacto ſitis confeſſæ, ſcio hic nunc.
Volo ſcire eodem pacto, ſine malo fateamini, quanquam uos
Colubrino ingenio ambæ eſtis. edico prius, ne dupliceis habeatis
Linguas, ne ego bilingues uos necem, niſi ad tintinnaculos
Voltis uos educi uiros. A. uis ſubegit uerum fateri, ita lora lædũt
Brachia. C. at ſi uerũ mihi eritis faſſæ. A. uinclis exolue. D. mihi
Etiamnum quid ſit negotij, falſus incertuſq; ſum: niſi quia
Timeo tamen. A. ego nec quid peccaui ſcio. C. omnium primum diuerſa eſt.
Etenim ſic iſtuc uolo, ne inter uos ſignificetis, ego ero paries. loquere tu.
A. Quid loquar? C. quid puero actu'ſt, mea quem peperit filia

Mea

Meo nepoti? capita rerum expedite. A. iſtæ dedi. C. iam
Tace. accepiſtin' puerum tu ab hac? A. accepi. C. tace
Nihil moror præterea, ſatis es faſſa. A. inficias non eo.
C. Iam liuorem ſcapulis iſtoc concinnas tuis. conueniunt
Adhuc utriuſque uerba. D. uæ miſero mihi, mea nunc facinora
Aperiuntur, clàm quæ ſperaui fore. C. loquere tu, quis dare
Te huic puerum iuſsit? A. hera maior mea. C. quid tu,
Cur eum accepiſti? A. hera me rogauit minor, puer ut
Ferretur, eaq; ut celarentur omnia. C. loquere tu:
Quid eo feciſti puero? A. ad meam heram detuli. C. quid de
Puero tua hera fecit? A. heræ meæ extemplo dedit. C. quoi,
Malum, heræ? A. duæ ſunt iſtæ. C. caue niſi quod te rogo, niſi
Ea quæ exquiro. A. mater filiæ dono dedit inquam. C. plus
Quàm dudum inquam loquere? A. plus tu rogitas. C. reſponde
Ocyus: quid illa, quoi donatu'ſt? A. ſuppoſuit. C. quoi? A. ſibi
Pro filiolo. C. pro filiolo? D. obſecro uoſtram fidem, ut facilius
Aliqua alicunde puerum natum parit, hæc labore alieno
Puerum peperit ſine doloribus. puer quidem beatus, matres duas
Habet & auias duas, iam metuo patres quot fuere. uide ſis
Facinus muliebre. A. magis pol hæc malitia pertinet ad uiros,
Quàm ad mulieres: uir eam, non mulier prægnantem fecit.
C. Et idem ego iſtuc ſcio. tu bona ei cuſtos fuiſti. A. PLVS POTEST, qui plus
VALET. uir erat, plus ualebat: uicit quod petebat, uim attulit.
C. Et tibi quidem hercle idem attulit magnum malum. A. de iſtoc
Ipſa, & ſi tu taceas, re ab ſe experta intellego. C. nunquam te
Facere hodie, ut quoius quis eſſet, diceres. A. tacui, at nunc
Non tacebo, quandò adeſt, neceſſe indicem. D. lapideus ſum,
Commouere me miſer non audeo, res palàm omnis eſt, meo
Illic nunc ſunt capiti hoſtica, meũ illuc facinus, mea ſtultitia eſt.
Timeo quàm mox nominer. C. loquere filiam meam
Quis integram ſtuprauerit. A. uideo ego te propter mala
Facta qui es patronus parieti. D. neque uiuos, neq; mortuus
Sum: nec quid nunc faciam ſcio, neque ut hinc abeam, neque ut

Ad hunc adeam ſcio, timore torpeo. C. dicin', an non?

A. Dinarchus quo illam prius duci ſponderas. C. ubi is homo eſt,
Quem dicis? D. adſum Callicles. per tua obſecro genua,
Vt tu iſtuc inſipienter factum, ſapienter feras, mihiq; ignoſcas.
Quod animi impos uini uitio fecerim. C. non placet
In mutum quippiam conferri, quod loqui non poteſt. nam uinum ſi
Fabulare poßit, ſe defenderet. NON VINVM MODERARI,
Sed uino ſolent, qui quidem probi ſunt: uerum
Qui improbus eſt, ſiue ſubbibit, ſiue adeò caret temeto,
Tamen ab ingenio eſt improbus. D. ſcio
Equidem quæ nolo, multa mihi audienda obnoxia. ego tibi
Me obnoxium eſſe fateor culpæ compotem mi
Callicles: uide quæſo ne facias iniuriam: reus ſolutus
Cauſſam dicit, mitte iſtas. ſanùn' es? C. ſoluite iſtas,
Agite, abite, tu domum, & tu autem domum: eloquere
Hæc heræ ut puerum reddat, ſiquis eum petat. eamus
In ius. D. quid uis in ius me ire? tu es prætor mihi.
Verùm te obſecro, ut tuam gnatam des uxorem Callicles.

C. Eundem ſtulte iudicaſſe quidem iſtam rem intellego.
Nam haud manſiſti, ut ego darem illam, tute ſumpſiſti tibi.
Nunc habeas, ut nactus. uerùm hoc ego te multabo bolo,
Sex talenta magna dotis demam pro iſtac inſcitia.

D. Bene agis mecum, filium iſtinc tute melius eſt repetere.
Cæterum uxorem quamprimum poteſt adduci ex ædibus?

C. Ego adeò iam illi remittam nuntium. Adimæo dicam, ut aliam
Conditionem filio inueniat ſuo. D. at ego ab hac puerum repoſcam,
Ne mox inficias eat. nihil eſt: nam ipſa & ultro ut factu'ſt, fecit
Omnem rem palàm. ſed nimium pol opportuna ecce ab ſe
Egreditur foras. næ iſta ſtimulum longe habet, quæ uſque illinc
Cor pungit meum.

PHRO-

PHRONESIVM. DINARCHVS. ASTAPHIVM.

Blittea & lutea eſt meretrix,niſi quæ ſapit in uino ad rem ſuam:
Si alia membra uino madeant,cor ſit ſaltem ſobrium.
Nam mihi diuidia eſt in tonſtricem meam,ſicut inultam: male
Ea dixit,eum Dinarchi puerum inuentum filium,
Vbi id audiuit:quanquam penes eſt me omnis res,& liberi.
Video eccum,qui ſuis tutorem me adoptauit bonis.
D. Mulier adſum,profectu'ſt.P.quid agitur uoluptas mea?
D. Non uoluptas,aufer nugas,nihil ego nunc de iſtac re ago.
P. Scio mecaſtor quid uis,& quid poſtulas,& quid petas,
Me uidere uis,& me te amare poſtulas,puerum petis.
D. Di immortales ut planiloqua eſt,paucis ut rem ipſam attigit.
P. Scio equidem ſponſam tibi eſſe,& filium ex ſponſa tua,
Et tibi uxorem ducendam iam eſſe:alibi iam animum tuum,
Me quaſi pro derelicta ſis habiturus.ſed tamen cogitato,mus
Puſillus quàm ſit ſapiens beſtia,ætatem qui uni cubili
Nunquam committit ſuam,quaſi unum obſideatur, aliunde perfugium
Gerit.D.otium ubi erit,de iſtis rebus tum amplius tecũ loquar:
Nunc puerum redde. P.imò ámabo ut hos dies aliquot ſinas
Eum eſſe apud me. D.minime:nam eo quid opus?
P. In re mea triduum hoc ſaltem,dum aliquò miles circunducitur.
In eam rem ſi quid habebo, tibi quoque etiã proderit.ſi auferes
Puerum,à milite omnis tum mihi ſpes animam efflauerit.
D. Factum cupio:nam refacere ſi uelim,non eſt locus.nunc puero
Vtere,& procura:quando procures,habes. P. multum amabo
Te ob iſtam rem mecaſtor.ubi domi metues malum,fugito huc
Ad me ſaltem,amicus mihi eſto manubiarius. D. bene uale
Phroneſium. P. iam tum oculum uocas. id quoque interim
Futatim nomẽ commemoraui ter.D.nũ quid uis?facultas operæ
Vbi mihi erit,ad te uenero. P.ille quidem abijt,acceßit dicere
Hic quis uidelicet.uerum eſt uerbum quod memoratur, VBI amici,

IBIDEM OPVS. *propter hunc ſpes etiam ſe hodie tam interit*
In militem, quem ecaſtor magę amo quàm dudum, id quod cupio inde
Auferre: quæ quom multum abſtulimus, haud multum apparet, quod *(ſecro?*
Datum eſt, ita ſunt gloriæ meretricũ. A. aha tace. P. quid eſt ob-
A. *Adeſt pueri. P. ſine eum ipſe adire huc, ſine. ſi is eſt modo,*
Sine eum ipſum adire ut cupio ad me hac rectà: ſi uenerit
Næ iſtum ecaſtor hodie aſtis confectum fallacijs.

ACTVS QVINTVS.

STRATOPHANES, *miles.* ASTAPHIVM. PHRONESIVM. STRABAX, *ruſticus.*

M. *EO mihi amare fero ſupplicium damnis, ad amicam meam,*
Vt illud acceptum ſit prius quod perdidi, hoc addam inſuper.
Sed quid, uideon' heram atque ancillam ante ædeis? adeunda eſt hæc mihi.
Quid hic uos agitis? P. ne me appella. M. nimium ſæuis. P. ſic.
Potin' es ut mihi moleſtus ne ſies? M. quid Aſtaphiu' ſt? A. merito ecaſtor
Tibi ſuccenſet. P. alazon? atque ne iſti etiam parum male uolo. M. ego
Mea uoluptas, ſi quid peccaui prius, ſupplicium ad hanc minam fero
Auri, ſi mihi rides. P. manus uetam prius quàm penes ſeſe habeant, quicquam
Credere. puero opus eſt cibum: opus eſt matri autem quæ pue rum lauit.
Opus nutrici utrem habeat ueteris uini largiter, ut dies noctesq;
Potet: opus lignis: nunc opus eſt carbonibus, faſcijs: opus eſt puluinis,
Cunis, incunabulis: oleum opus eſt: farina opus eſt totum diem:
Num-

Nunquam hoc uno die efficiatur opus, quin opus ſemper ſiet.
Non enim poſſunt militares pueri ſetanio educier.
M. Reſpice ergo, accipe hoc, qui iſtuc efficias opus. P. cedò,
Quanquam parum eſt. M. ad omne maius iſtuc poſitum paru'ſt:
Tuo arbitratu quod iubebis addabitur. da nunc ſauium.
P. Mitte me inquam odioſus. M. nihil fit: non amor: teritur dies.
S. Plus decem pondo amoris pauſillis perdidi. accipe hoc,
Atq; auferto intrò. ubi mea amica eſt gentium? neq; ruri, neque
Hic operis quicquam facio. corrumpor ſitu, ita miſer
Cubando in lecto, hic expectando obdurui. ſed eccam uideo.
Heus amica quid agis? M. quis illic homo? P. quem
Ego ecaſtor mage amo, quàm te. M. quàm me? quomodo?
P. Hoc modo, ut moleſtus ne ſis. M. iam abis, poſtquam aurũ habes?
P. Condidi intrò, quod dediſti. S. ades amica, te alloquor.
P. At ego ad te ibam. S. ad me delicia? P. hercle uerò ſeriò. S. quanquam
Ego tibi uideor ſtultus, gaudere aliqui me uolo. nam quanquam
Es bella malo tuo, niſi tecum aliqui gaudeo, uin' te
Amplecter, & ſuauium dem? P. quid uis face, gaudeam.
M. Meoſne ante oculos ego illam patiar alios amplexarier?
Mortuum hercle me duco ſatius. abſtine hoc mulier manum:
Niſi te mea manu in machæra & hunc uis mori.
S. Nihili fari ſatius eſt miles: ſi te amari poſtulas, auro, haud ferro
Deterrere potes, ne amet. M. quî (malum)
Bella es, aut ea tu es quæ ames hominem iſtimodi? P. uenitne
In mentem tibi, quod uerbum in cauea dixit hiſtrio?
OMNES HOMINES AD SVVM quæſtum callent, & faſtidiunt.
M. Húnccine hominem te amplexarier tam horridum atque ſqualidum?
P. Quanquam hic ſqualidus eſt, quanquam hic horridus, citus bellum init.
M. Dedi ego aurum. P. mihi dediſti? filio cibaria.
A. Nunc ſi hanc tecum eſſe ſperas, alia opus eſt auri mina.
M. Malam rem is & magnam, magnopere ſerua uiaticum.

Quid iſti debet niſi tria? S. quæ nam tria?

M. Vnguenta, noctes, ſauium. P. par pari reſpondet.

Verùm nunc ſaltem ſi amas, da tu mihi de tuis delicijs ſummis

Quicquid pauxillulum. M. quid ita? D. ab auo eſt quod idem

Dictum ſuperfert, campas dicit abaui: conſulta iſtuc.

M. Mi homo caue faxis uolnus, tibi iam quoi ſunt dentes ferrei.

Volgo ad ſe omnes intromittit, abſtine iſtanc tu manum.

S. Iam hercle iam magno tu uapulato uir ſtrenuus.

M. Dedi ego huic aurum. S. at ego argentum. M. at etiam pallulã.

S. At ego oues etiam: nam & alia multa, quæ poſcet, dabo.

Melius te munere certare mecum, quàm minacijs.

P. Lepidus ecaſtor mortalis eſt. Strabax mi perge obſecro.

Stultus atque inſanus damnis certant, nos ſaluæ ſumus.

M. Age prior Tyro aliquid. S. imò tu prior perde & peri.

M. Hem tibi talentum argenti Philippei eſt, tene tibi.

P. Tanto melior noſter eſto, ſed & uoſtro uiuito. M. ubi eſt quod

Tu das? ſolue zonam. prouocatur, quid times? S. tu peregrinus, hic ego

Habito: timeo meos, non ego ambulo, pecua ad hanc ego in

Crumena obligata defero. M. quid dedi, ut diſtinxi hominem?

S. Imò ego uerò, qui dedi. P. i intrò amabo & tu ergo ad me.

S. Cum tu eris mecum quidẽ, quid tu, quid ais? M. tũn' hoc, an ego

Poſterior dedi? P. tu dediſti, iam daturus es, iſtuc habeo, hoc expecto.

Verùm utrique mos geratur, amborum ex ſententia

Fiat, ut rem gratam uideo: hoc accipiundu'ſt, quod datur.

S. Meum quidem te lectum certe occupare non ſinam.

M. Lepide mecaſtor occupaui, atque ex mea ſententia.

P. Aeque ut rem bene geſtam uoſtram rurſum bene geram.

Amabo ſi quid animatu'ſt facere, faciam ut ſciam.

Veneris cauſſa applaudite, eius hæc in tutela eſt fabula.

Spectatores bene ualete: plaudite, atque exurgite.

ANNO-

ANNOTATIONES IN TRVCVLENTVM.

IN PROLOGVM.

ATHenas quo ſine architectis conferat.) Architectorū eſt de ædificiis iudicare, atque conferre. Itaq; dum ait ſe uelle conferre Athenas aliis ciuitatibus, ait ſe id ſine architectis uelle facere, hoc eſt, breuibus, & paucis.

At nunc meliorem.) Partem ſcilicet. Ait itaq; niſi dederint audientiā, ſe in collatione bonam partē abiudicaturū.

Ad negandum.) Notum eſt Martialis carmen ad Cinnam, Dandum eſt ſcilicet, aut cito negandum.

Athenis tracto.) Græcam comœdiam Latine ſe exhibere uelle dicit.

Cum puluiſculo.) Explicāt Chiliades prouerbiorum.

ACTVS I.

Per occaſionem narratur argumentum ab adoleſcente.

Quam penes.) Per anaſtrophen, pro penes quam. Venerem autem ut amatorium numen celebrat.

Præmium ſi obolus eſt.) Præmium ſi exiguum eſt. Eſt enim ſymbolum uilis precii ὄβολος. Obeunt autem procraſtinant, differunt.

Ducunt interea.) Ducunt lego, id eſt, exigunt Græcorum more.

Benignus.) Prodigus, ut apud Horatium in Satyris de Tigellio: Quippe benignus erat.

Rete qui iaculum.) Tmeſis pro retiaculum. Eſt autem compoſitum à rete, & iacio.

Abducit.) Prædam ſcilicet.

Cauet.) ceſſat, eleganter.

Hamum uorat.) Aliàs prouerbialiter, pro decipitur.

Amoris poculum.) φίλτρον, ueneficum amicę poculum.

Si raras noctes ducit.) Tranſducit.

Lectus dapſilis.) δάψιλος bellus, magnifice apparatus.

Armariola græca.) Armillæ affabre ornatę. Nam Greci ut reliquis diſciplinis omnes anteibant, ita etiam artificum induſtria cunctis præſtabant.

Muſcarum eſt cum caletur.) Summa æſtas eſt.

Quaſi ſcatent.) Lepida metaphora à uermibus ſumpta.

Quam pōderum.) Ridicule atomos in aëre uolantes pondera appellat.

Vſuraria accipiat.) Non ſatis commode à quouis hic locus intelligitur, niſi dicamus oēs rem proſtituūt, neq; ſentiunt quid incōmodi ex uſuris & acceptis tabulis inſequatur.

Mulier hominibus.) In populo ocioſo mulier eſt tantū ea gratia, ut aliquid ſit quod ametur.

Omnes qui quod dent habent.) Scilicet quod ament.

Phroneſiū.) Nominis rationē exponit Poëta ipſe. Græci φρονεῖν dicūt ſapere, & prudēter aliquid animo metiri.

SCENA II.

Dato ſi eſſe uis.) ab edo infinitum.

Archiuam.) ſonat Dorice uetulam.

Illa, haud ego habuit publicum, Locus eſt paulò obſcœnior.

Aratiūculam pro copia.) Breue commodum pro magnis donis. Et quæ ſequuntur non poſſunt pure & honeſte exponi.

SCENA III.

Apud nos dixit næniam de bonis.) Id eſt, bona huius apud heram ſepulta ſunt, ac elata: quemadmodum mortuos nænia ſolemus proſequi.

SCENA IIII.

Arietat.) Vehementer pulſat.

Spero meam.) De amica intelligit. Mox illi impudentiam obijcit, quòd ſe ruſticum ad ſtuprum ſolicitet.

Rus merum.) prouerbium.

Larinū pecus.) Larinum quod perpetuo in laribus hereat: alij Lardinum pecus, pro immundo. Hermolaus Clarinum pecus in annotationibus in Dioſcoridē. Certe mihi magis placet larinum pecus, quando Græci ſues opimas larinas aliquando uocent, præſertim, & boues quoq; obeſos larinos nominent, à Græco uerbo ſaginam ſignificante, ut ait Heſychius.

In ſuaſo infeciſti.) Color ferrugineus eſt, & infamis. Pompei codices ſuaſum habent, & maculam quæ in ueſte alba è ſtillicidio fumoſo fit interpretatur. Hic color etiam impluuiatus appellari ſolet.

Qui accipias geſta tecum.) Signa, uerbera.

Lauiniæ.) Rixæ, bella, quòd ob Lauiniam multa fuerit diſcordia, & contentio inter Troianos, & Latinos.

Patu-

Patulum moueri.) Sub dio dormire.

Rubriceta.) μίλτος minium Sinopicum.

Duarum rerum.) Quód ſeruis uel nulla, uel pauca admodum credantur.

Exungula.) uſque ad unguem abrade.

Sinapi uictitet.) Citatur ueluti prouerbiũ ab Eraſmo.

SCENA V.

Piſces ego credo.) Caſtigatur hic locus à Varrone in fine 2. de analogia.

Quaſi uolturij.) Aelianus auctor eſt uulturem triduo, aut quatriduo præoccupare locum prælij. Vincit enim hoc animal quæuis odoris ſagacitate, ut teſtatur Plinius.

SCENA VI.

Vt oleum nitide nitet.) Vide Prouerbia Eraſmi, Oleo nitidius.

Infacetus Lemno adueniens.) Alludit ad Lemniorum mores, qui paſſim tanquam duri, & infaceti apud autores carpuntur. Solent enim regionum qualitatibus, & incolarum mores reſpondere.

Si aquæ uſq; eſt & redimiculum.) A ſimili colligit fieri debere, quemadmodum & aquæ diſcedentes in antiquum locum redeunt. Redimiculum aquæ, reductionem in priſtinum locum exponunt ueteres.

Erga ædem.) Erga pro ex aduerſo.

Mercis malæ cum.) Exemplar noſtrum clarius & ſignificantius reum habet.

SCENA VII.

Fer huc uerbenam.) Si Donatus aut quiſquis tandem Terentium ſcholijs explicauit diligentius Plautinum hũc locum ad Terentij Andriam contuliſſet, non tam nude de uerbenis commentus fuiſſet. Non enim in ornamentum aræ à parturiẽtibus uerbena adhibebatur, ſed magis quod (ut ſcribit Andreas herbarius citãte Nicandri interprete) in partu egregie dolores leniat. & Dioſcorides eam doloribus muliebribus utilẽ prodidit. Thus uero ſuffimẽti gratia adhibetur. Bellaria porro ad animi defectum auferendum, ut dictum eſt in Amphitruone.

SCENA VIII.

Et homeronidam, & poſtilam.) Homeronides Græcis eſt mendaciorum concinnator. Poſtilam non legi, ſed potilam in antiquo codice, ποτιλὴρ autem Græci compotationes de rebus non ſerijs interpretantur. Nec diſplicet, quód quidam

Alioqui [illegible]xantur, Præneſtini tanquam mal[illegible] [illegible]tine loquentes, à Lucilio, autore Nonio Marcello.

ACTVS IIII.

SCENA I.

Magnæ mellinæ.) Placentæ ex melle, & farina ſeſami confectæ. Græci eiuſcemodi confectionem σησαμοῦς appellant.

Mea pila.) Pila ꝑ fortuna aliquãdo accipitur à Plaut.

SCENA II.

Rem tuam eſtuci ex inani.) Nemini dubium eſſe poteſt uitiatum eſſe locum iſtum. Ego dum ſector ueſtigia uetuſti codicis, ita hunc locum reſtituendum puto. Rem tuam extrue ex inani.

Reſtricis præſidebo.) Nullus autor tam malus (ſolet dici) qui non aliquando uſum adfert. Iſidorus licet non ſit receptus admodum, Reſtricas interpretatur reſtes, quibus retia ſua aucupes contrahunt, quoties aliquid ceperunt. Etymologiam autem fingit à reſtibus, & tricis, quæ ſi admittatur, egregia erit metaphora, & Plauto non indigna.

Exagogam.) Quæſtum, & lucrũ ſignificat. Explicatũ à nobis in Rudente.

Idem ut Acheronti ratio accepti ſcribitur.) Legatur Eraſmus in Chiliadibus: Itidem ut Acheronti.

Stridia dixiſti uerba.) Vidi codicem qui ſtrigia habebat, ut ſit à ſtrix pro horrenda, & falſa. Alioqui nihil uetat quò minus à ſtridendo dictum ſit, quaſi ſtridula.

SCENA III.

Tintinnaculos.) Qui ſint tintinnaculi uere fateor me neſcire, niſi dicamus carnifices, & lorarios, qui cathenis, & compedibus alios onerantes tinnitum ueluti faciunt.

Meo illic nunc ſunt capiti hoſtica.) Hoſtica uittæ dicebantur, quibus olim hoſtiæ mactandæ coronabantur. ait itaque ſe proximum infortunio.

Siue ſubbibit.) Compoſitum à bibo, & ſub.

SCENA IIII.

Blittea & lutea.) A blito herba non admodum ſapida, & luto, hoc eſt ſtercore deducta.

Sed tamẽ cogitato mus puſillus quã.) Ex antiquitate ueluti per manus tradita prouerbialis ſententia, quæ uulgari uerſiculo à pueris in ſcholis canitur, Mus miſer eſt antro tantum qui clauditur uno,

Manu

Ma arius.) Amicus manubinarius, ... bijs hoc ... ędis ſit ditatus ob puerum raptum, & accommodatit.

Futatim.) Raptim uel fuſe.

ACTVS V.
SCENA POSTREMA.

Alazon.) homo glorioſus, arrogans, quiq; ſibi plus tri buit quàm oportet, qualis Thraſo Terentianus.

Setanio educier.) Setanium ſunt qui ſerum lacti ... è caſeo diſtillat intelligunt, & hoc non ineptum eſt. ... nius Setania inter genera cæparum nominat. Græci σητάνιον triticum perpurgatum interpretãtur. Quicquid id eſt, certe genus uiliſſimi edulij Plautus ſignificare uoluit.

Ab ano eſt quod idem.) Hoc eſt, uetuſtum & prouerbialiter.

Campas dicit.) hoc eſt nugas, & res nullius momenti. Campę enim Græce Latinis ſunt erucæ.

FINIS.

VA1 150684

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google